MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81155-3

AUTHOR:

LUCILIUS, C.

TITLE:

C. LUCILII CARMINUM RELIQUIAE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1904-05

Master Negative #

92-81155-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87L94 1904
OF04

Lucilius, Caius.

2 cop. C. Lucilii Carminum reliquiae, recensuit enarrauit Fridericus Marx ... Lipsiae, in aedibus B.G. Teubneri, 1904-05.

2 v. port., 23 cm.

Contents.--v.1. Prolegomena, testimonia, fasti Luciliani, Carminum reliquiae, indices.--v.2. Commentarius.

65921

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-5-93 INITIALS JA

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

VOLUME 1

C. LUCILII CARMINUM RELIQUIAE

RECENSUIT ENARRAUIT

FRIDERICUS MARX

VOLUMEN PRIUS

PROLEGOMENA TESTIMONIA FASTI LUCILIANI
CARMINUM RELIQUIAE INDICES

MCMIV
LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

FRANCISCO BUECHELERO
HERMANNO VSENERO

Lucilii poetae noua opus esse editione post Lachmanni Muelleri Baehrensii curas nemo negabit: inprimis tamen poetae difficillimi reliquias oportere enarrari commentario memini Franciscum Buechelerum ante haec quinque lustra Bonnae docuisse in scholis suis. Vtrumque laborem suscepi eo libentius, quod eo quo fieri solet more si editionem instituissem, uix duo uel tres in una pagina uersus licebat proponere: nunc grauissima quaeque in adnotatione critica, leuiora posui in commentario, qui prelo iam traditus est uolumenque implebit alterum. Quem quaeso, lector candide, expectes, quo rectius de hoc priore uolumine iudicare possis.

Vitiosa aliqua scriptura si forte oculos effugerit editoris aut correctoris, in commentario emendabitur: neque tamen arbitror defuisse diligentiam operi necessariam. Coniecturas uirorum doctorum plurimas item in commentario quaerito: in apparatu critico posui tantummodo eximias et paucas. Quaecumque tradita non sunt, ea omnia notaui diuersitate scripturae. Quam rationem multis scio displicere: scilicet pulchritudinem paginarum ea ratione minime augeri libenter concedo. Tamen utilem esse eam rationem manifestum est et commodam lectoribus. Scripturas singulas emendatas religiose uindicaui auctoribus: si cui scripturae nomen auctoris aliquod additum non est, editori uelim tribuas. Manci esse et lacunosi ubi uisi sunt uersus, suppleui ut potui: quae supplementa cautius erat in adnotatione, sed item utilius me

iudice ponere in reliquiis ipsis carminum, modo ne credere possit lector esse ea antiquitus tradita. Incertae sedis fragmenta quo facilius inueniantur a quaerentibus ordinaui secundum litteras: inprimis cauendum esse duxi, ne temere certo alicui libro talia tribuantur quo perfacile deducere solet editores fragmentorum noua docendi cupiditas.

Opus iam ante duos annos perfectum remoratae sunt nouae quae aut expectabantur aut prouenerunt in publicum Ennii Nonii Gellii scholiastarum Vergilii Terentii Horatii editiones quarum rationem habui quatenus potui: nempe nouam Pseudoacronis editionem in ea parte praefationis quae iam perfecta erat a librario non iam potui adhibere. Quod tamen non magno cum damno accidit disputationis. Eo maiorem gratiam habere par est eis uiris doctis, qui de codicum et inscriptionum lectionibus certiorem me fecerunt rogantem: Paulo Gauckleri Christiano Huelseno Paulo Wessnero. Tum qui nouerit quantis sumptibus in hac urbe stet librorum exornatio, insignem aedium Teubnerianarum gratiam referendam esse domnaedio censebit neque solum ipsi sed ob diligentiam et peritiam singularem etiam eis qui sunt in operis eius. Corrigenti denique adminiculo erat Maximiliani Arnoldii opera et diligens et subtilis.

Scripsi Lipsiae mense Iulio MCMIV.

CONSPECTUS OPERIS.

PROLEGOMENA.

DE SATURA.

Orthographia

Vocabulum *satura* apud Horatium primum hodie legitur serm. II 1, 1. 6, 17 ubi codd *satyra* formam exhibent quam saeculo p. Chr. VI Vettius Mauortius ut elegantiorem et magis doctam praetulerit formae *satura*. Sed Porphyrio ad serm. I 1, 1 testatur sese legere II 1, 1 'sunt quibus in satura' quamquam idem modo *satura* modo *satyra* forma uidetur uti. Etiam Priscianus GL II p. 203, 19 K recte scribi uoluit 'Lucilius in saturarum VI.' Neque dubium est quin *satura* forma sit Latina sola, *satyra* in umbra scholarum a doctis excogitata et serae aetatis. Tertia forma quae etiamnunc a multis usurpatur *satira* non Latina est, sed Graecanica ita ut i littera locum y teneat. Neque enim analogia defenditur formarum *lacrumae-lacrimae*, *pontufex-pontifex* similium, quod nullum exemplum ante r litteram quod u uocalem infregerit profertur neque umquam ueluti *lemires* dicebatur pro *lemures* similia, sed uulgari pronuntiatione *satora* scribebatur ueluti Mart. Cap. p. 374, 11 Eyssenh. neque pro formula *per saturam* umquam dici potuit *per satiram* neque pro *saturare satirare*. Sed fac *satiram* Latinum fuisse: nos probare id non poterimus, cum ubique in codd ubi legitur *satira* accipi possit pro *satyra* forma (Ind. lection. uniu. Rostoch. 1889/90 p. 13. 14).

Quo tempore forma *satyra* nata sit non constat. Persii praebet codex Montepessulanus in subscriptione *explicit Persius: Thebaidorum satura* e. q. s., Sabini recensio *Persi Flacci satyrarum*, sed priorem scripturam Quintiliani tutantur optimi codices IX 3, 9 qui ubique *satura* scripserat IX 2, 36 X 1, 93. 95; Martialis XI 10, 1 XII 94, 7 bis *saturas*, item Iuuenalis I 30 III 321 IV 106 VI 634, etiam in cod Martiani Capellae Bambergensi (p. 195, 21 Eyssenh.) uetus seruata est

scriptura. At falsa scriptura egregie commendabatur et a falsa etymologia quae a satyris nomen deduceret et ab eis qui adiectiuum Graecanicum *satyricus* nouarunt et in litteris Latinis propagarunt. Quod uitauit Suetonius, apud quem teste Hieronymo (testim. 11) audierit Lucilius saturarum scriptor, item uitauit Apuleius de mag. cap. 10, qui etiamsi saturarum lib. VII u. 272 seqq. spectet, abstinuit uocabulo *satyricus* cum hoc modo scriberet 'C. Lucilium, quamquam sit iambicus, tamen improbarim, quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit'. Quod uocabulum *satyricus* de satura usurpari coeptum esse uidetur inde a saeculo III exeunte; ueluti Lactantius instit. diuin. II 4, 3 scripsit 'sed Flaccus ut satyrici carminis scriptor', fluctuat Porphyrio qui saepe *satyrice* ueluti ad Hor. serm. I 6, 120 'satyrice autem et eleganter hoc dictum', ad epist. I 18, 19 'bono stomacho satyricos respondet', ad epist. II 2, 205 'per hypoforam respondentem more satyricorum'.

Etymologia Vbicumque apud ueteres scriptores de saturae etymologia et origine agitur, lucernam olfacimus doctorum grammaticorum, qui multa suspicari coniectare diuinare debuerint, perpauca de hoc carmine scierint. Quorum in numero quid de satura Varro docuerit, non constat. Egit ille de *satura* uocabulo in lib. II quaestionum Plautinarum (GL I p. 486, 7 K: testim. IV), ubi de carminis Latini historia eum egisse neque traditur neque probabile est. Deinde Verrius Flaccus de uoce satura egerat (Fest. p. 314 M.: testim. I). Qui cum de carmine quod satura uocabatur omnino taceret, oportet statuamus illum carminis nomen minime deduxisse aut a satura lege quam finxit aut a satura lance, sed abstinuisse omnino comparatione istorum uerborum. Cuius aequalis T. Liuius VII cap. 2, 6—8 quod histriones Romanos ante Liuium Andronicum facit 'non, sicut ante, Fescennino uersu similem, incompositum temere ac rudem alternis' iacientes, 'sed inpletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti' peragentes, deinde Liuium primum ausum 'ab saturis argumento fabulam serere', ea Patauinus magis rhetorice scripsit quam historice neque ex hoc loco solo constabit de satura ueterum Romanorum carmine populari dramatico: quo

de carmine recte iudicat Vahlenus in Ennii editione prolegg. p. CCXIV.

Itaque M. Varro in II Plautinarum quaestionum cum ageret *Satura farcimen altilium* de Amphitr. u. 667 'Alcumenam ante aedis stare *saturam* intellego' quod adiectiuum idem significet quod l. s. 681 'pulchre plenam' i. e. *ἐγκύμονα*, adnotauit ille quidem doctissimus in cocorum sermone non auem quod expectes farcimine tamquam grauidam saturam appellari, sed ipsum farcimen, cum ab eo quod continet id nominetur denominatione facta quod continetur. Addidit idem praeceptum saturae qualia farciminis praecepta seruauit Apicius II 57—59 p. 50 Schuch. Neque igitur Varro neque Verrius de carminis nomine egerunt, cuius glossa apud Festum p. 314 M. seruata est ex ordine uerborum cum *sa* incipientium delata in *st* incipientia uocabula (testim. I). Consentit de cibi genere Verrius cum Varrone, tacet de carmine satura, idem fuit legis saturae inuentor, quo nomine *[Lex satura]* numquam lex talis, quales ne ferrentur uetuit lex Caecilia Didia anni 656/98, reuera appellatur apud antiquos scriptores. Quod nomen inde finxit Verrius Verriiue auctor, quod in legibus adscribebatur 'neue per saturam abrogato aut derogato' sicuti etiamnunc in aere legis repetundarum CIL I 198, 72 legitur 'extra quam sei quid in saturam feretur'. Quam locutionem *per saturam* ex oratoribus T. Annio et C. Laelio, tum ex Sallustio historico attulit Verrius, quibus locis tamen *per saturam* idem significat quod temere uel inordinate nulla distinctione adhibita nulloque facto discrimine rerum legitimo. Ne id quidem probari poterit supplendum esse reuera per saturam *legem*, sed iam Ennii temporibus probabile est *per saturam* locutione rem incondite et indiscrete et incomposite factam indicari esse solitam. Eodem modo Lucilius lib. I u. 48 hanc locutionem adhibuit: Sallustii locum multi imitati sunt quorum locos adscripsimus in commentario ad lib. I u. s. s.

Proximus est Diomedis auctor grammaticus saeculi p. *Diomedis auctor* Chr. alterius qui p. 485, 34 K. seq. (testim. IV) omnium primus et doctissimus de saturae carminis nomine egerit. Suetonio Diomedem usum esse constat: de Valerio Probo praeterea auctore alii cogitarunt ueluti Reifferscheidius Sueton. p. 371. 379. Cuius in disputatione tres facile discernuntur

partes, quarum prima in parte (*a*)) saturam deducit aut a saturis uel ebriis aut satura a lance quo nomine appellabant sermone sollemni sacerdotes lancem plenam primitiarum uariarum: haec noua docuit grammaticus eaque Vergilii uersu nouissime addito confirmauit. Altera parte (*b*)) Varrone usus est, qui de altilium farcimine edocuerit: tum tertio loco (*c*)) Verrio usus esse uidetur qui de satura lege egerit eodem usus Sallustii exemplo, cum hic Verrii nonnulla exempla omittat, uersum Lucilii aut ipse addiderit aut omissum a Festo eidem debuerit Verrio. Quae praeter Diomedem a grammaticis proferuntur posterioris aetatis, ea aut e Diomede sumpta sunt aut

Euanthius et Isidorus

merae nugae. Veluti quae profert Isidorus orig. V 16 (testim. II), ea e uerbis '*dicta a copia rerum et quasi a saturitate*' cognoscas e Diomede (testim. IV *a*)) esse ducta. Adiectiuum *satyricum* adhibuit Lactantius saeculo IV ineunte (uide supra p. X), eadem aetate Euanthius saturam a satyris Graecis deduxit (testim. VI) cuius futtilia commenta enarrare longum est sicuti ne Isidori quidem ineptias (orig. VIII 7, 7: testim. VII) iuuat

Scholiasta Horatii

pluribus explicare. In scholiastae Horatiani disputatione (testim. V) item multas apparet inesse ineptias ueluti quae de charactere saturae Horatianae dicuntur (b) et c)): cuius in principio una est posita etymologia Euanthii et Diomedis, in exitu sola Diomedis de saturae nomine sententia iterum oc-

Lydus

currit. Lydi uana commenta unde ducta sint (de magistr. I 41 testim. XXX) cum exposuerimus ind. lect. uniu. Rostoch. 1888/9 p. 11seq. hic locos auctorum satis erit indicasse: quae olim cum alios tum Kiesslingium deceperant in Horatii *satirarum* editione priore anni 1886 ad serm. I 4, 6: in posteriore editione *saturarum* 1895 locum Lydi iure contempsit.

Neque igitur ueteres grammatici consentiunt de significatione uerbi *satura* neque huius temporis uiri docti qui ueterum etymologiarum, quales tres prolatae sunt, pars hanc Latinam de cantu saturorum uel ebriorum hominum probarunt, alii illam de carmine uario amplectuntur: sunt qui Graecam esse originem nominis contendant neque saturam Latinorum diiungendam esse affirment a satyris Graecorum. Quam sententiam refutare olim studuit Isaac Casaubonus libro 'de satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira' Parisiis 1605,

alii denuo defenderunt ueluti O. Ribbeckius hist. poes. Rom. I edit. II p. 9: conf O. Kellerus 'Lat. Volksetymologieen und Verwandtes' Leipzig 1891 p. 295seqq. Quam sententiam nec exemplaria Graeca commendant nec ratio nec ueterum auctoritas, sed Byzantina aetate eam coortam esse supra ostendimus. Longe probabilior altera illa ueterum doctrina secundum quam satura nomen deducitur a cantu saturorum uel ebriorum hominum quam sententiam multis commendauit Theodori Mommseni auctoritas histor. Rom. I (edit. VI) p. 28. Cantat profecto Cyclops satur cibo et uino apud Euripidem, eandem doctrinam de origine poeseos agrestis proferunt Lucretius (V 1390) et Tibullus poetae (II 1, 51: testim. VIII. IX) a saturitate olim Musas esse profectas canentes. Tamen haec doctrina nullo pacto poterit consociari cum Ennii saturis quibus nulla inerat neque maledictio probrosa (testim. XIV) neque insolentia contumax: hanc primus Lucilius intulit huic carmini (testim. XVIII). Praeterea nusquam traditur ab antiquis ueteres Latinos uersus fescenninos appellasse saturam uel saturas nominatas fuisse priscorum Latinorum carmina impudica: Liuii (VII 2, 7) testimonium (testim. X) iam supra p. X reiecimus. Itaque qui satura quid sit indagare uolet, nihil antiquius debebit habere quam ut Ennium consulat, carminis principem auctorem (testim. XVII). Hic scripsit satu- *Ennii saturae*
rarum libros IV quo in genere poeseos secutus eum est Pacuuius eius cognatus: uaria genera poematum continuisse libros Ennii et grammatici testantur (testim. XIV. XVI) et confirmant reliquiae neque improborum hominum aut ineptorum insectatione libelli Enniani sicuti Lucilii erant famosi. Quomodo inscripserit ipse Ennius *saturarum* qui a grammaticis dicuntur libros, hoc traditum non est, sicuti ne de Lucilii quidem operum inscriptione constat nisi grammaticorum auctoritate multo posterioris aetatis qui modo addunt genetiuum *saturarum* modo omittunt, neque magis constat de Varronis libris (testim. XXI). At Lucilius uidetur aut *poemata* sua carmina appellasse aut *sermones* (uide ad lib. XXX u. 1013. 1039 testimon. XX) quo nomine Horatius duos libros uoluit inscribi quos saturarum libros huius aeui grammatici appellant, non ueteres grammatici. Rectius dicas Horatium quat-

tuor libros saturarum scripsisse, quorum duo extremos quia *ἐπιστολικὸν* habent omnino charactera epistularum libros uocauerit, librum alterum, quamquam suum sibi habeat charactera *δραματικόν*, tamen noluit diiungere a primo libro et utrumque appellauit *sermones.* Quo in nomine Lucilium secutus est qui item in epistolarum formam multas redegerat saturas: quod de libro V constat (uide ad lib. V u. 181 seqq.), de aliis libris licet iure suspicari.

At Senecae saturae titulus 'apotheosis Annaei Senecae per saturam' et Pescennii Festi librorum 'historiarum per saturam' (testim. XXVIII. XXIX) uidentur esse effecti ad exempla uetusta, ita ut suspiceris, cum satura Menippea auctore Quintiliano X 1, 95 (testim. XVI) ad Ennianam pertineat saturam, et Ennium carmina sua inscripsisse 'poemata per saturam' et Lucilium 'sermones per saturam': unde omnino uerbum satura quod ante Horatium (sermon. II 1, 1) non occurrat deductum esse uideatur. Veluti Caesar Octauianus saturam suam qua Pollionem lacerauit (Macrob. Saturn. II 4, 21 testim. XXVI) non hoc nomine inscripsit, sed uocauit fescenninos. Differt autem satura Lucilii ab Enniana ea tantummodo re, quod Lucilius homines potentes et humiles laesit nominatim uersibus acerbissimis, quod Ennius non fecit: congruunt in eo, quod uterque poeta uaria autoschediasmata per saturam i. e. inordinate et incomposite conscripta ediderat.

Recte igitur Kiesslingius in prolegg. editionis II saturarum Horatii p. VIIII Q. Ennium iudicat Latine reddidisse *satura* locutione Graecorum poetarum titulos, quales sunt *ἄτακτα* uel *σύμμεικτα* quibus collectiones uariorum poematum illi significabant. Quod tamen idem uir doctus iudicat Ennium hoc uocabulum ipsum formasse ita ut tacitum lectorem uoluerit supplere *poesis* cum similitudinem legis saturae lancis saturae farciminis illius spectaret, hoc, opinor, credi ideo nequit, quod docti grammatici posterioris aetatis hanc similitudinem e legum tabulis precationum formulis culinae sermone poterant complures deinceps indagare, uulgus intellegere non poterat. Qui saturam ueterem Latinorum fuisse cantilenam statuunt, ei, si cum Ennio uariorum poematum carmen antiquitus saturam fuisse iudicant, concedere debent tale carminis nomen

uix esse aptum rudi et prisco carmini gentis adhuc ferae et ineruditae, multo aptius esse poesi senescenti populi nimis iam in litteris maturi. Contra qui saturam ebriorum et saturorum cantilenam turpem esse uolunt genusque carminis apud priscos Latinos usitatum, ii hoc primum debent demonstrare fuisse tale antiquitus genus carminis; tum statuant oportet iam uetustissimum saturae auctorem Q. Ennium saturae nomen falso intellexisse et adhibuisse. Itaque cum certa certis euincere argumentis nequeam, coniecturam amplector eam quae uideatur talibus coniecturis probabilior similiorque ueri. Satura non fuit uetus Latinorum cantio fescenninorum similis pipuliue publici neque uarium significat poema neque ebriosum, sed Q. Ennius uariorum poematum collectionem quam uoluit uideri inconditam et e uestigio factam appellarat 'poemata per saturam': Lucilius nouo modo hunc titulum usurpauit cum inscriberet 'sermonum libri per saturam' quem constat lib. I u. 48 locutionem '*per saturam*' iam aduerbii instar usurpasse ueluti *inordinate et festinanter*, *ἀτάκτως καὶ ἀκόσμως* sicuti etiam Sallustius adhibuit. Quomodo e locutione *per saturam* quae erat in legibus nata est illa de lege satura grammaticorum doctrina, item Ennius et Lucilius cum *per saturam* poemata sua esse facta indicarent, inde natum est ante Horatium qui primus uocabulum exhibet saturae carminis nomen. Simili ratione neque tamen eadem scribitur *Ἄρατος ἐν τοῖς κατὰ λεπτόν*, unde postea nata sunt Catalepta Maronis. Neque enim in omnibus Lucilii libris insectatio quaedam inerat uitiorumque persecutio; sed iter Siculum libri III et elegidia in seruulos libri XXII una cum reliquis merito aliquis dixerit poemata per saturam similia Ennianorum. Hinc intellegitur, quod et Varro, cum de poesi Luciliana ageret (testim. XXV), non *satura* usus est uocabulo, sed *libellos* dixit *charactere Luciliano*, item in eiusdem generis disputatione Trebonius hoc uocabulo non usus est (testim. 71) neque Horatius libros suos inscripsit saturarum sed sermonum, et Varro et Verrius in saturae uocis interpretatione poema omnino non commemorarunt: contra Persii Iuuenalisue libros nemo umquam appellauit sermones, saturas omnes appellarunt. Itaque sicuti in grammatica, ita in poetica aetate

demum imperatorum uocis *saturae* confirmata est auctoritas.

Lucilii satura

Lingua Latina unum tantummodo habuit nomen quo poetam nominet: fescenninus uocabatur ille eiusque uersiculi fescennini. Quod uocabulum si reuera est Tuscae originis, poetae nomen apud Latinos omnino erat nullum, nam *uatis* nomen a Gallis accitum, *poetae* a Graecis. Lucilius num in saturis suis fescenninorum hic illic imitatus sit licentiam, nos diuinare non iam possumus. Saturam Romani coloris quam Plautus uel poeta quidam Plautinus inseruit Curculioni uu. 466—485 qua populum Romanum carpit uicatim sicuti postea Lucilius tributim (uide ad incert. u. 1262), eam conicias licet ad idem exemplum poeseos popularis esse compositam quod etiam Lucilius potuit aemulari. Cuius poetae in poesi multa sunt et mirabilia et obscura. Veluti secundum legem XII tabularum capite puniebantur qui malum carmen in quem condiderint (Mommsenus Roem. Strafrecht Leipzig 1899 p. 794): quare inprimis mireris poetae audaciam qui primores populi populumque arripuerit tributim, eo magis quod in scaena publice a mimo nominari noluerit (conf testim. 17). Qua in re considerandum est inprimis ciuem Romanum eum non fuisse, sed peregrinum, Italicos autem Lucilii aetate iure suo contendisse sese legibus p. R. non teneri (Macrob. Saturn. III 17, 6): posteriore demum tempore lata est lex Iulia illa quae auctore schol. Iuuen. I 162 'uiuorum uitia uetat carpi'. Excusabatur praeterea saturae acrimonia eo quod oratores non tantum in foro immodicis uti illa aetate solebant in aduersarios conuiciis, sed etiam tales orationes scriptas edere solebant 'etsi Sulla uoluit ne in quemuis inpune declamari liceret' (Cic. epist. III 11, 2). Denique ni omnia fallunt mitior in singulos annos facta est Lucilii satura. Libris XXVI—XXX Lupum uiuum et Metellum laesit et famosis uersibus cooperuit: at libro I sicuti postea Iuuenalis iam expertus est, quid concedatur in illos quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina, libro II Albucii orationem contumeliis et conuiciis plenam in Q. Scaeuolam uersibus reddere potuit inpune, libro IX Accii orthographica irrisit ioco modesto et procul qui sit a periculo uindictae.

Metra Lucilii

Etiam metrum quod saturae conueniret non statim inuenit primo conatu. Exorsus est metro omnium maxime populari et Romae postquam Saturnium rus relegauerunt et Athenis (Plutarch. Sull. cap. 2), septenario trochaico, metrorum omnium uetustissimo Graecorum, quod naturali quadam lege conformatum fuit a saltatoribus priscis temporibus et etiamnunc in nostris nostri aeui saltationibus omnium fere gentium principalem obtinet locum. Octo enim pedibus constant etiamnunc uersus omnium saltationum, tripodationes igitur uersibus constant $8 \times 3 = 24$ temporum: ad cuius uersus longitudinis spatium ante carminis Homerici tempora redactus est epicus hexameter temporum $6 \times 4 = 24$, qui saltationi numquam uidetur inseruiisse. Hoc metro usus est poeta libris XXVI et XXVII, libris XXVIII et XXVIIII praeter septenarios noua temptauit metra senarium et heroum: inde a libro XXX satura Romana continetur solo hexametro. Vnde apertum fit quam inepte Lydus de magistr. p. R. I 41 (testim. XXX) Lucilium tradat a Rhinthone exorsum esse, qui hexametris comoediam conscripserit primus. Qui cum de Pythagoreis ortam esse saturam Romanam professus sit, semidoctorum illorum somnia secutus est, qui inde a uetustissimis temporibus Graeculis credentes nugantibus Romana instituta a Pythagorae praeceptis deducebant. Cuius filius Aemylos quod Aemiliae gentis traditur fuisse princeps (Paul. ex Fest. p. 23 M. Plut. Numa 8), eam fabulam iam extitisse anno fere 554/200 testantur inscriptiones Graecae quae formam exhibeant Graecanicam *Αιμυλιος* in Dittenbergeri syllog. edit. II 268, 118. 928, 60. 588, 104.

Haec praemittenda esse duxi, non quo colligerem omnia, quaecumque inde a Casaubono de satura prolata erant iudicia a uiris doctis, sed quia Lucilii editorem aequum erat confiteri quid sentiret de hac quaestione omnium difficillima et usque ad taedium lectorum agitata.

DE VITA ET POESI C. LUCILII.

Lucilii nomen

De nomine C. Lucilii nulla est dissensio neque de patria poetae. Illud quin antiquitus usitatum fuerit apud Latinos non dubium est, cum in speculo Praenestino (CIL XIV 4104)

quod saeculi ante Christum IV esse iudicat Gustauus Koerte (specul. Etrusc. uol. V p. 201 tab. 151) scriptum legatur *Ceisia Loucilia.* Natum fuisse poetam Suessae Auruncae testis est Iuuen. I 20 (testim. 1): erat igitur Latii adiecti municeps, cum oppidum Suessa in ea regione situm fuerit, ubi populi Osci uideantur antiquitus sedes habuisse. Quod testantur non nummi Auruncorum Oscis litteris insigniti de quibus falsam uulgo ferri opinionem adnotat de Planta gramm. dial. Osc. Vmbr. II p. 647, sed Stephanus Byzantius qui s. u. *Μέντυρνα* proximum oppidum Menturnas tradat Dionysio Halicarnassensi auctore *Σαυνιτῶν* fuisse. Quod poeta Graecis litteris egregie fuit doctus, id eruditioni eius tribuendum, non Campaniae uicinitati: quod Graecis et Oscis uocabulis usus est nonnumquam (incert. u. 1249. 1318), ne eius rei quidem causam iure ponas in Campaniae uicinia, cum etiam uocabula Vmbrica Gallica Tusca Sarda Syriaca alia inueniantur in eius poematis. Quodsi Varro apud Charisium GL I p. 111, 23 K. tradit '*quando* particulam pro *cum* ponere Formianos et Fundanos', talis Latinitatis uere Auruncae uestigia extant apud Lucilium lib. V u. 182 et XXX u. 1049. Legenda sunt praeterea quae de Auruncis et de Suessa urbe enarrauit Henricus Nissen Ital. Landeskunde II 2 Berol. 1902 p. 656—667.

Patria

Sermo

Sicuti ultimus saturae scriptorum D. Iunius Iuuenalis, ita princeps C. Lucilius non erat Romae natus ubi pedestris sermonis Musae egregie fauebant nascentibus, poesis numquam suos sibi inuenit alumnos, sed homo Latinus; neque ciuis Romanus hic fuisse putandus est sed socius nominis Latini. Saturae Lucilianae reliquias cum perlustramus, mox intellegimus flagrare poetam odio uxorum et matrimonii ueluti libro XXVI et XXX passim mulierum et nuptarum castigat mores turpes et impudicos; uide quae adnotauimus ad XXVI u. 678 seqq. XXX u. 990 seqq. Contra celebrat poeta meretricum et puerorum nomina, ueluti Gentii Macedonis Agrionis Hymnidis Cretaeae, immo aetate fere exacta grandaeuus Collyrae librum dedicauit amicae XVI: ubique in poematis eius mille puellarum, puerorum mille furores. Qui cum lib. XXVI u. 684 seq. scripserit 'ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit: si secubitet, sic quoque a me, quae roget, non impetret',

facile intellegitur poetam caelibem uixisse nec umquam lectum genialem in eius atrio fuisse collocatum. Tradit Liuius XLI 8, 9 'Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut ciues Romani fierent'. Praeterea ciuitatem consequi poterant ei, qui in oppidis Latinis magistratu erant functi maiore (Appian. bell. ciu. II 26 Mommsenus de iure publico p. R. III 1 Lips. 1887 p. 639 seqq.). At Lucilius non is erat ut sese aliquem crederet 'Italo quod honore supinus fregerit heminas Auruncae aedilis iniquas'. In sociis igitur siue Italicis erit ponendus: quod nisi faciemus, multo minus amicitia illa qua cum Scipione Aemiliano sociorum patrono erat coniunctus recte poterit intellegi.

Genus

Itaque cum caelibem uixisse poetam magnopere sit probabile, fratris eius propago clara facta est et illustris matrimonio nobili. In commentario enim uetere in Horatium, unde ea quae nunc seruata sunt deducta sunt commenta, adnotatum erat ad serm. II 1, 29 et 75 Lucilium et ualde nobilem fuisse et diuitem, utpote qui auunculus maior fuerit Magni Pompei (uide testim. 2). Solus Porphyrio addit 'Etenim auia Pompei Lucilii soror fuerat'. Sed errauit ille quisquis fuit commentarii auctor, nisi quod recte fere adnotauit affinitatem illam altero sursum uersum gradu fuisse positam. Nam etiamsi uim uocabuli *auunculus maior* uariam apud scriptores fuisse enarrant lexica Latina omnia, tamen proprie dicitur auunculus magnus uel maior auiae frater sicuti Porphyrio l. s. adscripsit. Aliam tamen rationem fuisse illam affinitatis edocet Velleius II 29, 2 (testim. 3) qui matrem Magni Pompei tradat fuisse Luciliam, stirpis senatoriae. Minime tamen probabile est et auum Pompei et patrem Lucilias eiusdem nominis duxisse uxores sed errasse Horatii scholiastam sicuti Hieronymus Pacuuium falso dicit Ennii poetae ex filia nepotem, quem recte Plinius dixerit Ennii sorore genitum (Sueton. p. 36 R). Fuit igitur Lucilius poeta Cn. Pompei Magni patruus magnus siue matris eius patruus, frater Lucilii ordine senatorio et ciuis Romanus, cuius filia nupserit Cn. Pompeio Straboni cos. 665/89 anno fere 646/108, cum Cn. Pompeius Magnus natus sit anno 648/106. Cn. illum Pompeium admodum inuisum fuisse populo tradit Plutarchus Pomp. cap. 1, *αἰτία δὲ τοῦ*

Diuitiae

μὲν μίσους ἐκείνῳ μία, χρημάτων ἄπληστος ἐπιθυμία unde patet eum uxorem duxisse e diuite domo ampliterque dotatam, quippe cui non tantummodo suam partem de re patris, sed etiam de patruo caelibe hereditate obtigisse probabile sit fortunam grandem. Illa denique Magni Pompei affinitate factum est, ut grammatici domus Pompeianae ueluti Pompeius Lenaeus Curtius Nicias Pompeianorumque amici ueluti Valerius Cato inprimis Lucilio operam dederint: contra quos pugnat Q. Horatius partium Caesaris sectator acerrimus in saturis I 4 et 10. Denique si reuera poeta lib. XII u. 427 'hunc, siquid pueris nobis, me et fratre fuisset' de sua gente locutus est, duo tantummodo filios habuerat Lucilii pater: quibus si quid prima aetate acciderit, hominem quendam fidelem et integrum sororum et domus suae constituerat tutorem. Conuenit denique cum eis, quae de diuitiis et nobilitate domus Lucilianae tradita sunt, quod eques poeta stipendia meruit (testim. 9): sicuti auctore Liuio (XXIII 4, 8) inter trecentos illos equites, qui bello Hannibalico in praesidia Sicularum urbium missi sunt, 'nobilissimus quisque' erat Campanorum. Atque Suessa Aurunca iussa erat anno 550/204 sexaginta dare equites auctore eodem Liuio XXIX 15, 6 (XXVII 9, 7) quam locupletissimos (conf Stud. Lucil. Bonn. 1882 p. 92). Neque fugiet eum qui saturarum reliquias accuratius perlegerit auctorem *Praedia* fuisse hominem diuitem et pecuniosum, praediis et agris locupletem, rei rusticae gnarum (uide testim. 6 et 4: incert. u. 1246), rei equestris peritissimum et studiosissimum (uide quae diximus ad lib. XV u. 506 seqq. VIII u. 313 seqq. XXX u. 1041 seqq. incert. u. 1109), qui se ipsum lib. XII u. 428 seq. ut prodigum pecuniae descripsisse uideatur 'huic homini quaestore aliquo esse opus atque corago publicitus qui mi atque e fisco praebeat aurum': quae uerba relata esse uidentur ut patris ex ore accepta sumptum filii uituperantis. Habuisse Lucilium praedia in Sicula terra coniecimus ex lib. XXVI u. 667 ubi legenda quae in commentario exposuimus.

Familia Memoratur Lucilii dispensator infidus domino lib. XXIX u. 879 seqq., Lucilii columella fidus domino nomine Metrophanes XXII u. 580, Pacilius tesorophylax XXII u. 581, Symmachus bubulcus III u. 105, Aristocrates uilicus XV u. 512.

Quare apud Cic. de or. II 284 quae leguntur (testim. 5) 'ut Appii maioris illius qui in senatu, quom ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent "Non est" inquit "Lucilii pecus illud, erratis" — defendere Lucilium uidebatur — "ego liberum puto esse, qualibet pascitur"' non dubito quin neque ad ignotum quendam Lucilium neque ad fratrem poetae neque ad Lucullum quendam cuius nomen exhibet cod Harleianus sed ad celebrem poetam pertineant, quem Cicero in eodem opere II 253 III 86. 171 item nominet omisso praenomine. Recte igitur codd recentiores *Lucilius* ideo, quod nomen Luculli solent librarii supponere nomini poetae ueluti Apuleii (uide lib. VII u. 272) Ciceronis (incert. u. 1305). Poetam in senatu adfuisse probabile est, cum legati munere fungeretur missus uel ab ordine Suessano uel a pluribus sociorum municipiis de rebus sociorum nominis Latini (conf Mommsenus de iure publico p. R. III 2 (1888) p. 960, 4). Aduersarius eius erat Appius Claudius Pulcher cos. suffectus anni 624/130 (CIL I edit. II 1 p. 35 Muenzerus in Wissowae encyclop. s. u. Ap. Claudius 11) sicuti infestum esse poetam Pulchrorum genti cernimus lib. I u. 23. 24. Lex Thoria cum lata sit anno 640/114 (Appian. b. c. I 27 extr., 19 med. Kornemannus Beitr. z. a. Gesch. 1. Beiheft Leipzig 1903 p. 52), post anno 643/111 ea quae hodie seruata est lege agraria CIL I 200 sublata fuerit, inter annum 640/114 et 643/111 actam illam rem in senatu erit statuendum. Neque minus quam *Domus* praedia eius diuitias testantur aedes quas regales habuit Romae (uide testim. 7) de quibus mox agetur. Erat igitur Cn. Pompeius Magnus 'a materno genere municipalis, honestissimi ac nobilissimi generis' ut de Torquato ait Cicero pro Sull. 25, Lucilius poeta recte dicetur, ut M. Tullius Albius Tibullus A. Persius alii, 'municipalis eques' (Iuuen. VIII 238).

De aetate poetae non est quod dubites. Quem floruisse *Aetas* post Terentium Pacuuii Accii Afranii aequalem tradunt Gellius XVII 21, 49 Velleius II 9, 3 (testim. 8. 9). Quod Macrobius Sat. III 16, 14 C. Titium, summum oratorem, qui latam anno 593/161 legem Fanniam suasit uirum appellat *aetatis Lucilianae*, de hoc testimonio infra copiosius disputabitur.

C. Titius orator cum teste Dione Cassio (fragm. 100 B.) anno 665/89 turbas fecerit in Catonis exercitu, non potuit suadere anno 593/161 legem Fanniam neque plane aetas eius congruisse uidetur cum Lucilii aetate, sed aetate fuit orator ille inferior; neque suasisse uidetur ille legem Fanniam, sed potius laudasse illam in suadenda lege aliqua sumptuaria, ueluti Licinia, cuius etiam Lucilius meminerat in saturis (uide incert. u. 1200).

Annus quo mortuus est Lucilius

Neque de anno quo mortuus sit poeta est quod dubitemus. Positus est hic annus in Hieronymi chronicis ad annum Abrahae 1915 olymp. 169, 3, qui est u. c. 652/653, a. Chr. 102/101 (uide testim. 11), secundum codicem Amandinum; quem solum fundamentum esse in chronologia Lucilii is pro certo habebit, qui Lucretii chronologiae diligentius operam dedit. Vbi adnotat Hieronymus ex Suetonii libro de poetis: 'C. Lucilius satyrarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis XLVI'. Quem annorum numerum cum omnes testentur codices, solo in Amandino non offendit lectorem cum hic codex recte annum natalem poetae ponat ad Abrahae 1869: huc adde 46 et peruenies ad annum illum 1915, cum reliqui codd omnes aut hoc in numero aut illo uarient aut in utroque atque his uitiis rationem male perturbent. Neque est nunc quod quaeras eque labores, falsusne an rectus sit hic annorum numerus quem omnia Hieronymi confirmant testimonia. Atque in saturis quidem Lucilii, qui ultimus memoratur annus est 647/107 (uide testim. 38 incert. u. 1180. 1181). In dialogo de oratore quem habitum esse fingit Cicero anno 663/91, interlocutores inducit de C. Lucilio loquentes ut de mortuo I 72 'Sed ut solebat C. Lucilius saepe dicere ...' (incert. u. 1241 testim. 12) II 25 'Nam ut C. Lucilius, homo et doctus et perurbanus, dicere solebat ...' (lib. XXVI u. 592) III 171 'In quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius ...' (lib. II. u. 84 seqq.). Confirmari praeterea ea, quae apud Hieronymum de anno, quo poeta mortuus sit, tradita sunt a Plinio iam Gerlachius intellexit edit. p. VIII. Plinius enim nat. histor. XXXVI 185 quod tradit 'frequentata uero pauimenta ante Cimbricum (bellum) magna gratia animorum indicio

est Lucilianus ille uersus' (lib. II. u. 85), ea re probari arbitratur secundum Plinii sententiam uixisse poetam usque ad annum fere 649/105. De hoc Plinii loco postea agetur (p. XXVI: conf testim. 15). Obiit igitur poeta anno 652/102 uel 653/101.

De anno natali

Atque cum constet de anno quo obiit poeta, minus constat de anno eius natali. Quem annum notum fuisse grammaticis ueteribus inde consentaneum est, quod Horatio auctore serm. II 1, 32 (testim. 16) saturis eius factum est 'ut omnis uotiua pateat ueluti descripta tabella uita senis'. Quo testimonio apertum fit *senem* poetam non tantummodo obiisse, sed etiam scripsisse saturas suas. Coepisse poetam saturas scribere anno 623/131 mox uidebimus, desiisse eum anno 649/105. Quodsi anno 623/131 inter seniores aetate erat numerandus, natum eum fuisse suspiceris anno fere 573/181. Tamen longe alium annum natalem tradit Hieronymus (testim. 13), qui ad annum Abrahae 1869 i. e. 606/148 uel 607/147 adnotarit 'Lucilius poeta nascitur', ad illum annum quo obiit 652/102 uel 653/101 addiderit congruenter 'anno aetatis XLVI' poetam decessisse. Atque cum satis copiose Hieronymus de Lucilio egerit ad annum quo mortuus est, illi anno quem natalem eius dixit nihil nisi nomen apposuit gentilicium: unde apparet utro loco Suetonii librum ipsum inspexerit et unde profectus sit in aetate poetae definienda. Recte eum tradere de anno mortis, falso de anno natali et de aetate poetae consentiunt uiri docti. Nam Lucilium puerum XIV annorum equo meruisse bello Numantino (testim. 9) nemo credet neque Aemiliani amicum summum fuisse annorum XIX uel XVIII eo anno, quo mortuus est Scipio. Abiciendum erit Hieronymi de natali poetae testimonium. Consules A. Postumium Albinum C. Calpurnium Pisonem anni 574/180 positos fuisse apud Suetonium, quo loco de anno natali poetae ageret, coniecit M. Hauptius (annal. philol. CVII 1873 p. 72. 365), sed consules Sp. Postumium Albinum L. Calpurnium Pisonem anni 606/148 idem arbitratur intellexisse perperam Hieronymum, cum parum curaret praenomina: unde illum uitiosum annorum XLVI numerum eum deduxisse. Qua coniectura nil probabilius.

Quo tempore Romam uenerit

Aequalis igitur fere erat P. Cornelii Scipionis Aemiliani qui natus erat anno 569/185 (Cic. de rep. I 23 Liu. XLIV 44, 3): Caietae Scipionem et ad Lauernium praedia et uillas habuisse quae regiones prope absunt a patria Lucilii testantur Cic. de orat. II 22 de fato fragm. 5 ap. Macrob. Sat. III 16, 3. Quo tempore nactus sit uiri primarii amicitiam non traditur. Sicuti de aliis poetis, ita de Lucilio quoque egerat Atticus in annali et certum aetatis annum de uita poetae eruisse eum conicias ex titulo operis et ex eius reliquiis. Adnotat enim Asconius in Ciceronis Pisoniana p. 12, 9 K. S. (testim. 7) 'Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annali (fragm. 6 Peter.), quae postea dicitur Lucilii poetae fuisse'. Antiochus est Magnus ille quem L. Cornelius Scipio uicit anno 564/190: filius est Antiochus IV Epiphanes, qui per annos XIV obses Romae commoratus est, nobilissimo cuique amicus, a senatu comiter tractatus et humane (Liu. XLII 6, 9). Anno 579/175 fratris filius Demetrius obses Romam missus est, ille domum remissus (Appian. Syr. 45). Mansit Demetrius Romae usque ad annum 592/162, quo anno Polybii opera adiutus aufugit quam rem lepidissime narrauit historicus lib. XXXI cap. 19 seqq. Atque coniunctum eum fuisse amicitia cum Scipione Aemiliano Polybii amici persona indicio est. Domum autem illam C. Lucilius paulo post annum 592/162 emisse uidetur censoribus P. Cornelio M. Popillio anno 595/159 cuius magistratus fuerit aedes publicas uendere (Mommsenus de iure publ. p. R. II 1 (1887) p. 438). Quam domum senatus uendidit haud inuitus. Nempe patebat fuga Demetrii Romae obsides parum esse tutos quos satius erat tenere in municipiis ueluti Albae Fucenti alibi (conf Mommsenus de iure publ. p. R. III 2 (1888) p. 1110, 2). Simili ratiocinatione usum fuisse Atticum in annali probabile est quae ea re tantummodo incertior possit uideri quod domus illius regiae inter Demetrium et Lucilium alium interpositum fuisse domnaedium conicias. Neque tamen Asconii uerba ea sunt quibus talem sententiam putes commendari. Domum igitur regiam habuit Lucilius Romae ubi de nimia mercede aedium conducticiarum illo tempore rex Ptolemaeus conquestus est auctore Diodoro XXXI 18, 2.

Bellum Numantinum

De rebus gestis Lucilii et de uita eius qualis fuerit ante bellum Numantinum, nihil traditum est apud antiquos: bello Numantino eques ille militauit auctore Velleio II 9, 3 (testimon. 9), annorum si recte natalem supra posuimus XLVI. Fuit igitur in Hispania annis 620/134 et 621/133 menses XV (Vellei. II 4, 2), Scipionis Aemiliani contubernalis, unde rediit auctumno anni 621/133 Romam (uide ad lib. XXVI u. 592 seqq.). Stipendia meruit in Hispania poeta, quo magis Scipioni placeret, cui opus erat non solum milite et equo sed inprimis nummo. Traditur [Plut.] apopthegm. Scip. min. 15 *'ὡρμημένων δὲ πολλῶν ἐπὶ τὴν στρατείαν, καὶ τοῦτο διεκώλυσεν ἡ σύγκλητος ὡς ἐρήμου τῆς Ἰταλίας ἐσομένης. καὶ χρήματα λαβεῖν τῶν ἑτοίμων οὐκ εἴασαν, ἀλλὰ τὰς τελωνικὰς προσόδους ἀπέταξαν οὔπω χρόνον ἐχούσας. ὁ δὲ Σκιπίων χρημάτων μὲν οὐχ ἔφη δεῖσθαι, τὰ γὰρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν φίλων ἐξαρκέσειν:* in quibus amicis Lucilium diuitissimum fuisse consentaneum est. Atque de cohorte praetoria, de militum quos Scipio coercuit luxuria desidia superstitione, de fortiter factis et ignaue, de Hibera terra passim in saturis egerat poeta: uide ad lib. I u. 10 VII u. 288 seq. XI u. 398 seq. 405 seq. XV u. 490 XIV u. 467 seqq. Equitibus praeerat P. Rutilius Rufus historiarum scriptor (Appian. Iber. 88: uide ad lib. XXVI u. 594), tribunus militum qui esset ut Sempronius Asellio historicus in exercitu Scipionis (Gell. II 13, 3): una merebat C. Gracchus (Plut. Ti. Gracch. 13, 1), illuc elephantos et leuem armaturam adduxit Iugurtha qui et Latine loqui didicit in castris (Sallust. Iug. 101, 6) et Romae omnia uenalia esse ex amicis illic accepit (Sallust. l. s. 20, 1): Latinorum clarissimi erant C. Marius Arpinas (Vellei. II 9, 4) et C. Lucilius Suessanus. Anno 622/132 triumphauit P. Scipio de Numantinis C. Lucilii patronus, eodem anno L. Accii patronus D. Iunius Brutus de Callaicis (Eutrop. IV 19).

Scipio et Lucilius ubi redierunt Romam ex Hispania, occiso Ti. Graccho in magnas uterque delati sunt turbas et pericula. Ille infestus plebi et Gracchanis cottidie magis odio erat multitudini et populo Romano, hic cum et inter socios fuerit et nominis Latini sollicitus esse debebat de praediis suis et suspectus populo propter diuitias. Tresuiri enim agris

dandis adsignandis iudicandis neque publico agro in terra sociorum neque priuato parcebant dum plebi comes et munifici uiderentur: ubique turbae querelae lites innumerae ea re exortae quas enarrat Appianus bell. ciu. I 18 (Zeitschrift f. d. gebild. Welt IV 1883 p. 230). Idem cap. 19 pergit hoc modo: *ταῦτά τε δὴ καὶ τὰς ἐπὶ τούτοις τῶν δικαζόντων ἐπείξεις οὐ φέροντες οἱ Ἰταλιῶται Κορνήλιον Σκιπίωνα, ὃς Καρχηδόνα ἐπόρθησεν, ἠξίουν προστάτην σφῶν ἀδικουμένων γενέσθαι. ὁ δ' ἐς τοὺς πολέμους αὐτοῖς κεχρημένος προθυμοτάτοις ὑπεριδεῖν τε ὤκνησε . . . καὶ μῖσος ἐντεῦθεν ἤρξατο ἐς τὸν Σκιπίωνα τοῦ δήμου καὶ ἀγανάκτησις, ὅτι αὐτὸν ἀγαπήσαντες ἐπιφθόνως . . . ὕπατόν τε δὶς ἑλόμενοι παρανόμως ὑπὲρ τῶν Ἰταλιωτῶν ἀντιπεπραχότα σφίσιν ἑώρων.* Non dubium est, quin Lucilio inprimis rogante patrocinium sociorum susceperit Scipio quem Lucilius quo iure incert. u. 1138 'Cornelius Publius noster Scipiadas' dixerit in commentario pluribus exposuimus. Publico funere postea quod de decurionum decreto elatus est poeta Neapoli, id factum esse apparet et ob munificentiam hominis diuitis erga oppidum, in quo diem supremum obiit, et ob merita eius in socios Italicos. Itaque quam sectam et factionem in republica secutus sit poeta, non est quod exponatur pluribus: infestus erat Gracchanis, nobilitatis fautor, inprimis Scipionis partibus addictus, sicuti debebant esse socii et nomen Latinum (Sallust. Iugurth. 42, 1 Cic. Phil. VIII 4, 13 de rep. III 29, 41). In his turbis litibus querelis clara illa nata est satura Lucilii. Constat enim et de anno quo exorsus sit poesin suam noui generis nec minus de anno quo stilum deposuerit.

Quo tempore saturas scribere coeperit

Atque Velleius II 9, 3 (testim. 9) cum scribat 'celebre et Lucili nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militauerat' plusquamperfectum cum posuerit, dilucide ille indicauit Lucilii poetae nomen saturis inclaruisse, postquam rediit e bello Numantino. Itaque ante annum 622/132 saturas nondum emiserat poeta quam sententiam eae, quae saturarum extant reliquiae, plane confirmant.

Quo tempore desierit carmina facere

Neque quo tempore desierit carmina facere obscurum erit. Plinius nat. hist. XXXVI 185 de pauimentis ita tradit 'Romae scutulatum in Iouis Capitolini aede primum factum est post tertium

bellum Punicum initum, frequentata uero pauimenta ante Cimbricum magna gratia animorum indicio est Lucilianus ille uersus (lib. II u. 85) "arte pauimento atque emblemate uermiculato" '. De re ipsa perperam iudicauit Plinius: sed quo tempore Lucilius scripserit, id edidicerat grammaticus et historicus ex doctorum libris, quod intellegi potuerit e prohoemio quod Lucilius libris I—XXI praeposuerat a se ipso editis (uide ad lib. I u. 1). Atque cum Cimbris quidem primum pugnatum est C. Caecilio Cn. Papirio coss. anno 641/113; Plinius quoque nat. hist. II 148 complura distinguit bella Cimbrica cum scribit 'Armorum crepitus et tubae sonitus auditos e caelo Cimbricis bellis accepimus' XVI 132 'Factum hoc populi Romani Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriae in luco Iunonis ulmo' (anno 650/104: Obsequ. 43 (103)). Sed Cimbricum bellum cum singulariter appellet Plinius, id manifesto spectat quod gestum est inde ab anno 649/105 usque ad annum 653/101 sicuti iam Gerlachium iudicasse supra indicatum est. Liu. per. 67 'Marius triumphali ueste in senatum uenit . . . eique propter metum Cimbrici belli continuatus per complures annos est consulatus (anno 650/104)' Plin. nat. hist. XXII 11 '. . . contigit eius coronae honos . . . centurioni uero uni ad hoc tempus Cn. Petreio Atinati Cimbrico bello. primum pilum is capessens sub Catulo e. q. s. (652/102)'. Itaque celebre nomen fuisse Lucilii Romae statuendum erit inde ab anno 622/132 usque ad annum 648/106 et per hoc spatium poetam XXX uolumina saturarum composuisse: cenam Granii quam bis narrauerat poeta Romae actam fuisse constat anno 647/107 (uide incert. u. 1180).

Lucilius in scaena laesus ab histrione

Qua aetate clarissimi erant poetae Romae L. Accius et C. Lucilius: utrumque mimus quidam in scaena ita tunc contumeliose laesit, ut et tragicus et quod mireris Aristophanis ille imitator Lucilius iniuriarum cum eo ageret (rhet. ad Her. II 13, 19 extr. I 14, 24 pr.: testim. 17). Neque tamen mirandum absoluisse iudicem C. Caelium eum qui Lucilium laeserat, condemnasse iudicem P. Mucium histrionem illum qui Accio maculam publice imposuerat. Absoluit nimirum ille ideo, quod saturis suis homines ille nominatim insectatus erat passim; unde causam illam post editos libros XXVI—XXX,

annum dico 624/130, actam fuisse statuendum erit, ante annum 639/115 quo censores L. Metellus Cn. Domitius artem ludicram ex urbe remouerunt quos offensos fuisse conicias tali licentia scaenica. *Clitomachi amicitia* Sed etiam Athenis Atticis bene notum fuisse Lucilium inde intellegitur quod Clitomachus Academiae antistes librum ad eum misit, cuius argumentum exponit Cicero Acad. II 32, 102 seqq. (uide testim. 18): Academiae historiam anno fere 624/130 exponit Lucilius lib. XXVIII u. 754 seqq.: neque tamen, quo tempore librum illum ediderit Clitomachus, accuratius poterit definiri nisi quod certum est scriptum illum fuisse ante Clitomachi obitum i. e. annum 644/110 (conf S. Meklerum Acad. ind. Herculanens. p. 120), tum probabile uidetur gratiam poetae petisse philosophum Scipione etiamtunc uiuo apud quem plurimum ille honore et auctoritate polleret. Scipionem clarae illius legationis principem (uide ad lib. XIV u. 464 seq.) quam anno fere 615/139 confectam esse statuimus, laudauit teste Posidonio (Plut. cum princ. esse philos. 1 p. 777 A) uersu Homerico '*ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα* (apopthegm. Scip. min. 13 p. 200 E.), Romae fuerat anno 599/155 (Cic. Acad. II 137) ubi familiaritate Lucilii philosophum usum fuisse ueri simillimum est.

Itaque anno 649/105 poeta Roma cessit et Neapolim se contulit, ubi uitae et otii quod esset reliquum, transigeret quietus. Neque fugiet lectorem quare in illam potissimum transierit regionem. Passim in saturis conqueritur de ualetudine (uide ad lib. V u. 181 seqq.): anno fere 638/116 sese morti proximum fuisse scribit ad amicum lib. V u. 182, ubi uide quae adnotauimus. Scribit Cicero (ad Att. XIV 17 A. epist. IX 14) ad Dolabellam e Pompeiano l. s. 1 'Sunt enim permulti optimi uiri, qui ualetudinis causa in haec loca ueniant' et 3 'L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim uenissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus' . . . e. q. s. Eodem eadem de causa secessit Silius Italicus poeta de quo Plinius epist. III 7 'Modo nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia finisse uitam: causa mortis ualetudo . . . (6) nouissime ita suadentibus annis ab urbe secessit seque in Campania tenuit' (conf Strab. V p. 246). Graecae urbis magistratus poetam Latinum magno

in honore habebant, mortuum publico funere iusserunt efferri sicuti Tarentini Eucratidam philosophum Epicureum (Dittenbergeri syllog. inscript. Graec. ed. II 883). Sepultus igitur erat Lucilius quem Quintiliano teste multi principem poetarum Latinorum fuisse iudicarunt (testimon. 48) in eadem regione et terra, qua P. Vergilius.

De singulorum librorum temporibus Lucilius igitur natus fere anno 574/180, mortuus anno 652/102 reliquit poematum libros XXX, quos in tria corpora dispertitos fuisse contra editores nouissimos, Lachmannum et in hac quidem re eius sectatorem Muellerum, qui duo uolumina antiquitus fuisse sumant exposui stud. Lucil. p. 86. Atque recte quidem Lachmannus statuit (Kl. Schr. II p. 62) Nonium duobus corporibus esse usum: quorum alterum libros XXV inde a primo complectens adhibet cum dicit *Lucilius satyrarum libro*, altero libros XXVI—XXX continente utitur, cum simpliciter scribit *Lucilius libro* (Muelleri edit. p. XVIII). Tamen sicut corpus illud posterius Lucilii non ex V libris continentibus constat, sed librum XXX *μονόβυβλον* esse multi dixerunt (conf ad lib. XXX praefatio, Schoenbeckius apud Corpetum edit. p. 197: Muelleri edit. p. IX), ita Nonii corpus prius libros I—XXV continens deinceps diuidendum est in duo corpora quorum alterum libros I—XXI, alterum XXII—XXV complectitur. Illud corpus librorum XXI inprimis lectitabatur ueluti Gellius hoc corpore solo uti uidetur cum laudet libros I—XX solos et Varro ipse sine dubio idem hoc dicit de l. L. V 17 'A qua bipertita diuisione Lucilius suorum *unius et uiginti* librorum initium fecit hoc' (lib. I u. 1). Vbi quominus *quinque et uiginti* cum Lachmanno corrigatur impedit uel id, quod cum libri XXI omnes conscripti sint heroico metro, libro XXII manifesto erant uersus elegiaco metro compositi: itaque uel metro liber XXII et sequentes a prioribus secernuntur. Praeterea secernitur lacuna. Neque enim quisquam arbitrabitur casu esse factum, quod libri illius XXI nullum hodie extat fragmentum, sed ideo, quod in fine corporis illius positus erat librorum XXI, aut neglegebatur ille a grammaticis ut ultimus omnium prae antecedentibus, aut omnino perierat, ita ut exemplar illud, cuius apographis usi sunt grammatici

saeculo p. Chr. II ineunte, non iam exhibuerit librum XXI. Quod multo sane probabilius. Erat igitur liber ille similis archetypi codicum Palatinorum Plauti, qui fabularum XXI ultimam perdiderat Vidulariam quam fabulam ut ultimo loco positam neglegunt Varro in libro de l. Lat. et Verrius Flaccus apud Festum. Denique librum XXII noui corporis initium fuisse ipsae reliquiae demonstrant quae satis copiosae ex hoc libro seruatae sint cum ex XXIII unus uersus, ex XXIV nihil sit seruatum, de duobus uerbis e libro XXV adlatis est quod dubites (uide ad lib. XXII u. 579 seqq. XXV u. 586). Itaque magna lacuna separati libri I—XXI a XXII—XXV, maiore lacuna hi distincti sunt a libris XXVI—XXX.

De tempore librorum XXVI—XXX

Neque tamen tria ista corpora, quae e saturarum reliquiis ipsis facile possunt opera lacunarum et metrorum discrepantia discerni, secundum temporum rationem disposita sunt, sed ut Lachmannus recte statuit libri inde a XXVI priores tempore sunt antecedentibus. Argumentum quidem illud, quod Muellerus edit. p. IX affert mihi dubium uidetur et parum certum: uide quae adnotata sunt ad lib. VII u. 276 XXIX u. 895. Sed certa huius sententiae extant argumenta haec:

Liber I ut intellegitur u. 31 post Carneadis mortem h. e. post annum 625/129 uel 626/128 compositus est. Atqui Horatius serm. II 1, 63 seqq.

> Quid? Cum est Lucilius ausus
> primus in hunc operis componere carmina morem . . .
> . . . num Laelius et qui
> duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
> ingenio offensi aut laeso doluere Metello
> famosisque Lupo coperto uersibus?

Aemilianus autem obiit eodem anno quo Carneades Tuditano et Aquillio coss. (Cic. de nat. deor. II 14) nec multo post Laelius (conf interpp. ad Cic. Lael. 104): ergo qui Lucilii poemata potuere probare hi uiri, si iam ante primum editum decessere? Quominus Horatium dicas errare, prohiberis non tantum ipsius insigni doctrina, sed etiam his Cic. de fin. I 7 (lib. XXVI u. 594): 'Nec uero ut noster Lucilius recusabo, quominus omnes mea legant. Vtinam esset ille Persius! Scipio uero et Rutilius multo magis, quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere'. Itaque statuendum est primum, neque Scipionem neque Laelium uidisse saturarum libros XXI priores ordine, sed fuisse aliud corpus saturarum quod illi legerint et probarint, deinde hoc corpus non posse non esse libros XXVI—XXX. Nam ut expositum est ad uu. 587—596, libro XXVI de nouae suae poeseos ratione Lucilius agit quasi ad scribendas saturas primum aggrediens. Liber igitur XXVI omnium primus compositus est. Quando uero Lucilius coeperit saturas scribere, apparet lib. XXVI uu. 620. 621:

> hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat:
> percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane.

Tanguntur aperte res ante Numantiam gestae. Cornelius Scipio Numantiam euertit anno 621/133: reuertit igitur Lucilius cum imperatore eodem anno, anno 622/132 currum triumphantis secutus est cum exercitu uictore. Non errabimus, si anno 623/131 librum XXVI editum esse ponemus, quia certa uestigia in illo libro extant, quibus ad res anno 623/131 gestas deducimur: uiuum praeterea Scipionem ab amico libris XXVI—XXIX leniter castigatum ob sermonis Latini nimiam elegantiam uersibus septenariis apparet incert. u. 963 seq. quibus illum *pertisum* maluisse dicere quam *pertaesum* per iocum significauit Lucilius. Tum librum XXVII ad P. Scipionem esse scriptum ostendimus in commentario ad u. 688.

Recte si disputauimus, necesse est insit libris XXVI—XXIX — tricensimum enim secernere malo — et Lupus laesus et Metellus secundum uerba Horatii. Ac Lupus quidem ut malus iudex carpitur libro XXVIII u. 784 seqq.: de Metello scholiasta anonymus (testim. 30. 35) ad Hor. serm. II 1, 67 et 72, cui satis scientiae fuisse de Lucilii saturis postea apparebit, loco priore adnotat: 'Metello: Macedonici filius', loco posteriore Q. Caecilium Metellum Macedonicum, Scipionis inimicum a Lucilio laesum esse dicit. Metellum Caprarium Macedonici filium a poeta irrisum esse probauit Schmidtius de libro IX Lucilii p. 8 (conf quae adnotauimus ad incert. u. 1130 lib. V u. 210 seq.) neque ego negauerim: puto tamen

Caprarium laesum esse potius in libris ordine prioribus, quia fragmenta quae ad illum referuntur a doctis, in libris illis inueniuntur. At in eis libris, quos Scipio uidit, Macedonicum ipsum a Lucilio esse castigatum ad u. 72 idem scholiasta certe hoc loco doctissimus — nam illam de Lucilio Scipionem mappa ferituro narratiunculam (testim. 28) fingere non potuit (conf Cic. de or. II 22) — tradit his uerbis: 'Caecilius Metellus consularis. Hic ⟨*III*⟩ filios consulares uidit et ab ipsis elatus est ... Potens fuit temporibus Scipionis Africani ... Lucilius eum in gratiam Scipionis carpsit'. Ante *filios* inserui *III*, conf Cic. de fin. V 82 'Q. Metellus qui tres filios consules uidit ... quartum autem praetorem' e. q. s. Val. Max. VII 1, 1 '(Fortuna) fecit ut (Q. Caecilius Metellus Macedonicus) eodem tempore tres filios consulares ... et quartum praetorium uideret' (Plut. de fort. Rom. 4 p. 318 C Plin. VII 142 Vell. I 11 Cic. Philipp. VIII 14 Brut. 81. 212). Scipionis aduersarium eum fuisse tradunt Cic. de rep. I 31 de am. 77 de off. I 87 Val. Max. IV 1, 12 [Plut.] apopth. Metelli 3. Nec Lucilius qua fuit ingenii natura Metellum Macedonicum non laedere potuit. Librum XXVI anno 623/131 editum esse posui: quod si obseruamus multo maius pondus inest profecto omnibus libri illius uersibus, quibus de uxorum molestiis agit poeta, praecipue illis (678. 679)

> homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt,
> ducunt uxores, producunt, quibus haec faciant, liberos.

Animaduertas enim, Macedonicum illum censorem anno ipso 623/131 censuisse, 'ut cogerentur omnes ducere uxores liberorum creandorum causa' ut Liu. per. 59 tradit: dein pergit 'Exstat oratio eius quam Augustus Caesar, cum de maritandis ordinibus ageret, uelut in haec tempora scriptam in senatu recitauit'. Suet. Aug. 89 'Libros totos et senatui recitauit et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda'. Gell. I 6 'Multis et eruditis uiris audientibus legebatur oratio Metelli *Numidici*, grauis ac diserti uiri, quam in censura (anno 652/102) dixit ad populum de ducendis uxoribus, cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur': ubi Gellium errasse et *Macedonici* scribendum esse quamquam

uerisimile est, tamen necessarium non est. Nulla fortasse res magis Lucilium impulit ut saturas scriberet quam illa Macedonici oratio, eius censoris qui Lupum principem senatus legit eodem anno quo Lucilius librum primum (i. e. XXVI) composuit 623/131 (uide infra p. XXXVI). Etenim in omnibus Lucilianae poeseos partibus elucet quantopere Lucilius uxores oderit, amicas amet uelut librum XVI post annum 638/116 aliquanto editum de Collyra amica sua scripsit annos natus fere LXX. Similem *εὐθυρρημοσύνην* prae se fert in eis quae de Hymnide et Cretaea (uide incert. u. 925) narrat libris ut uidetur XXVI—XXX. Contra acerbissima satura uxorum mores perfidos et improbos castigauit libro XXVI, imprimis libro XXX, quem ex 'libro aureolo Theophrasti de nuptiis' (Senec. frg. 47 H.) exscriptum credideris, tanto uxorum odio flagrat. Adde quod tale poeseos argumentum minime poterat ingratum esse aut odiosum Scipioni amico qui infaustis ominibus matrimonio iunctus erat cum Sempronia uxore *ἣ τῷ Σκιπίωνι γαμουμένη διὰ δυσμορφίαν καὶ ἀπαιδίαν οὔτ' ἐστέργετο οὔτ' ἔστεργεν* ita ut necatum maritum fuisse probante uel adiuuante Sempronia a posteris credi potuerit (Appian. b. c. I 20 Liu. per. 59 extr.). Inquinata nimirum est tota poesis Lucilii puerorum amoribus unde Afranii saeculum agnoscas et scortorum: uxores contra et matrimonium ubique carpit maligne ueluti lib. XV u. 504 seq.

> cum tecum est, quidquid satis est: uisuri alieni
> sint homines, spiram, pallas, redimicula promit.

Romani uero illo tempore quantopere liberis quaerendis operam dederint, nulla re magis fit apertum quam Cn. Cornelii Scipionis titulo cui pro merito inscripta sunt insigni uerba illa 'progeniem genui' (CIL I 38 Buecheleri Carm. Lat. epigraph. II 958) tempore fere belli Numantini. Recte igitur scholiasta anonymus ad Hor. l. s. s. carpsisse poetam Macedonicum 'in gratiam Scipionis', i. e. Scipione uiuo: Scipione enim mortuo hominem potentissimum a Lucilio castigatum fuisse publice uel ideo probabile non est, quod de mortui Scipionis meritis et egregie factis admodum humane et pulchre publice locutum fuisse Metellum Macedonicum tradunt antiqui: Valer. Max. IV 1, 12 'Acerrime cum Scipione

Africano ⟨*Metellus*⟩ Macedonicus dissenserat eorumque ab aemulatione uirtutis profecta concitatio ad graues testatasque inimicitias progressa fuerat. Sed tamen cum interemptum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit maestoque uultu et uoce confusa "Concurrite, concurrite", inquit, "ciues! moenia nostrae urbis euersa sunt: Scipioni enim Africano ... nefaria uis allata est" ... Idem filios suos monuit ut funebri eius lecto umeros subicerent atque ... adiecit, non fore ut postea id officium ab illis maiori uiro praestari posset' (Plin. nat. hist. VII 144 [Plut.] apopthegm. Metelli 3). Sed non solum Metellus ille, sed censores ambo anni 623/131 Aemiliano inimici fuere et Metellus Macedonicus et Q. Pompeius Rufus (apopth. Scip. min. 8): itaque etiam Lupus ab his princeps senatus lectus (uide infra p. XXXVI) a Scipionis parte non erat. Totus enim senatus in duas partes discissus erat: conf Cic. de rep. I 31 'Quid enim ... nepos ... non quaerit, cur in una republica duo senatus et duo paene iam populi sint? Nam, ut uidetis, mors Ti. Gracchi et iam ante tota illius ratio tribunatus diuisit populum unum in duas partis, obtrectatores autem et inuidi Scipionis, initiis factis a P. Crasso et App. Claudio tenent nihilo minus illis mortuis senatus alteram partem dissidentem a uobis auctore Metello et P. Mucio' e. q. s.

Fragmenta librorum XXVI—XXX quantum ego quidem uideo nusquam sunt indicio, scriptos eos libros fuisse post Scipionis mortem. Sed si libros XXVI primum omnium et huius quidem corporis nouissimum XXX perlegeris, in uxorum moribus castigandis summam esse similitudinem, quae inter utrumque intercedat facile inuenies, ita ut libro XXX suspiceris poetam illic contra obtrectatores Metellique amicos sese purgasse de eis quae inde a libro XXVI contra matrimonium protulerit legitimum. Concedes denique, ut erat Lucilii animus, in hoc genere nihil fuisse tum aptius quod satura laceraret quam Macedonici illam de ciuibus uxores ducere cogendis orationem eamque cum id genus tractaret tetigisse Lucilium utique. Itaque libri XXVI—XXIX et fortasse una XXX Scipione Laelioque uiuis scripti sunt annis 623/131 624/130 625/129 cum L. Cornelius Lupus princeps senatus Q. Metellus

Macedonicus censor esset. Post Scipionis mortem anno 625/129 longius interuallum scribendi poeta fecit: neque enim libros XXIX et XXX cum in hoc de ducendis uxoribus agatur longius remouerim ab anno 623/131 uel 624/130 neque tres tantum libros a Scipione cognitos statuerim. Denique uel ordinem librorum Lucilii conicias Horatium illo loco spectasse sicuti Persium (testim. 29. 32), cum priore loco nominet Metellum, posteriore Lupum, quem libro XXVIII a poeta lacessitum fuisse testantur eius libri reliquiae.

Scipionis mors

Anno 625/129 Scipio Aemilianus mortuus est, socii optimo patrono casu funesto sunt orbati. Saturae locus non erat ea aetate quae illum annum subsecuta est. Populus mortuo iratus eiusque amicis: *καὶ οὐδὲ δημοσίας ταφῆς ἠξιοῦτο, μέγιστα δὴ τὴν ἡγεμονίαν ὠφελήσας· οὕτως ἡ παραυτίκα ὀργὴ τῆς ποτὲ χάριτος ἐπικρατεῖ* (Appian. bell. ciu. I 20 extr.). Quae annis inde a 625/129 usque ad 628/126 a poeta gesta fuerint, de ea re nihil potuit indagari.

De libris I—XXI

Itaque cum de libris XXVI—XXX actum sit, restat ut agatur de libris I—XXI, quos Scipio non uiderat. In quibus libris sermonis et metricae rationis diuersitatem quandam licet animaduertere. Veluti cum lib. XXVIIII u. 864 *contrā* trochaei loco more ueterum poetarum inueniatur adhibitum, incert. u. 1335, quos uersus iure libris I—XXI attribuas, more posterioris poeticae ponitur pro spondeo. In quibus tractandis ea sententia tamquam fundamento nitar disputationis, quam ueram esse saturarum libri Horatii duo arguunt et Iuuenalis libri V: singulos uniuscuiusque censeo corporis libros sese excepisse temporis ordine seruato, ideo quod haec sententia libris I—XXI, ubicumque de tempore aliquid potest erui, aperte confirmatur. Atque primum de tempore libri I erit agendum. *De tempore libri I* Cuius de argumento Seruius ad Aen. X 104 haec tradit 'Totus hic locus de primo Lucilii translatus est (u. 3), ubi inducuntur dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam ... postea sententias dicere. Sed hoc, quia indignum erat heroo carmine mutauit et induxit primo loquentem Iouem de interruptis foederibus, cuius orationem interrupit Venus, post secuta Iunonis uerba sunt, quibus redarguit Venerem. Vnde nunc Iuppiter illud quod omiserat reddit dicens: ergo quo-

niam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus, accipite'. Proximum est quaerere quisnam fuerit Lupus ille, de cuius interitu deliberant, dein quonam tempore concilium deorum habitum finxerit poeta. Fuisse eum P. Rutilium Lupum iudicant Porphyrio ad Hor. serm. II 1, 68 Dousa van Heusdeus. Quos errasse manifestum est. Oportet enim intellegamus hominem potentem aliquem a Lucilio impugnatum: at P. Rutilius Lupus cos. 664/90, qui solus si Porphyrio non errauerit in censum uenit, eo tempore quo Lucilius de morte Lupi scripsit, nondum adultus erat. Itaque recte Popma ni fallor primus intellexit decipi a Porphyrione uiros doctos et proposuit carptum a Lucilio L. Cornelium Lentulum cos. 598/156 cens. 607/147, de quo nonnulla tradita sunt ad titulum Ter. Heaut. Polyb. XXXI 23, 9 CIL I 201 Cic. Tusc. III 51 Brut. 79 Val. Max. VI 9, 10 Fest. p. 285 M. nihil pertinentia ad Lucilium. Sed quae adscripta sunt ad Hor. serm. II 1, 67 in codice Parisino 7975 γ Hauthalii, cuius praestantiam multis exemplis licet cognoscere, ea summi pretii esse neque omnino a scholiasta potuisse fingi patet: dicit enim haec: '*Offensi: Laesi. Num inimici ipsius facti sunt aut propter Lupum, aut propter Metellum. Lupus princeps fuit senatus*'. Scholiastam qui omnino Porphyrione doctior sit ubi de Lucilio agitur, hoc finxisse utique negandum est: neque enim est unde potuerit fingere. Legebatur princeps senatus quinto quoque anno a censore plebeio collega patricius, quod patricii tantum illo munere functi uidentur esse (Mommseni Roem. Forsch. I p. 94). Atque anno 623/131 'Q. Pompeius Q. Metellus tunc primum uterque ex plebe facti censores lustrum condiderunt'. (Liu. per. 59). Qui ideo L. Lentulum Lupum patricium legerunt principem senatus, cum App. Claudius censor patricius anno 618/136 et inde princeps senatus (Plut. Ti. Gracch. 4 Appian. b. c. I 18) circa annum 621/133 decessisset, sine dubio morem antiquum secuti, ex quo censores, qui primus patriciorum censor ex eis, qui uiuerent, fuisset, hunc principem senatus legebant. (Liu. XXVII 11, 10). Princeps senatus qui lectus erat, nisi senatu mouebatur fungi solebat hoc munere usque ad mortem per omnia quae sequebantur lustra: quod apertum fit e Liu. XXXIX 52: 'Scipionem et Polybius et Rutilius hoc

anno mortuum scribunt. Ego neque his neque Valerio adsentior, his, quod censoribus M. Porcio L. Valerio L. Valerium principem senatus ipsum lectum inuenio, cum superioribus duobus lustris Africanus fuisset, quo uiuo, nisi ut ille senatu moueretur, quam notam nemo memoriae prodidit, alius princeps in locum eius lectus non esset'. Lupus senatu motus Lucilii tempore non est: nam anno 624/130 siue 625/129 quo fere tempore libri XXVIII uu. 784 seqq. scripti sunt, luditur a poeta ut iudex rigidus: quo munere ille non esset functus, si senatu esset motus. Tum ex Ciceronis scriptis nouimus *P.* Cornelium Lentulum cos. 592/162 fuisse principem senatus anno 633/121 quo ipse annos natus circiter octoginta quattuor et complures alii summi uiri armati C. Gracchum in Auentinum persecuti sunt. Quo in proelio graue uulnus accepit (Cic. Phil. VIII 14). Quaeritur utrum hic P. Lentulus in senatus principatu illi L. Lentulo successerit lectus a censoribus anni 629/125 Cn. Seruilio Caepione L. Cassio Longino, an hi censores alium quendam legerint hominem ignotum, P. Lentulus demum lectus sit a censoribus lustri insequentis. Atque illi censores anno 629/125 (Frontin. de aqu. 8) munere functi sunt censorio, anno 630/124 C. Gracchus e Sardinia redux orationem habuit apud eos clarissimam (Meyeri or. R. fragm. edit. II p. 230): itaque exeunte hoc anno lustrum est conditum. De proximi lustri anno non constat neque de censorum nominibus, in quibus Q. Caecilium Metellum Balearicum fuisse certum est, eum qui procos. triumphauit anno 633/121 teste tabula Capitolina, L. Calpurnium Pisonem alterum censorem fuisse admodum probabile. Quos censores munus iniisse anno insequenti 634/120, lustrum condidisse anno 635/119 omnes fere edocent historici, ita ut V annorum spatium inter hanc censuram intercedat et inter censores antecedentes anni 629/125, item inter insequentes anni 639/115, de quibus constat (de Boorii fasti censor. p. 87. 88). Ergo anno 633/121, quo occisus est C. Gracchus duce P. Cornelio Lentulo principe senatus mense fere Quinctili (conf Kornemannus Beitr. z. a. Gesch. I Beiheft Lips. 1903 p. 51, 5), P. Lentulus iam erat princeps senatus, constitutus a censoribus anno 629/125 ineunte. Itaque hoc anno 629/125 ineunte Lupus ille mortuus erat.

Neque tamen silentio opprimere aequum est eam sententiam, quam Mommsenus protulit de iure publ. p. R. III 2 (1888) p. 970, 2 qui neget principem senatus potuisse eum fieri, qui censor non fuerit. Quare Q. Fabium Seruilianum Eburnum, quem censorem fuisse tradit Val. Max. VI 1, 5, remouit e fastis anni 646/108, locum Valerii non de uera censura intellegi debere cum statuat, L. Calpurnium Pisonem, qui censor anni 634/120 ferebatur, in illum annum contulit et hoc lustro P. illum Lentulum censorem fuisse contendit, qui statim anno 633/121 se ipse principem senatus constituerit. Tamen neque Fabii nomen censoris ex illa aetate tolli poterit neque hunc P. Lentulum censuram gessisse demonstrari: neque secutus est Mommsenum Huelsenus CIL I 1 ed. II p. 26. 36, qui contempto Valerii locò anno 646/108 Fabium Allobrogicum ponit censuram gessisse fretus loco Asconii falsi p. 133 Or., ubi hoc traditum est Fabio Allobrogico censore fornicem illum Fabianum esse extructum. Ego tamen hunc scholiastam potius errasse quam Valerium Maximum l. s. s. arbitror neque de fastis illius aetatis censoriis probabiliora esse adhuc prolata, quam quae de Boorius posuit fast. censor. p. 22. 23. Solebant autem censores lustrum condere non minus duodecim mensibus postquam censores creati erant (Mommsenus de iure publico p. R. II 1 ed. III p. 353): cum creati erant, omnium primum aggrediebantur ad senatum legendum (Mommsenus l. s. p. 420: interpretes ad Liu. XXIX 37, 6). Eodem die, quo creati erant in comitiis centuriatis, magistratum inibant quod fieri solitum esse mense Aprili ita ut mense Maio insequentis anni lustrum conderetur exposuit Mommsenus l. s. p. 352. 354. Sed idem exposuit l. s. p. 345 lustrum plerumque esse V annorum, lustra IV annorum enumerat (adnot. 3) tantummodo tria, saeculi a. Chr. IV et III omnia. Itaque probabile omnino non est inter censores qui munus inierunt anno 629/125 et censores insequentes, quos 633/121 munus inisse Mommsenus censet, tantummodo IV annorum intercessisse spatium, quod numquam accidisse apparet illa aetate. Praeterea historici qui res anno C. Gracchi fatali gestas accurate enarrant, de censura illo anno incohata tacent ad unum omnes: quod silentium melius intellegitur, si ea censura post obitum tribuni gesta est, quo de tempore exilis et lacunosa magis ad nos peruenit rerum gestarum memoria. Denique inter triumphum Metelli Balearici anno 633/121 actum et eiusdem hominis censuram incohatam satis probabile est intercessisse spatium aliquod, ita ut insequenti demum anno censorem eum factum esse probabile uideatur. Neque denique aliam sententiam commendat locus Ciceronis diuin. in Caec. 69 'Cuius consuetudinis atque instituti patres maioresque nostros non paenitebat tum, cum P. Lentulus, is qui princeps senatus fuit, accusabat M.' Aquilium subscriptore C. Rutilio Rufo, aut cum P. Africanus, homo uirtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, posteaquam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in iudicium uocabat'. Quem locum Cicero ita uoluit intellegi, ut eo anno, quo causa Aquilii acta est, i. e. anno 630/124 (Appian. b. c. I 22) P. Lentulum iam illo munere functum esse auditores crederent, sicuti de P. Africano eodem loco dicit eum accusasse post censuram.

Neque denique est, quod dubitemus, quin anno 629/125 P. ille Lentulus princeps senatus electus fuerit. Neque enim patricius tum erat omnino, qui censuram gesserit, mortuo Scipione Aemiliano L. Lentulo Lupo App. Claudio: nec censorum qui tum erant Cn. Seruilius Caepio L. Cassius Longinus alter plebeius potuit alterum patricium principem senatus rite constituere, ideo, quod alter Cn. Seruilius, licet fuerit patricius, non ueterum erat gentium et maiorum, sed Albanae originis (Liu. I 30, 2 Dionys. III 29, 7): at ne harum quidem gentium qui fuerunt dignos esse iudicatos illo honore exposuit Mommsenus de iure publ. p. R. III 2 (1888) p. 868, 4. Itaque elegerunt eum patricium, qui primus eorum, qui superstites erant, consulatum gesserunt P. Cornelium Lentulum cos. anni 592/162, cui neque plebeius uir censorius Metellus Macedonicus potuerit inuidere, cum consul fuerit anno 611/143, nec ipse censor illius anni Cn. Seruilius, cum consul fuerit anno demum 613/141. Itaque mense Aprili 629/125 P. Cornelius Lentulus princeps senatus lectus est: quo tempore L. Cornelius Lentulus Lupus obierat. Nam Lucilium deos induxisse contionantes de interitu Lupi ita ut reuera paucos dies ante conscriptam saturam Lupum decessisse statuendum sit et per se

ipsum est consentaneum et imitatione Senecae comprobatur. Atque cum dixerit Neptunus in deorum concilio haec uerba (lib. I u. 31)

non Carneaden si ipsum Orcus remittat

manifestum est librum I scriptum esse aliquantum post Carneadis philosophi mortem quem decessisse rettulit Apollodorus in chronicis (95 Jacobyi) ap. Diog. Laert. IV 65 olymp. 162, 4 i. e. anno 625/129 uel 626/128. Praeterea quod traditur ap. Diog. Laert. IV 64 *τελευτῶντος δ' αὐτοῦ φασιν ἔκλειψιν γενέσθαι σελήνης συμπάθειαν ὡς ἂν εἴποι τις αἰνιττομένου τοῦ μεθ' ἥλιον καλλίστου τῶν ἄστρων*, ea ita comparata sunt, ut, cum de lunae defectu agatur, non de solis caligine oborta, fidem eis aegre denegaueris. Anno illo reuera bis lunae defectus accidit, alter die Nouembris V anni 625/129 nocte concubia hora post mediam noctem secunda spatii satis exigui, alter die Maii II anni 626/128 triplo amplior priore illo mane hora fere quinta post mediam noctem, quo tempore Carneaden obiisse statuas probabili ratiocinatione: nam hic defectus ut longe amplior solus poterit in censum uenire (conf Ginzelius Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1887 p. 1119 Spezieller Canon der Sonnen- und Mondfinstern. Berol. 1897 p. 143). Obiit igitur Lupus Lucilianus post mensem Maium anni 626/128 ante mensem Aprilem anni 629/125. At memoratur libro I u. 38 dira tempestas qua Iuppiter populum Romanum eo tempore, quo Lupus periit, magnopere terruerit (uide quae adnotauimus ad u. 37 seqq.): quam tempestatem eandem fuisse quam in prodigiorum libro commemorat ad annum 628/126 Iulius Obsequens 29 (89) ueri est simillimum. Itaque anno 628/126 Lupus obiit, paucos dies post eius obitum librum I composuit Lucilius: librum modo ediderat, cum M. Iunius Pennus tribunus plebis eodem anno legem tulit, qua peregrinos ex urbe exterminaret qua de re infra agetur p. XLVI. Itaque Scipione mortuo poesin saturarum instaurare ausus esse non uidetur ante Lupi, quem libro XXVIII uiolauerat, mortem: cui tantopere fuit iratus, ut ne mortuo quidem parceret. Excusatur quodammodo Senecae saturae uilis et abiecta mordacitas exemplo Lucilii: nempe ne auctor quidem saturae ueritus erat illud *οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν*.

De argumento et tempore libri II

Iam de argumento libri II agendum erit summatim cuius de argumento quam proferam sententiam singillatim studui confirmare in adnotationibus ad uersus qui eius libri superstites sunt singulos. Atque proficiscendum erit in hac quaestione a tribus his quorum de sede non constat fragmentis

I

Quam lepide lexis compostae, ut tesserulae omnes
arte pauimento atque emblemate uermiculato!

II

Crassum habeo generum, ne rhetoricoterus tu seis!

III

'Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
municipem Ponti, Tritani, centurionum,
praeclarorum hominum ac primorum, signiferumque
maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto:
chaere, inquam, Tite. Lictores, turma omnis chorusque:
chaere, Tite'. Hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

Haec tria fragmenta patet ex uno eodemque libro esse desumpta: dicuntur enim a Q. Mucio Scaeuola Augure omnia in eundem T. Albucium et de eadem re. Ex fragmentis primo et secundo apparet praesente Albucio, qui modo orationem habuerit, Scaeuolam uerba facere, nec solo Albucio praesente, sed pluribus, quibus in fragmento tertio demonstret unde Albucius sibi inimicus factus sit. Haec tria fragmenta non possunt non referri ad narratum a Lucilio iudicium repetundarum quod anno 634/120 uel 635/119 Albucio accusante de Scaeuola factum est; qui anno 633/121 uel 634/120 praetor Asiae prouinciae fuerat (Cic. de or. II 269, Wehrmanni fast. praet. p. 13), ex praetura anno 634/120 uel 635/119 repetundarum a T. Albucio postulatus est. Quae causa a Cicerone saepissime memoratur; sine dubio Lucilii satura eius fama tantopere propagata est. Vtri Lucilius fauerit in narratione actionis, difficile iudicatu est: nam Mucio *subiratus* dicitur a Cicerone de or. I 72 et Albucii tradit Cicero illum artes pueriles risisse, nisi Cicero rem narrat parum accurate et nimis studiose quod sane probabile est. Lucilius igitur iudicium illud tradidit memoriae in satura, qua Albucii oratio

referebatur, post sequebatur Scaeuolae oratio: ex hac tria illa fragmenta apud Ciceronem seruata sunt. Nam 'Mucius Augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. Is oratorum in numero non fuit, iuris ciuilis intellegentia atque omni prudentiae genere praestitit' (Cic. Brut. 102: conf de or. I 214. 234). Itaque longiorem orationem Lucilium opinor tribuisse Albucio, Scaeuolam inducit breuiter exponentem ueram accusationis causam. Iudicii uestigia nusquam uidemus nisi in libro II; ibi esse certa neminem fugiet qui accurate fragmenta perleget. Quoniam uero plura iudicia descripta esse a Lucilio parum veri simile est optimeque fragmenta libri II ad iudicium illud possunt referri, libro II Albucii et Scaeuolae causam esse narratam collegi stud. Lucil. p. 68 seqq.

Atque fragmenta bene coeunt in causam illam repetundarum quamuis corrupta. Albucii sunt u.

I homo inpuratus et † *inpuno* est rapister 66
II inpuratum hunc in fauces inuasse animamque elisisse illi 57
III nunc * nomen iam, quae ex testibus ipse rogando exculpo, haec dicam 69
IV ut iure peritus 81
V Nam quid moetino subrectoque huic opus signo? 78
Vt lurcaretur lardum et carnaria fartim,
† parum conficeret . . . 80
VI non dico: uincat licet, et uagus exulet, erret exlex. 82

Audis uerba dura accusatoris acerbi et rabulae furentis, figuras oratorias, dictionem forensem. Pronomina *huic hunc* (II. V) aduersarium indicant qui *impuratus* bis uocatur (I. II) et auctor furtorum et rapinarum audit (I) et caedis (II). De testibus interrogandis agitur fragmento III de quo uide quae adnotauimus. Vbi quod memoratur *nomen* id uidetur esse aut pecuniae ablatae captae coactae conciliatae auersae a reo (leg. Aciliae repetundarum § 3 in Brunsii fontibus iur. Rom. edit. VI p. 59) qua de significatione uocis *nomen* conf interpp. ad Hor. ep. II 1, 105 Cic. de off. III 59 de nat. deor. III 73 aut illud nomen de quo Cic. pro Balbo 11: 'Audiui hoc de parente meo

puer: cum Q. Metellus L. f. *causam de pecuniis repetundis diceret* . . . cum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi *nominis* causa, fuisse iudicem ex illis equitibus Romanis, grauissimis uiris neminem, quin remoueret oculos et se totum auerteret, ne forte, quod ille in tabulas publicas rettulisset, dubitasse quisquam, uerumne an falsum esset, uideretur'. Albucius igitur his uerbis testes interrogat coram iudicibus quod et M. Cicero fecit in causa Verrina: conf act. I 55 de or. II 245 Quintil. V 7, 26 et de testibus tabulisque producendis in repetundarum causa legem Aciliam § 34. Tabulas denique productas esse in illa ipsa Albucii causa notum est Albii altercatione et Granii praeconis de qua Cic. de or. II 281 (lib. II u. 95) opusque erat in causa repetundarum testibus dumtaxat IIL productis ex lege Acilia (§ 32. 34), quam latam esse anno 631/123 uel 632/122 demonstrauit Mommsenus CIL I p. 55 duobus uel tribus annis ante Albucii causam.

De exilio rei aperte agitur fragmento VI quod exilium perpetiendum fuisse multis repetundarum damnatis notum est ex Verris Rutilii huius Albucii ipsius uita, qui postea eodem crimine, quo accusarat Mucium, damnatus (Cic. de off. II 50 Tusc. V 108 pro Scaur. 40) exul mortuus est Athenis.

Duo fragmenta IV et V restant explicanda, quorum prius *ut iure peritus* quam bene ad Mucium referatur apparet: alterum

Nam quid moetino subrectoque huic opus signo?

multo difficilius intellegitur. Atque primum quidem pro *subiecto* quod est in codicibus recte dedit Scaliger *subrecto:* conf Arnob. adu. gent. V 29 p. 200, 13R: 'hi phalli quos per rura, per oppida mos *subrigit* et ueneratur antiquus' conf 28 p. 199, 9R: uersus hunc sequentes corruptos nunc mitto. Recte uero si contendi libro II causam ab Albucio dictam esse narratam, accusator ludit hoc uersu in *moetinum signum* rei. Fascinum portabant infantes et pueri donec togam uirilem sumpserunt: hominum adultorum gestamen non fuit nisi triumphantium, ut ex Plin. nat. hist. XXVIII 39 patet: 'Quamquam religione eum tutatur et fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana Vestalibus colitur et currus triumphantium sub his pendens

defendit medicus inuidiae' e. q. s. (Macrob. Saturn. I 6, 9). Sed apparet haec ad hunc uersum non pertinere: alia quaerenda sunt. Notum est familias singulas populi Romani signis siue insignibus esse usas nonnunquam deductis a praeclare gestis rebus, praecipue uero cognominum quae sint effigies: conf Sueton. Calig. 35 'Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio stirpis antiquae Magni cognomen'. Multis certe in rebus antiqui adhibebant talia signa (conf Plut. Cic. 1): notissima nobis signa singularum familiarum sunt in nummis incusa, ubi Furii Crassipedes pedem crassum, Publicii Malleoli malleum, Antistii Graculi graculum, Seruilii Gemini Castorem et Pollucem, Furii Purpureones muricem, Lucretii Triones stellas septem, similia aliae familiae habent insignia: conf Mommsenus R. F. I p. 44 Marquardtii enchirid. antiq. p. R. VII p. 14, 7. Muciorum insigne quid fuerit antiquitus, nescimus: cognomen *Scaeuola* quod *Scaeuula* scribitur in fastis Capitolinis deducit Liuius II 13 a scaeua manu, hoc est sinistra, similiter Plut. Poplic. 17 et omnes faciunt, qui Liuium secuntur. Verum totam illam de Mucii manu combusta narrationem esse absurde fictam post Niebuhrium (hist. Rom. I p. 606) multi dixerunt. At Varro de l. L. VII 97 de *obscaenum* uoce docens: 'Potest uel ab eo quod puerulis turpicula res in collo quaedam suspenditur, ne quid obsit, bonae scaeuae causa *scaeuola* appellata. Ea dicta ab scaeua, id est sinistra, quod quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur'. Haec quam apte ad hunc Lucilii locum referantur conciliata cum eis, quae de signis Romanorum supra exposui nemo non uidet. Porro caue credideris turpius esse illud signum quam ut adhiberi potuerit: quod in triumpho neminem offendebat hoc pro insigni usurpare hercle neminem pudebat. Fuisse autem membrum familiae insigne tabulae Heracleenses testantur CIG 5774, ubi sub finem u. 184 inscriptum est *ϝε γυῖον Πεισίας Λεοντίσκω*, tum u. 187 *γραμματεὺς ϝε γυῖον Ἀριστόδαμος Συμμάχω*. *Membrum* istis duobus uiris qui eiusdem tribus sunt ut ceteris alia insignia uelut *τρίπους καρύκειον πέλτα* praepositum nihil nisi fascinum significare potest: alia enim membra praecipue cum de insignibus agatur praeter ueretrum suo

nomine appellare nemo ueritus esset. De fascini religione egit O. Iahnius Ber. d. sächs. Ges. d. Wissensch. 1855 p. 71 seqq. qui p. 71 in adnot. hos uersus attulit. Signum igitur moetinum Scaeuola quo utebatur in inuidiam deducit Albucius cum dicit usum eo esse praetorem ideo, quo impunitius lardum et pernam deuoraret malos oculos fascinantium illo signo depellens. De reliquis huius libri fragmentis egimus in commentario. Horatius serm. libri I satura VII qua Regis Rupilii et Persii iudicium enarratur hunc Lucilii librum imitatus est. Denique librum I et librum II deinceps iusto ordine significat Persius I 114 'secuit Lucilius urbem, te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis', qui libros Lucilii inde a I spectaret, cum Horatium libros XXVI—XXX spectasse supra uiderimus: eosdem libros spectat Iuuenalis quos Persius I 151 'cuius non audeo dicere nomen? quid refert dictis ignoscat Mucius an non?" qui Lupum, quem mortuum insectatus est Lucilius, hoc loco pro exemplo ponere non potuerit.

Iam colligenda erunt ea quae de argumento et de tempore libri I et II adhuc exposuimus.

Libro I agitur de interitu Lupi: Lupum mortuum esse certum est intra annos 626/128 exeuntem et 629/125 ineuntem; si recte supra disserui, anno 628/126, si meam de tempestate illa coniecturam reicis, anno 627/127: nempe hoc non multum differt. Satura tota friget ac torpet nisi si Romae est statim post mortem Lupi et scripta et edita, sicut Senecae ludus de morte diui Claudii statim post mortem Caesaris editus esse putandus est. Itaque apparet librum I Romae editum esse anno fere 628/126.

Libro II iudicium Albucii et Mucii celebratum esse supra probaui: quod reuera factum est anno 634/120 uel 635/119 cum Mucius anno antecedente praetor Asiae prouinciae fuerit. Itaque cum nihil magis cauendum esse uideatur iambico aut poetae comico quam ne nimis tardi ingenii longo interuallo interiecto res tractet, anno 635/119 fere librum alterum esse scriptum statuo. Neque fugiet attentos quare poeta Scipionis amicitia destitutus saturam non ausus sit instaurare nisi Lupo mortuo, tum iterum per quinque annos tacuerit, dum C. Graccho oppresso atroces illae tempestates rei publicae fuerint sedatae.

Saturae illo lustro locus non erat neque pax et otium, quo opus erat seni poetae ad carmina facienda. Nam anno ipso 628/126 M. Iunius Pennus tr. pl. legem tulit qua peregrinos ex urbe exterminaret. (Cic. de off. III 47 Brut. 109 Mommseni hist. Rom. II p. 102). C. Gracchus absens fuit illo anno quaestor Aurelii consulis in Sardinia, magna cum uoluptate aduersariorum (Plut. C. Gracch. 1), qui dolose eum etiam in annum sequentem ab urbe remouebant consuli in Sardinia manendum esse rogantes. C. Gracchum dissuasisse Penni legem oratione illa, quam de ea lege et de peregrinis ab illo habitam esse Festus p. 286 M. auctor est, antequam in prouinciam abierit, minime probabile uidetur. Nam aduersarii tantopere gauisi Gracchum urbe prohiberi (conf Plut. l. s.) potius callide exspectauerant dum ille proficisceretur. Quod ipsum in uerbis Ciceronis Brut. 109 agnoscitur 'M. Pennus *facile* agitauit in tribunatu, C. Gracchum paulum aetate antecedens. Fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quaestor Gracchus, tribunus Pennus' e. q. s. Quo loco quam recte Buechelerus (stud. Lucil. p. 94, 2) iusserit comma poni post *tribunatu*, ego multis annis post intellexi e Porcii Licini uersu Donati comm. Terent. p. 4, 11 Wessneri 'tres per id tempus qui agitabant nobiles facillime'. Facile agitauit Pennus illo anno ideo, quia Gracchus absens negotium ei non facessiuit. Anno uero 630/124 Gracchus biennium in prouincia moratus (Gell. XV 12) iratus quod fallaciis optimatium Roma prohiberetur in urbem rediit (Plut. C. Gracch. 2) multasque orationes habuit (Plut. l. s. et 3. Gell. l. s.) inter quas ponendam iudico esse illam de lege Penni et peregrinis: hanc enim legem abrogatam esse Gracchi auctoritate illo anno apparet uerbis Plut. l. s. 3: *Ὁ δὲ . . εὐθὺς ἐπὶ δημαρχίαν ὥρμησε . . . ὄχλου δὲ τοσούτου συῤῥέοντος εἰς τὴν πόλιν ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ συναρχαιρεσιάζοντος, ὡς πολλοῖς μὲν οἰκήσεις ἐπιλιπεῖν κτλ.* Anno autem 632/122 *ὄχλου . . πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας κτλ.* (l. s. 12) Appian. b. c. I 23: *ἡ βουλὴ διαταραχθεῖσα τοὺς ὑπάτους ἐκέλευσε προγράψαι μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει μηδὲ προσπελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν.* C. Graccho oppresso tranquillitate publica recuperata Mucium Stoicum per Albucium Epicureum ludi in satura sua induxit Lucilius: intererat igitur ipse Romae anno 634/120 uel 635/119 repetundarum iudicio audiitque Albucii accusationem et Mucii defensionem quae utraque oratio digna ei est uisa quam saturae uersibus uulgo redderet notam.

Constat porro de tempore libri V certis argumentis. Quo *De tempore libri V*
in libro quae leguntur u. 210 seq.

> ne designati rostrum praetoris pedesque
> spectes

non possunt non consociari cum incert. u. 1130

> Cecilius pretor ne rusticus fiat.

Vtroque loco hominem rusticum describit, utroque loco is qui loquitur aegre fert hunc hominem rusticum honorem praeturae adipisci: quod uno atque eodem tantummodo tempore potuisse accidere est consentaneum. Caecilius ille nemo alius potuit esse nisi C. Caecilius Metellus Caprarius cos. 641/113: cognomen Caprarii inditum indicat hominis rusticitatem quam risisse traditur Scipio ap. Cic. de or. II 267. Anno 639/115 mortuus est eius pater Metellus Macedonicus (Vell. I 11, 7) cuius lectum 'sustulerunt quattuor filii, unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consularis', qui est iste Caprarius. Idem tradit Plin. nat. hist. VII 142 'a quattuor filiis inlatus rogo, uno praetorio, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno censorio' Val. Max. VII 1, 1 '. . . fecit ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium et triumphalem, quartum praetorium uideret': minus accurate neque tamen falso Cic. de fin. V 82 in eadem narratione scripsit 'quartum autem praetorem'. Vnde apparet uersus illos libri V Lucilii scriptos esse ante annum 639/115, praetorem fuisse Caprarium anno 638/116 — longius enim non licet praeturae annum remouere ab anno Caprarii consulari — designatum eum dici praetorem anno 637/117 exeunte uel 638/116 ineunte et illo tempore Lucilii librum quintum esse conscriptum. Hunc Metellum Caprarium spectat scholiasta anonymus ad Horat. serm. II 1, 67 'aut laeso doluere Metello' cum adnotat 'Macedonici filius', in hac re tantummodo errans, quod libros XXVI—XXX ille non

curauit, sed qui fere soli postea legerentur I—XXI, in quibus Caprarium laesum fuisse constabat (uide supra p. XXXI). Libri igitur III et IV compositi sunt inter annos 635/119 et 637/117: iter Siculum quod narrat libro III anno fere 636/118 susceptum fuisse a Lucilio statuendum erit.

De tempore libri XI

Etiam de tempore quo liber XI compositus fuerit, uiri docti dudum intellexere Lucilii ipsius extare testimonium u. 418 'Quintus Opimius ille, Iugurtini pater huius' quo genetiuo notatur L. ille Opimius cos. 633/121 quo auctore C. Gracchus fuerat interfectus. Qui damnatus rogatione Mamilia anni 644/110 exilii causa solum uertit et exul mortuus est Dyrrhachii (Cic. pro Sest. 140 Brut. 128 Plut. C. Gracch. 18). Neque tamen scriptus esse uidetur uersus ille iudicio illo acto ex lege Mamilia, quo damnatus Opimius Roma cessit, sed ita, ut pronomine *huius* indicet poeta hominem etiamtunc Romae degere aetatem. Nam *Iugurtinus* appellari apte iam potuit Opimius postquam legatus ad Iugurtham missus est qua in legatione διεφθάρη χρήμασιν ὑπ' αὐτοῦ (Plut. l. s. s.). Quam legationem enarrat Sallustius Iugurth. 16, de tempore iudicium ferre debemus ex Liuii periocha 62, qui de hac legatione referat inter L. Caecilium cos. anni 637/117 et L. Caecilium Cn. Domitium censores anni 639/115: unde alii huic anno (conf Niesseus in Paulyi Wissowae encyclop. s. u. Adherbal), alii ueluti Mommsenus de iure publico p. R. II 1 (1887) p. 692, 8 anno 637/117 hanc Opimii legationem attribuerunt. Itaque apparet de libri XI tempore nihil omnino effici posse nisi conscriptum eum esse intra annos 638/116, id est post librum V et ante annum 644/110 quo anno Opimius ille damnatus Roma cessit.

De tempore libri XVII

De tempore quo liber XVII conscriptus fuerit a poeta nil nisi coniecturam possumus proponere. Qua in quaestione exordium est capiendum a uersibus illis incert. 1332 seqq., quibus quae *uirtus* sit magna uerborum copia et ambage exposuit *Albino* cuidam more usus non docentium sed castigantium: 'uirtus diuitiis pretium persoluere posse, uirtus id dare quod re ipsa debetur honori ... commoda praeterea patriai prima putare, deinde parentum, tertia iam postremaque nostra'. Quae uerba in commentario exposui dicta esse ad

A. Postumium Albinum illum fratrem et legatum Sp. Postumii cos. 644/110, quem anno 645/109 Iugurtha apud Calamam urbem thesauris regiis ibi conditis inhiantem bello oppressit (Oros. V 15, 6 Sallust. Iugurth. 37 seqq.), exercitum sub iugum misit: 'Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque maeror ciuitatem inuasere. Pars dolere pro gloria imperi, pars insolita rerum bellicarum timere libertati, Aulo omnes infesti, ac maxume qui bello saepe praeclari fuerant, quod armatus dedecore potius quam manu salutem quaesiuerat' (Sallust. l. s. 39). Quare scripta haec esse a Lucilio statuendum erit anno fere 645/109 uel 646/108. Tribuit illud fragmentum libro XVII Corpetus edit. p. 222 magis diuinatione usus quam ratiocinatione. At expositum est ad XVII u. 550 seq. 'cetera contemnit et in usura omnia ponit non magna: proprium uero nil neminem habere' haec uerba sumpta esse ex uberiore de uirtutis natura expositione. Vnde sane probabiliter huic libro illud tribuas fragmentum. Quod si recte statuimus, scriptus est ille liber anno fere 646/108.

De tempore libri XX

Desiisse poetam saturas scribere anno 649/105 supra statuimus p. XXVI. Vnde efficitur ut libro XX et XXI qui perierat tempore Hadriani imperatoris ea fuerint narrata, quae omnium nouissima constat tractata fuisse a poeta. Atque tradit Cicero Brut. 160 de Crasso oratore 'Multae deinde causae: sed ita tacitus tribunatus, ut nisi in eo magistratu cenauisset apud praeconem Granium idque nobis bis narrauisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse'. De anno huius tribunatus 647/107 constat testimonio Cic. Brut. 161. Atque si quaerimus quo in libro illa cena fuerit descripta, nihil est probabilius quam e libro XX seruata nobis esse fragmenta cenae Granii. Nam homo ille qui modo publice aliquid in lege Calpurnia repetundarum se reprehendisse iactat (u. 573), facile intellegitur orator L. Licinius Crassus tribunus plebis, qui anno insequente legem iudiciariam Q. Seruilii Caepionis suasit nobilitatis illo tempore fautor (Cic. Brut. l. s. s.): de reliquis uide commentarium ad libri XX uersus superstites. Suspiceris denique libro XXI eandem rem iterum a Lucilio esse narratam ideo quod Horatius serm. II 8 qua satura aperte (uide ad XX u. 568) Lucilium est imitatus, similis cenae de-

scriptione finem uoluit fieri poeseos suae Lucilianae. Probabilius enim uidetur esse duobus diuersis libris Granii cenam a poeta fuisse narratam quam eiusdem libri saturis duabus.

De tempore librorum XXII—XXV Libri inde a XXII ad XXV distichis elegiacis erant compositi neque casui tribuendum erit quod omnia quaecumque horum librorum seruata sunt fragmenta ad seruorum spectant personas, quorum et de obitu rettulerat poeta et de uirtutibus et uitiis defunctorum. Nimirum poeta caelebs seruulos suos uidetur habuisse humanissime loco liberorum siue parentum ueluti Pacilium *patrem* appellat honorifice lib. XXII u. 581. Quo tempore haec elegidia composita fuerint, hoc ne diuinando quidem consequi poterimus neque id quidem demonstrari poterit poetam ipsum hos libros edidisse qui plane diuersi sint a saturae indole ac natura. Suspiceris poetam Neapoli hoc modo manibus familiarium suorum litasse et grammaticum quendam diligentur has poeseos Lucilianae reliquias singulares quas in scriniis poetae defuncti inuenerat *De ueterum editionibus Lucilii* collegisse disposuisse publici iuris fecisse, quo magis poetae humanitas nota fieret popularibus. Libros XXVI—XXX seorsum singulos poeta ediderat qui XXVI ad historicum et hominem adulescentem miserit (uide ad u. 612), cum doctissimorum uirorum iudicium ueluti Scipionis repudiaret (u. 594), XXVII ad Scipionem misit (u. 688): XXVIII, XXIX et XXX seorsum editos esse uel inde apparet, quod XXX u. 1013 'et sola ex multis nunc nostra poemata ferri' priores libros diuulgatos in manibus ferri legentium auctor aperte indicat. Itaque qui illos coniunxerant siue grammatici siue Lucilius ipse fuit qui eos postea ediderit coniunctos, quod hoc ordine coniunxerunt, eius ordinis quo secundum singulos annos erant editi rationem habuisse editorem credendum erit. Libros I—XXI eodem modo primum singulos fuisse editos consentaneum est: quos coniunctim Lucilium ipsum edidisse prohoemio praeposito Varro auctor est de l. Lat. V 17 'a qua bipertita diuisione Luc*il*ius (*lucretius* cod) suorum unius et uiginti librorum initium fecit hoc' (lib. I u. 1). Hanc editionem poetam anno fere 648/106 constituisse supra exposuimus p. XXVII.

Q. Laelius Archelaus Saturas poetae modo defuncti publice enarrabant grammatici duo Vettius Philocomus et Q. Laelius Archelaus qui familiares fuerant poetae: quod recte traditum est ap. Sueton. de gramm. 2 (testim. 40); constat praeterea de Vettii alicuius et Lucilii amicitia incert. u. 1322, ubi uide quae adnotauimus. Sanguine et affinitate cum poeta coniunctus fuerit cum gente Magni Pompei, mirum non est egregie eos grammaticos Lucilio operam dedisse qui Pompeianae domus aut clientes erant aut partes Pompei sequebantur, quales erant Valerius Cato, Pompeius Lenaeus, Curtius Nicias (testim. 40—42); summis laudibus effert Lucilii doctrinam elegantiam urbanitatem M. Cicero Pompeianus (testim. 58. 59. 12). Atque uel Latinis hominibus opus fuisse aut commentario aut enarratore ad uersus poetae recte intellegendos quiuis concedet qui libri V exordium (u. 181 seqq.) legerit difficillimum. Laelius Archelaus magister fuerat Pompei Lenaei qui Lucilii *Pompeius Lenaeus* saturas apud illum legerat, saturam acerbissimam in Sallustium conscripserat (Sueton. de gramm. 15): recte si ap. scholiastam Iuuenalis ad I 20 (Auruncae flexit alumnus) cum Casaubono legitur 'uel Lenaeum dicit, qui et ipse satiras scripsit' ubi traditum est *lenium*, libertus ille Magni Pompei cuius de origine aliter tradit Suetonius l. s., ex eodem municipio prouenerat quo Lucilius. De Vettii Philocomi studiis Lucilianis *Vettius Philocomus* agitur pluribus uersibus illis octo, qui a grammatico aetatis fere Suetonianae praepositi sunt Horatii saturae lib. I 10 (testim. 41). Qui grammaticus eiusdem generis erat nebulo atque ille qui Aeneidis libro I uersus illos IV praeposuit; quorum Nisus ille cum uetustissimus sit testis (Sueton. p. 64. 65 R.), dubito an ipse eos finxerit Martialem imitatus (IX praef. 5. 28, 2. X 53, 1), tamquam si effigiem poetae carminibus praepositam (Martial. XIV 186) exornare deberet. Videntur grammatici illius aetatis inprimis curiose quaesiisse de exordiis carminum nec minore cum stultitia finxisse noua quam damnasse tradita exordia. Veluti de Lucani libri I uersibus 1—7 admodum nugatorie disputabant ut a Seneca factis grammatici eiusdem aeui (schol. Luc. I 1 Fronto p. 157 N). Versus ipsos grammaticus ille satis festinanter et indiligenter composuit, eorum similes, quos Plinius minor epist. VII 4, 6 de Cicerone e uestigio profudit. Vsus est ille adfectata obscuritate, quam

Horatianam elegantiam esse putabat elocutionis, sed optimo auctore in eis quae de Valerio Catone protulit: probabile uidetur eum libros Catonis ipsius quos appellat Suetonius de gramm. 11 in quibus de pueritia sua egerat inspexisse. Vnde grammaticus ille didicerat anno fere 719/35, quo priorem *P. Valerius Cato* saturarum librum edidit Horatius, P. Valerium Catonem inchoasse editionem Lucilii nouam, pugnasse eum contra magistrum suum, qui item Lucilio emendando operam dederat. Qui magister uix alius poterat esse atque Vettius ille Philocomus apud quem Valerius Cato secundum Suetonii testimonium (testim. 40) praedicauit sese Lucilii saturas legisse. Hunc grammaticum equitem R. fuisse idem tradit poeta, quod in C. Lucilii equitis familiari non mirabimur. Nam uerba 'grammaticorum equitum doctissimus' non possunt pertinere ad Catonem licentia Sullani temporis exutum patrimonio, in summa pauperie et paene inopia qui ad summam senectutem uixerit (Sueton. de gramm. 11).

Curtius Nicias Poetam et uere Latinum et Latio oriundum et uere Latinae poeseos auctorem praeter eos quos modo nominauimus grammaticos multi tractarunt uiri docti saeculi a. Ch. ultimi. Memorat Suetonius Curtium Niciam grammaticum Aristarcheum et in Graecis et in Latinis scriptoribus uersatum 'libros de Lucilio' composuisse (de gramm. 14: testim. 42): quem titulum apparet magis indicare studia de genere poeseos Lucilianae et origine, qualia Horatius exhibet serm. I 4 et 10, quam glossematum enarrationem et collectionem, qualia glossemata passim leguntur in Varronis libris et apud Festum ubi Curtii nomen nusquam inuenitur. Quare si idem Suetonius l. s. s. *Santra* tradit Santram comprobasse illius libros de Lucilio, probabilius est agi de libris Santrae, quos de uita poetarum Latinorum scripsit quam de eiusdem grammatici libris de uerborum antiquitate, qui apud Festum adhibentur. Neque tamen idem grammaticus glossas Lucilii potuit neglegere in hoc libro neque alii neglexerunt uiri docti uel linguae uetustae uel antiquitatum p. R. studiosi ueluti ad Lucilii uerba 'quadrantis *Varro* ratiti' (incert. u. 1272) quae Varro enarrat de l. Lat. V 44 a Festo p. 274 M. adferuntur Tarqui⟨*tii*⟩ Op⟨*il*⟩ii Antonii interpretamenta. Collegerat grammaticus quidam glossas, quibus

pisces nominantur apud Lucilium: cuius operae apud Varronem l. s. VII 47 uestigia apparent haec:

'Apud Lucilium (incert. u. 938):

"quod thynno capto cobium excludunt foras"

et (lib. I u. 54)

"occidunt, Lupe, saperdae te et iura siluri"

et (incert. u. 1304)

"sumere te atque amian"

piscium nomina sunt eorumque in Graecia origo."

Eiusdem generis glossarum apud Festum haec leguntur:

Paul. p. 21 'amian genus piscis.'
p. 22 'acipenser genus piscis.'
'apua genus minimi pisciculi.'
p. 75 'diox genus piscis frequens in Ponto.'

Fest. p. 322 'sargus piscis genus qui in Aegyptio mari fere nascitur. Lucilius: "quem praeclarus helops, quem Aegypto sargus mouebit" (incert. u. 1276).'

p. 325 'saperda genus pessimi piscis'

Vbi ex accusatiuo *amian* apparet Lucilii uersum illum spectari, praesertim cum alibi nusquam ne in glossariis quidem *amia* uocabulum inueniatur: unde ad hexametrum *occidunt* spectare *saperda* glossam apud Festum probabile esse arbitrabimur. *Acipenser* praeconis Gallonii clarissimus omnium erat in litteris Latinis (uide ad incert. u. 1240), de *sargo* unde sumptus sit, constat, de *apua* et *diox* glossarum origine est quod dubites. Grammaticus igitur ille, quem adhibuit Varro, *Editio auctoris quem Varro adhibuit libro VII de lingua Latina disposita secundum tempora* peragrauit totum corpus saturarum Lucilii ea editione usus, quae celebris illo tempore erat et piscium nomina collegit. Sicuti Naeuii scriptorum editionem iusto ordine librorum seruato in eodem libro VII licet agnoscere 107—108, Plauti editionem 66—70, ita Lucilii editionis compositionem eo loco agnoscas quem supra scripsimus. Vnde apparet secundum temporis ordinem in illa editione carmina Lucilii fuisse composita: praecedebant septenarii trochaici et iambi quorum erat uersus primus, sequebatur liber I, unde sumptus est uersus *occidunt*, uersum denique '*sumere te atque amian*' statuemus fuisse librorum I—XXI, quam saturarum editionem a Lucilio ipso factam commemorat Varro l. s. s. V 17 (uide supra

Editio Lucilii uulgaris secundum metra disposita p. XXIX seqq. et ad lib. I u. 1). Itaque ea editio cuius umbram nos in fragmentis colligendis delineare conamur grammaticorum posteriorum testimoniis usi longe diuersa erat ab illa quam Varronis auctor adhibuit, cum septenarii in ea inde a libro XXVI usque ad XXIX legerentur, post librum XXI disticha elegiaca usque ad XXV. Suspicetur aliquis illam quae apud Varronem agnoscitur ueterem fuisse Vettii Philocomi, hanc uulgarem Valerii Catonis: cuius tamen suspicionis argumenta proferri non possunt. Sed quisquis fuit ille grammaticus, qui eam quam uulgarem posterioris aetatis ordinauit editionem, apparet eum disposuisse carmina poetae secundum metrum, ita ut prima pars heroo uersu, altera elegiaco sit composita, tertia maximam partem iambis quo nomine apud antiquos et septenarii poterant comprehendi et senarii (Aristot. rhet. III 17 p. 1418b 30). Solebant enim ueteres hoc ordine et afferre et tractare haec tria metrorum genera, cuius disciplinae pauca satis erit afferre testimonia. Horatius art. poet. 73. 74 agit de numero hexametro, 75—78 de disticho elegiaco, 79—82 de iambis Archilochi. Quintilianus X 1, 46—57 epicos, 58. 59 elegiacos, 60 Archilochum iambicum poetam tractat, eadem ratione apud Diomedem G L I p. 483, 27—485, 11 K sese deinceps excipiunt epos, elegia, iambus, metricus G L VI p. 312, 7 K enumerat poeticae Latinae genera haec 'epos siue dactylicum, epigramma, iambica' e. q. s., tum Ausonius poeta paululum tantummodo ordinem legitimum mutauit in epistola ad Paulum p. 169, 37 Schenkl. p. 230, 37 Peiperi 'dactylicos elegos choriambum carmen, epodos, socci et coturni musicam carpentis impone tuis'. Proclus denique in chrestomathia apud Photium bybl. p. 319a 7—b 31 eodem ordine usus primum de epica poesi, secundo loco de elegea, tertio docet de iambo. Alexandrinorum grammaticorum studia in hac disponendi ratione agnosci consentaneum est: poetarum Alexandrinorum imitator princeps Valerius Cato quin istam bene nouerit rationem, nemo poterit dubitare. Huius editionis unum exemplar tempore imperatorum factum est archetypus eorum exemplarium quae a doctis ueluti a Nonio eiusue auctore legebantur omnium. Erat editio tripertita, cuius pars prima propter archetypum in fine mutilatum tantummodo XX

continebat libros, liber eius partis ultimus XXI perierat, ita ut a nullo omnino liber iste afferretur grammatico. Pars altera continebat libros XXII—XXV, tertia XXVI—XXX. Hac uniuersa editione grammatici utebantur neque demonstrari poterit ex silentio quod L. Muellerus (p. XIV editionis) posuit ueluti Persium et Iuuenalem alios omnino librum XXVI sequentes non nouisse. Sed Persii uersus I 114 et Iuuenalis I 151 (testim. 32. 34) recte si interpretati sumus (p. XLV), Persius iam hanc quam uulgarem diximus editionem adhibuit, cui primo loco argumentum libri I, altero libri II nominetur in saturae Lucilianae descriptione.

Commentarii in Lucilium Poetam doctissimum non facilem fuisse intellectu legentibus ex fragmentis eius etiamnunc licet intellegere. Quare iam liberae reipublicae tempore fuisse qui commentariis Lucilium adnotarent consentaneum est: corrigit Ateius Capito apud Gellium II 24, 4 'commentariorum in Lucilium scriptores' quorum adnotatio legebatur ad incert. u. 1172 'Fanni centussis misellus' (testim. 43). Quibus uerbis significat Capito Lucilii exemplaria scholiis adscriptis exornata, nomine auctoris grammatici quae caruerint, qualia Vergilii Horatii Persii exemplaria etiamnunc seruata sunt libris manuscriptis.

Ateius Capito Totum uero illud caput Gellii una cum Lucilii uersibus ex Ateio sumptum esse inde efficias, quod et initio et in ultima paragrapho, qua de Augusti uel Tiberii edicto sumptuario agitur eius nomen adfertur, libri numerus ad Lucilii uersus non additus est et tam subtiliter et accurate de argumento legis Fanniae et de erroribus scholiastarum Lucilii disputatur, ut iurisconsultum qui uetera monumenta adierit exponere appareat, non Gellium compilatorem. Itaque haec fere Ateius scripserat: 'Sed post id senatus consultum lex Fannia lata est, quae ludis Romanis, item ludis plebeis et Saturnalibus et aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos aeris insumi concessit decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris autem diebus omnibus denos. Hanc Lucilius poeta legem significat, cum dicit "Fanni centussis misellus". In quo errauerunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quod putauerunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos aeris statutos. Centum enim aeris

Fannius constituit, sicuti supra dixi, festis quibusdam diebus, eosque ipsos dies nominauit, aliorum autem dierum omnium in singulos dies sumptum inclusit intra aeris alias tricenos, alias denos. Lex deinde Licinia rogata est ... huius legis Laeuius poeta meminit in Erotopaegniis ... Lucilius quoque legis istius meminit in his uerbis "legem uitemus Licini".' Apparet Ateium sicuti de lege Fannia ita de Licinia inspexisse Lucilii commentarios ubi ad hemistichium s. s. inuenit Laeuii uersus in adnotatione, locum Lucilii ipsius ultimo loco posuit.

Macrobius Sed quae in commentariis illis ad Lucilii locos s. s. erant partim recte partim falso exposita, ea uidentur esse etiamnunc copiosius seruata ab illo scriptore qui de luxuria egit quem Macrobius in Saturnalibus III capp. 16 et 17 compilauit. Is primum egerat de *acupensere* quem etiam Lucilius memorauit: de quo Verrium Flaccum egisse supra p. LIII exposuimus. Adfertur autem apud Macrobium l. s. 16, 1 Plauti locus amplus e Bacaria, unde efficitur antiquissimo auctore uti Macrobii auctorem, cum huius fabulae alibi nec uola nec uestigium extet; tum Ciceronis locus e libro de fato, quo hunc piscem apud Scipionem Aemilianum summo fuisse in honore demonstretur. Lucilii uersus de acupensere, qui alias in eius modi locis ultimo loco adferuntur, non seruati sunt apud Macrobium. Tum agitur de Tiberino lupo cap. 16, 11 'Quid stupemus ... cum in ... maximo apud prodigos honore fuerit etiam Tiberinus lupus et omnino omnes ex hoc amni pisces?' Sequitur Varronis locus ex XI rerum humanarum, tum hoc modo pergit: 'Haec Varro de omnibus scilicet huius fluminis piscibus, sed inter eos, ut supra dixi, praecipuum locum lupus tenuit et quidem is, qui inter duos pontes captus esset. id ostendunt cum multi alii, tum etiam C. Titius, uir aetatis Lucilianae, in oratione, qua legem Fanniam suasit ... sic ait: "ludunt alea ... lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit?" haec Titius. Sed et Lucilius, acer et uiolentus poeta, ostendit scire se hunc piscem ... eumque quasi ligurritorem catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. proprie autem catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum uenirent, catillos ligurribant. Lucilii uersus sunt hi (incert. u. 1174 seqq.) "fingere — catillo".' Commentarium in Lucilium Macrobii auctorem compilasse satis uetustum inde efficitur, quod non tantum agitur de lupo Tiberino, sed etiam scholion ad *catillo* legitur adscriptum 'quasi ligurritorem catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. proprie autem catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum uenirent, catillos ligurribant': qualia scholia leguntur apud Paul. ex Fest. p. 44, 12 'Catillones appellabant antiqui gulosos' p. 90, 2 'Fiscellus casei mollis appetitor, ut catillones catillorum ligurritores'. Accedit, quod apud Macrobium C. Titius orator proprie dicitur 'aetatis Lucilianae', quod indicat eius uerba a uetusto quodam grammatico ad uersum Lucilii antiquitus fuisse adposita in commentario. Sed tota haec ratio minus esset probabilis, nisi et Varronem et Verrium (conf p. LIII) uidissemus proprie piscium nomina e Lucilii saturis expiscatos esse: unde probabile fit haec Macrobii commenta Varroni antiquitus deberi, qui rursus ueteribus usus fuerit commentariis in Lucilium, unde Titii oratoris quem praeter Macrobium l. s. et III 13, 13 nemo adfert grammaticus et Plauti Bacariae locos ille traxerit. Accedit quod eo quod sequitur capite XVII de legibus sumptuariis agitur de Orchia Fannia Didia Licinia lege, adferuntur testimonia e Catone et Gellii annalibus, tum de Fannia lege haec edocet (5): 'Fanniae autem legis seueritas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numerus tantum modo cenantium cohibebatur licebatque secundum eam uni cuique bona sua inter paucos consumere, Fannia autem etiam sumptibus modum fecit assibus centum, unde a Lucilio poeta festiuitatis suae more centussis uocatur'. Quo loco eadem illa Lucilii et legis Fanniae interpretatio legitur quam ut falsam castigarat Ateius Capito eo loco, quo scriptores commentariorum in Lucilium commemorauerat. Qui Fanniam legem, quam significauit Lucilius, eodem modo interpretati erant, quo Liciniam apud eundem et Tappulam cuius interpretatio apud Festum p. 363, 20 haec legitur 'Tappulam legem conuiualem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus cuius meminit Lucilius hoc modo' e. q. s. (incert. u. 1307). Nam multas Verrii glossas e commentariis petitas esse consentaneum est, ueluti quod

legitur p. 28 extr. ‘aduelitatio iactatio quaedam uerborum figurata ab hastis uelitaribus. Velites dicuntur expediti milites quasi uolantes’ ad Plaut. Rud. u. 525 ‘equidem me ad uelitationem exerceo’ pertinet ubi supina neglegentia Verrii seruus litteratus lemma ‘ad uelitationem: uelitatio est’ e. q. s. una cum praepositione transscripserat. Vsus est Macrobius praeterea illis locis ubi Luciliana exhibet scriptore illo qui de furtis Vergilii scripsit et Gellio.

Item ad Lucilii commentarium illum pertinere statuerim Paul. Fest. p. 54 ‘centenariae cenae dicebantur in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terra enata inpendebatur, id est centum assibus, qui erant breues nummi ex aere’ (uide ad dub. u. 1353). Tum ex eodem commentario uidetur Verrius nonnulla intulisse in opus suum quantum ex indole et stilo elocutionis iudicare licet qualia sunt haec, in quibus lemmata scholiastae praeposita facile agnoscas:

Fest. p. 270, 4 ‘“Rhondes Icadionque” cum dixit Lucilius *duo* (*quo* cod) nomina *pirat*arum (*riparum* cod) posuit, tam infestum sibi corpus et ualitudinem referens, quam *illi essent* (*leuis sed* cod) saluti nauigantium’ (incert. u. 1292).

Fest. p. 340, 24 ‘“⟨Sepultum m⟩orte meroque” (*moroque* cod) cum ait ⟨Lucilius, meminit d⟩e L. Terentio Tusci ui⟨ci magistro quem constat⟩ uiuum de saxo Tarpeio ⟨desiluisse cum eo u⟩enisset comissatum quod ⟨uini ui facere ess⟩et coactus’ (dub. u. 1374).

Paul. p. 96, 3 ‘“Gallam bibere ac rugas con lucere uentri” cum ait Lucilius, praemonet parsimonia esse utendum, neque gulae indulgendum uentremque coartandum’ (lib. XV u. 501).

Fest. p. 343, 7 ‘“Seruorum dies festus uulgo existimatur Idus Aug. quod eo die Ser. Tullius natus seruus” e. q. s. uide commentar. ad lib. VI u. 228 seq.

Notae Alexandrinorum criticae Porro editiones fuisse in manibus grammaticorum, quae signis criticis quibus Aristarchus usus erat exornatae fuerint testatur anonymus Parisinus G L VII p. 534, 4 K (testim. 44). Quo testimonio quorum poetarum libros Probus notis exornarit, dilucide cum indicetur, non tamen poterit diiudicari, utrum Aelius Stilo an S. Ennius grammaticus, cui, si recte scripsimus, anteponitur cognomen *Spurius*, Lucilium cum

signis Aristarchi ediderit: de S. nota praenominis quod restituimus uide E. Huebnerum in enchirid. J. de Muelleri uol. I ed. II (1892) p. 657.

Scriptores qui Lucilii uersus afferunt in III discribi possunt classes; quarum prima est eorum, qui non grammaticae aut rhetoricae studiosi locos poetae attulerunt sed tantummodo ea de causa, ut legentium uel audientium animos poetae uersibus delectarent. *De scriptoribus qui afferunt Lucilii uersus* *1) Oratores et poetae* Quorum in numero uetustissimus omnium est M. Tullius Cicero, *Cicero* qui in scriptis rhetoricis et philosophicis et in epistulis passim uersus laudauit Lucilii, in orationibus eis quae sunt superstites nusquam eum adhibuit poetam, qui et nobilium fautor fuerit acerrimus et scriptor minime popularis. Itaque quod Quintilianus scribit I 8, 11 (testim. 46) apud Ciceronem praecipue, frequenter *Asinius* tamen etiam apud Asinium et proximos oratores, Ennii Accii Pacuuii Lucilii aliorum inseri uersus, id de Asinii et proximorum orationibus dictum esse apparet quod ad Lucilii quidem uersus pertinet; reliquos quos nominat Quintilianus poetas a Cicerone in orationibus passim laudatos fuisse in commentario l. s. s. adnotat Spaldingus. Horatium Asinii aequalem passim *Horatius* imitatum esse Lucilium pueri discimus. Sed ne Vergilius *Vergilius* quidem prorsus abstinuit elocutione Luciliana: recte enim uidentur esse obseruata quae apud Macrobium VI 1, 35 et 43 leguntur de Vergilio Lucilii imitatore, cum alia ueluti quae Seruius adnotauit ad Aen. X 104 stultitiae sint plena et peruersa (uide ad lib. I u. 3. 4 lib. V u. 218 XVII u. 547). Atque satiricos poetas Lucilium legisse ueluti Persium *Persius* (uide ad lib. X u. 383 I u. 9) et Iuuenalem consentaneum est, quorum in numero Persius studiose uersum integrum Lucilii transtulerit in suam saturam I 1; sed Martialis, quod *Martialis* idem fecit XI 90 (uide ad lib. XXII u. 580), id ea de causa fieri uoluit, ut eorum studia et fastidia derisui haberet, qui ueterum poetarum libros mallent legere quam recentium. Neque igitur Martialis accuratius Lucilio operam dedit neque Petronius: qui quod semel (cap. 4: uide incert. u. 1279 testim. *Petronius* 77) dictum laudauit Lucilii, id celeberrimum fuisse et in primis ferri uulgo solitum patet Apuleii testimonio ad incert. l. s. quod est appositum. Neque in inscriptionibus Pompeianis

adhuc Lucilianae saturae lectio potuit agnosci, cum opera *Quintilianus* Lucilii Quintilianum rhetorem plane ignorare appareat e loco IX 4, 38 ubi de s littera hoc modo refert: 'nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit "Aeserninus fuit" et "dignus locoque" et Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos'. Sed idem testatur X 1, 93 (testim. 48) nonnullos iam illa aetate Lucilium ueterem non modo Horatio, sed omnibus poetis praeferre Latinis: quod genus hominum l. s. leniter castigat, acerbius uituperat Tacitus dialog. 23 *Apuleius et Fronto* (testim. 49). Iam Apuleius (uide ad lib. III u. 121 VII u. 272 incert. u. 1278) et Fronto (uide ad incert. u. 1195) etiamsi raro Lucilium nominent, non dubium tamen est, quin Lucilii *Saeculo p. Chr. II Lucilii carmina popularia fuisse* scripta ipsi legerint. Populares denique inprimis saeculo altero exeunte uersiculos Lucilii etiamtunc fuisse Iulius Capitolinus (uit. Pertin. 9, 5) auctor est, qui Pertinacem 'ex uersu Luciliano' uulgo 'agrarium mergum' (incert. u. 1103) tradat fuisse appellatum. Post hunc temporis terminum nullum praesto est testimonium, quo Lucilii carmina in manibus hominum fuisse certa ratione possit demonstrari. Reuera exeunte saeculo p. Ch. II eruditionis et litterarum Romanarum historiam ad finem esse perductam iure statuas. Ingruere inde ab initio saeculi III barbariem in urbe aeterna inscriptiones tantum non clamant: ipsum saeculum a Musis Latinis fere *Saeculo p. Chr. III exeunte Arnobius* derelictum uidetur et contemptum. Arnobius quod cum contemptu et irrisione eos grammaticos appellat, qui 'Marsyam Pomponii' et 'Fornicem Lucilianum' obsignatum memoria continent (uide ad incert. u. 1177), ea res minime ita comparata est, ut inde efficias Lucilii opera etiamtunc in manibus haberi in Africa et legi esse solita. Nouerat ille grammaticorum scripta qui more saeculi antecedentis ueteres tractarant poetas, non nouerat poetas ipsos: nam grammaticos castigat, *Lactantius florilegio usus* non poetas ipsos uituperat Arnobius. Cuius discipulo Lactantio, cui omnium amplissima debemus Lucilii fragmenta lib. XV u. 484 seqq. de superstitione, incert. u. 1228 seqq. de hominum blanditia perfida et subdola, incert. u. 1326 seqq. de uirtute, lib. I u. 19 seqq. de dis patribus, incert. u. 953 de amicitia, quod fragmentum erat librorum XXVI—XXIX, ea ex argumenti genere et indole apparet ex florilegio ethico

esse sumpta: uide quae adnotata sunt ad incert. u. 1326. Neque Hieronymus neque Ausonius Lucilii scripta in mani- *Quo tempore Lucilii exemplaria euanuerint e manibus hominum* bus habuit (uide ad incert. uu. 967. 1189. 1299). Sed, quae est natura talis quaestionis, nos numquam certo anni numero poterimus definire, quo grammaticus Latinus Lucilianorum ultimus ultimum Suessani poetae carmina inspexerit neque quo die ultimum eius exemplar in scrinio aliquo siue Romae siue in prouincia perierit tabe et madore confectum. Hoc tantummodo erit monendum, totam hanc quaestionem coniunctam esse cum quaestione de fatis libellorum Iuuenalianorum. Nam scholiasta Iuuenalis quos attulit ad poetae *Scholiasta Iuuenalis* sui interpretationem locos Lucilianos, isti quidem ex ipso poeta certe sunt electi, non ex commentariis Persii uel Horatii neque ex florilegiis aliisue grammaticorum libris corrogati. Quodsi scholiorum Iuuenalianorum collectio saeculo IV, quo Iuuenalis passim coeptus est lectitari, reuera facta est uetustissima, tum medio saeculo IV Lucilii et Ennii libros etiamtunc a uiris doctis lectitatos esse constat. Sed multo est probabilius poetam iam exeunte saeculo II doctos suos habuisse amatores qui Lucilii uersus et Ennii in suis exemplaribus adnotarint: quorum opera factum est ut omnino poeta ille obliuione sepultus non perierit et iterum in manus et ora hominum peruenerit inde a saeculo IV ineunte (Iuuenalis edit. Friedlaenderi I p. 82). Denique florilegio cuius auctor omnes XXX *Florilegia* Lucilii libros excerpserit Lactantium usum esse cum supra posuerimus, memores eramus illius florilegii in quo electas ex Ennio Lucilio Varrone saturas collocauerat Iulius Florus Horatii aequalis auctore Porphyrione ad epist. I 3, 1 (testim. 45).

Iam transeundum est ad grammaticos, de quibus breuiter *2) Grammatici* agendum erit ideo, quod ad uerba Lucilii recte enarranda non magni est momenti quaestio illa de auctoribus et fontibus, unde suos quisque uersus sumpserit grammaticus. Neque enim solui ista potest quaestio ubique et, si soluta est, denuo existit statim noua quaestio unde uersum duxerit auctor ille grammatici modo inuentus, utrum alio deinceps auctore sit usus ille an ipsum adierit poetam. Atque primum in hac quaestione occupat locum M. Terentius Varro eiusque libri de *Varro* lingua Latina quorum de auctoribus nuper egit R. Reitzen-

steinius M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita Lipsiae 1901, nonnulla nos supra proposuimus p. LIII. LVII Lucilii uersus passim in libris de lingua Latina leguntur quos non e poeta ipso, sed ex aliorum scriptis grammaticorum sumpsit ueluti incert. u. 1153 de ling. Lat. IX 81. Item saepenumero Lucilii uersus attulerat in libris de sermone Latino ad Marcellum aliis, quibus usi sunt Verrius Flaccus Plinius Secundus Velius Longus Terentius Scaurus Martianus Capella alii: quorum de origine quaerere, ita ut Varronis indagare studeamus aut auctores aut propriam laudem nostrum hic non est. Proximus qui tractetur grammaticus est M. Verrius Flaccus cuius amplissimum opus de uerborum significatu in lacera Sex. Pompei Festi epitoma et integra Festi epitoma a Paulo confecta ad nostrum peruenit saeculum. Qui permultos testimonio adscripserat Lucilii uersus. Sed Lucilii exemplar Verrium ipsum adiisse si quaeris minime probabile est ideo, quod Ennii annalium Lucretii Catonis originum libros singulos numero libri adiecto saepissime nominauit ille, Lucilii libros numquam numero signari uoluit. Contra permulta Lucilii fragmenta apud Verrium aliorum libris debentur ueluti Sinnii Capitonis libro de prouerbiis (incert. u. 1220. 1223), Varronis libris (incert. u. 1260. 1287, Reitzensteinii dissert. phil. Vratisl. I 4 p. 23). Alii uersus e commentariis Plauti Naeuii Ennii Catonis erant exscripti, quos uel ipse Verrius uel eius serui litterati adierant. Saepenumero enim inueniuntur glossae hac ratione enarratae, ut priore loco adscriptus sit Ennii Plauti Titinii Catonis locus, sequatur uersus Lucilii, ueluti in secunda quae dicitur parte litterae m

Velius Longus Terentius Scaurus Martianus Capella

Verrius Flaccus

p. 161, 8 'me pro mihi dicebant antiqui ut Ennius cum ait l. II "si quid me fuerit humanitus, ut teneatis" et Lucilius "nunc ad te redeo et quae res me impendet agatur".' Et in secunda parte litterae p:

p. 249, 18 'puelli per deminutionem a pueris dicti sunt. itaque et Ennius ait "Poeni soliti suos sacrificare puellos" et Lucilius "cumque hic tam formosus homo ac te dignus puellus" et Plautus "olim huic puello sese uenum ducier".' Et in priore parte eiusdem litterae:

p. 210, 18 'pedes autem pro pediculis sic Plautus refert in Curculione ... et Liuius in Gladiolo ... et Lucilius "ubi me uidit caput scabit pedes legit".'

Et in priore parte r et s litterarum:

p. 277, 5 s. u. remorae legebatur Plauti uersus e Trinummo, tum Lucilii incert. u. 965.

p. 301, 10 'solox lana crassa, et pecus quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barbato "ego ab lana soloci ad purpuram data" et Lucilius "pascali pecore ac montano, hirto atque soloce (incert. u. 1246)".'

p. 376, 22 'uindiciae appellantur res eae de quibus controuersia est ... M. Cato in ea quam scripsit L. Furio de aqua ... Lucilius "nemo hic uindicias neque sacra ueretur (incert. u. 1219)".'

Contra tribus tantummodo locis praecedit Lucilii uersus, sequitur scaenici poetae uersus titulo omisso:

p. 209, 3 'petimina in umeris iumentorum ulcera et uulgo appellant et Lucilius (incert. u. 1347) meminit quom ait "ut petimen naso aut lumbos ceruicibus tangat": eo nomine autem et inter duos armos suis quod est aut pectus appellari solitum testatur Naeuius in descriptione suillae quom ait "petimine † piscino qui meruerat".'

p. 277, 20 're⟨millum dicitur quasi repandum. Lucilius (incert. u. 1303) "suda ... remillum" et Afra⟨nius .. ".'

p. 270, 34 'redantruare dicitur in Saliorum exultationibus cum praesul amptruauit, quod est motus edidit, ei referuntur inuicem idem motus. Lucilius (lib. IX u. 320) "praesul ut amptruet inde, ⟨ut⟩ uulgus *redamptruet. et* Pacuuius "pro merenda gratia simul cum uideam Graios nihil mediocriter redamptruare opibusque summis persequi".'

Haec tria lemmata ex Lucilii commentario (conf supra p. LVIII) potius sumpta sunt cum in tertio appareat totam interpretationem uerbi redamptruare ad Lucilii uersum pertinere, carere interpretatione uerba Pacuuii. At aliam Lucilii editionem Verrii auctor usurparat in littera a ubi legitur

p. 9, 11 'andruare id est recurrere a Graeco uerbo ἀναδραμεῖν uenit: hinc et drua uocata est.

antroare gratias referre. truant mouentur. truam quoque uocant, quo permouent coquentes exta' quarum prior

glossa ad Lucilii uersum, posterior ad Pacuuii pertineat senarios. Itaque in hac editione editor *andruet redandruet* scribi uoluit apud Lucilium, Pacuuium tamen *redantruare* scripsisse adnotauit, quod uerbum diuersae sit originis. Huius editionis similem eiusque scholion adhibuit Nonii auctor

p. 165, 17 'redandruare, redire. Lucilius lib. VIIII "ut uulgus redandruet inde". Pacuuius Chryse "Graecos nihil mediocriter redandruare".' Vtramque denique lectionem andruare et antruare agnoscunt glossaria quae adhibuimus ad lib. IX u. 320. Itaque sicuti constat apud Verrium diuersas eiusdem loci Plautini lectiones adhiberi, idem cadere in Lucilium apparet.

Longe plurima tamen glossemata Luciliana ita comparata sunt ut praeter Lucilii uerba nullius scriptoris locutiones aut uersus sint adlata: posita autem sunt raro in posteriore quae dicitur parte litterarum. Quodsi casu factum esse non potest ut Verrius Ennii annalium Lucretii Catonis originum aliorum libros numero saepenumero signarit, Lucilii libros nusquam numero indicauerit, apparet quaecumque e Lucilio attulit Verrius ex aliorum grammaticorum libris esse hausta. Nam si ipse Lucilium adiisset, nouum et elegantem morem, quem in Ennio adhibuit libros numerandi, etiam in Lucilio adhibuisset. Atenim dicat aliquis etiam Ciceronem Ennii sextum et nonum annalem cum numero libri afferre, Lucilium hoc modo nusquam. Cui respondebimus aliam esse rationem grammatici, aliam Ciceronis longeque ab illa diuersam.

Plinii Secundi dubii sermonis libri

Proximus est Plinius Secundus qui in libris dubii sermonis passim uersus Lucilii attulerat, suane usus lectione an Caesaris Varronis Verrii aliorum libris non liquet. In naturali historia sane amplissimum fragmentum lib. XXVI u. 595 seq. positum in praefatione (7) e Cicerone sumpsit. Reliquias Plinianae grammaticae quas superstites esse iudicauit collegit I. W. Beckius (C. Plinii Secundi librorum dubii sermonis reliquiae Lipsiae 1894): suppeditat fragmenta largissime Charisius qui Palaemonis usus fuerit copiis et Iulii Romani: etiam Quintiliani tractatus de grammatica I 5, 55—7, 27 qui Luciliana continet, Palaemoni aut Plinio uidetur deberi: nam ipse Quintilianus Lucilium non tetigit (uide supra p. LX).

Apud eundem Iulium Romanum Charisii auctorem extant Fl. Capri doctrinae reliquiae quales plurimas seruauit Seruius Diomedes alii, tum Prisciani grande opus. Vsum esse constat Caprum M. Valerii Probi copiis (Charis. GL I p. 118, 1 K): neque tamen dubites, quin ipse Lucilii saturas perlustrauerit. Nam ap. Priscianum GL II p. 534, 26 K seqq. redarguit Caper Probum Lucilii exemplo quod ipse uidetur inuenisse:

Fl. Caper

> 'lacesso, lacessiui: sic Probus et uidetur mihi melius dicere. participium enim passiuum lacessitus. Caper tamen "lacessi" dicit esse ut "facessi" et profert exemplum Lucilii quo usus est in XIIII (u. 478 seq.) "Num uetus ille Cato * lacessisse" . . . sed potest lacessisse per syncopam esse prolatum "ui" syllabae ut "cupisse" "petisse" dicimus pro "cupiuisse" "petiuisse".'

Quem locum illi considerent oportet, qui Priscianum nihil omnino de suo addere potuisse uideantur arbitrari: ueluti locum Ciceronis ad Herennium quem iam Caprum attulisse apud Prisc. I p. 95, 18 H. iudicat G. Keilius (de Fl. Capro grammatico Hal. 1889 p. 18, 10) alii, is antecedit ut a Prisciano adiectus, secuntur exempla a Capro iam prolata Liuii Andronici et Plauti.

Caper apud Charisium

Eundem grammaticum adferri arbitror apud Charisium p. 100, 26 qui Lucilium accurate inspexerit

'intiba neutro genere Vergilius (georg. I 120) dixit "et amaris intiba fibris" et sic multi eruditorum. sed et masculino genere frequenter a ueteribus dictum est. nam Lucilius in V deridens rusticam cenam enumeratis multis herbis "intibus praeterea pedibus *pro*serpsit (perserpsit *N*, perserpit *cod Dousae*) equinis" (u. 193) et Aemilius Macer "quales aget intubus herbas". Capri haec esse ideo credibile est, quod Aemilii Macri libri ibi adferuntur, ubi Capri excerpta esse constat ueluti in libello de dubiis nominibus GL V p. 576, 5 592, 20 et in Nonii libro III qui est de indiscretis generibus p. 220, 17 "prosecta exta . . . generis neutri Aemilius Macer . . . feminino Lucilius lib. XIV (u. 473) . . .".' Quo in libro Capro Nonium esse usum post Keilium GL V p. 570 multi dixerunt. Qua in quaestione Luciliana sunt tractanda haec exempla:

Non. p. 206, 14 'forum generis neutri: masculini Lucilius

lib. III "Romanis ludis forus olim ornatus lucernis".' Charis. p. 71, 27 'forum neutro genere . . . quamuis . . . Lucilius negotiorum forum masculine extulerit libro III "forus olim ornatus lucernis".'

Non. p. 219, 4 'palumbes feminino Vergilius in bucolicis (I 57) "nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes": masculino Lucilius lib. XIIII "macrosque palumbes..." Charis. p. 106, 24 'palumbes Vergilius feminino genere dixit "aeriae quo congessere palumbes" (bucol. III 69) item "raucae tua cura palumbes" (l. s. I 57) sed Lucilius XIIII masculine "macrosque palumbes"...' Quos locos Lucilii e grammatico sumptos esse a Nonio inde est manifestum, quod libros I—XXI non appellat *satyrarum* genetiuo adiecto, sicuti fecit cum exemplari suo utitur Lucilii.

Denique e Capro sumpta esse patet ea quae leguntur Charis. p. 145, 19

'Torques hic et haec torques nominatiuo, ut et hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus: itaque dixisse ueteres Caper his exemplis docet: Laeuius' e. q. s. p. 125, 20 'Canes Lucilius I "inritata canes quam homo quam planius dicit" pro canis.'

Sed aliis quoque locis manifestum est grammaticum exscriptum esse apud Charisium, qui accurate exemplar Lucilii inspexerit. Veluti p. 78, 12 de Lucilio dicit

'denique et in libro VIIII sic ait (u. 362 seq.) . . . et paulo post (sequitur u. 366).' Et eodem modo p. 94, 23

'sed inepta haec esse Lucilius docet qui etiam medicorum forcipes dicit libro XI (u. 401 seq.) . . . item paulo post (sequitur u. 403 seq.).'

Vtroque loco iustum uersuum ordinem, qualis fuerat apud Lucilium, seruauit grammaticus idque ita se facere indicauit lectori. Et paulo post p. 96, 9 legimus

'alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit et sic multi dixerunt quamuis Lucilius XV "nemo est halicarius posterior te" cum adspiratione dixerit' (u. 496).

Quae omnia ex Capri libris sumpta esse probabiliter arbitror esse statuendum. Hunc igitur ubique omisso genetiuo *saturarum* uidemus Lucilium afferre, quem ipse inspexerit uel in aspirationis minutiis diligentissimus. Sed Charisii capp. XV et XVI (p. 50—147), ubi illi quos supra tractauimus loci inueniuntur, exhibent plus XXXV Lucilii fragmenta, sumpta ex prioribus ordine et ex posterioribus saturarum libris: nam etiam liber XXV adfertur p. 123, 12 et liber XXIX p. 97, 4. Peragrauit igitur grammaticus ille quem Caprum fuisse suspicor totum corpus saturarum Lucilii a primo usque ad ultimum librum studiose; Lucilium semper eodem modo laudauit quo Caper, i. e. omisso genetiuo *saturarum* praeter unum exemplum positum p. 118, 29. Eandem uero in Lucilio afferendo rationem deprehendimus apud Priscianum, quem Capro usum esse constat sicuti de Capro constat Charisii auctore. Vbi libri Lucilii afferuntur inde a II usque ad XXX, ita ut auctorem totum peragrasse corpus saturarum manifestum sit et ubique adferuntur omisso genetiuo *saturarum* uno loco excepto I p. 203, 19H de quo infra agetur. Atque Charisii illorum capitum multa sunt propria multique scriptores peculiares: passim adfertur Plinius, grammaticorum Stilo, Aurelius Opilius, Epicadus, Santra, Hyginus, Cornuti libri in Vergilium, poetarum Catullus, Cinna, Varro Atacinus, Horatius, Tibullus, Propertius, Aemilius Macer, Valgius, Maecenas, Ouidius, Pomponius Secundus, Cornelius Seuerus, Martialis, Annius Florus, tum C. Caesar, T. Liuius, Cornelius Nepos, Asinius Polio. Eosdem scriptores reperimus in disputatione Capri de dubiis nominibus GL V p. 571—594 ueluti Aemilium Macrum, Horatium, Tibullum, Propertium, Cornelium Seuerum, Martialem poetas, Nepotem Liuium Polionem historicos: utraque disputatio ea re inprimis insignis est, quod utrobique adfertur Scaeuola (I p. 101, 7 V 575, 24), Melissus (I 101, 4 V 575, 8, Varronis de actionibus scaenicis libri (I 147, 6 alibi V 590, 4), eiusdem epistolicae quaestiones (I 138, 4 alibi V 588, 19), liber ad Neronem (I 130, 17 V 590, 26). Itaque omnia fere quae apud Charisium l. s. s. inueniuntur fragmenta Lucilii Capro uindicabimus, qui eius saturas eodem modo peragrauerit quo Gellii libris historicis operam dedit Charisii auctor p. 54, 13 seqq. ubi primum adfertur 'Gellius in II . . . et in eodem . . .' tum 'et in tertio . . . et in V . . . et in VII . . . idem

Caper apud Priscianum

Gellius in XCVII ... et mox ...' ut eundem scriptorem adhibitum esse appareat, qui simili modo omiserit quod alii addunt *annalium* sicuti in Lucilio omittit illud *saturarum*. Adde quod bis Lucilii nomen cum Gellii in illa parte coniungitur p. 54, 25. 71, 29. Neque quidquam uideo causae, quare illis locis omnibus Plinii potius uel Probi copias a Capro exhiberi credendum sit.

Longe aliter comparata est pars illa Charisii p. 190—242 ubi paucis paginis exceptis de quarum auctore constat certum est Iulii Romani librum esse descriptum. Qua in parte nusquam legitur ueluti *Lucilius V*, sed tantummodo *Lucilius* aut *Lucilius saturarum I*. Loci sunt quinque p. 195, 6. 203, 20. 217, 25. 223, 21. 240, 8 ubi *saturarum* additur librorum numeris praeter 223, 21 quem ut corruptum Keilius asterisco notauit: continentur uero uersus Lucilii intra lib. I—XI. Adhibetur etiam in hac parte Fl. Caper, cuius rationem facile agnoscimus p. 207, 30 'nouissime Tiro in pandecte non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id aduerbium. ubi Fl. Caper de Latinitate: "miror", inquit, id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II "mater ..." idem XXII "quod nouissime ..."' Atque ex Capro haec fragmenta Lucilii sumpta non esse consentaneum est, cum haec pars omnes illos auctores, quos prioris illius partis proprios supra p. LXVII nominauimus, non exhibeat: in qua ueluti Plinii nomen nusquam legatur. Contra multa huius partis sunt propria quae facile quiuis colligere possit perlegendo. Inprimis adferuntur scaenicorum uersus: ueluti Naeuii fabulae in priore parte semel tantummodo adferuntur (p. 127, 5) semel, quod apud Priscianum totiens adhibitum est bellum Punicum (p. 128, 17): hic bellum Punicum nusquam, Naeuii comoediae fere triciens adferuntur: idem fere de Afranio dicendum est et de Ennio: contra Accius et Pacuuius raro in hac parte, multo saepius in priore leguntur. Sola in hac parte legitur Plauti Friuolaria et Caecus, Attae et Iuuentii nomina, Sisennae Milesiarum lib. XIII alia. Neque tantummodo in Lucilio adferendo ratio discrepat. Veluti p. 84, 6 legitur 'ut in Odyssia uetere, quod est antiquissimum carmen' omisso Liuii nomine, sed p. 197, 15 tantummodo 'Liuius' omisso nomine carminis.

Tum p. 141, 13 et 24 'Cornelius Nepos inlustrium uirorum libro XVI', at p. 220, 12 'Nepos de inlustribus uiris II'; p. 128, 27 'Cicero de oratore libro II', contra p. 195, 27 'M. Tullius de oratore ad Quintum fratrem'; p. 126, 23 'Cato de multa contra L. Furium' sed p. 208, 19. 212, 1. 216, 11 ter 'M. Cato in L. Furium de multa'. Grammaticorum nomina quae in hac posteriore parte sola nominat Romanus enumerare longum est: commentarios multorum in multos scriptores eum adhibuisse certum est ueluti adhibuit Scauri commentarium in Horatii poeticam, Acronis et Celsi in Terentium, Celsi Salutaris Velii Longi in Vergilium, Pauli in Afranium, eiusdem in Coelium, Aspri in Sallustium, Sacri in Ciceronis orationes, Sisennae in Plautum. Nonnumquam e commentariis plura exscripsit quam aptum erat, ueluti e Plauti commentario p. 240, 5 haec apposuit recte edita a Keilio 'euax Plautus in Bacchidibus (247) "euax aspersisti aquam" fili nuntio. Ennius quoque annalium libro "aquast aspersa Latinis"' quae nihil pertinent ad *euax* glossam quam in heroo carmine fuisse minime credi potest. Eodem modo ex eodem commentario p. 205, 5 'meditate Plautus in Bacchidibus (545) "edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes" in quibusdam non ferunt' (feruntur Ritschelius: conf p. 199, 11). Aduerbia quae e Lucilio protulit Romanus haec sunt quattuor: amplius longe satis utpote. Sed haec aduerbia e Lucilio ipso sumpta non sunt, ubi uel mediocriter doctus grammaticus poterat multo meliora exempla inuenire ueluti *ampliter firmiter ignauiter demagis desubito publicitus* alia. Itaque casu factum esse negabimus quod illud fragmentum quod primo loco positum est p. 195, 6 'amplius Lucilius saturarum I (u. 5 seq.) "quo pacto populum"' e. q. s. adfertur a scholiasta Veronensi ad Aen. XII 680, alterum p. 203, 20 'longe pro longitudine Lucilius saturarum III (u. 114) e. q. s.' positum est post Vergilii uerba Aen. I 13 'Tiberinaque longe ostia', tertium p. 217, 25 'satis diuerse accipitur, ἀντὶ τοῦ par Lucilius saturarum (incert. u. 1147) * 'cui si coniuret populus uix totus satis sit' potuit adscribi ad Vergil. Aen. VII 470 'se satis ambobus Teucrisque uenire Latinisque' denique p. 223, 21 'Vtpote Lucilius III (u. 147) * suum

potuit habere locum ad Aeneid. X 481, ubi in Seruii commentario de *mage* et *pote* etiamnunc agitur: item ultimum quod legitur p. 240, 8 'mu pro muttire Lucilius saturarum libro XI' e. q. s. poterat esse adnotatum ad eos uersus Vergilii ubi *mussare* uerbum legitur ueluti conf Seruium auctum ad Georg. IV 188 ubi Ennii uersus extant adscripti: mussare cum *μῦ* Graecorum coniungit Varro de l. Lat. VII 101. Neque tamen uersus Lucilii si re uera Romanus ex eis petiit commentariis in Vergilium quos passim nominat, auctorum istorum fuere, sed e uetustioribus desumpta ueluti e Valerii Probi commentariis quem ad Naeuii uersus in illa parte nominat auctorem Iulius Romanus p. 198, 16 his uerbis 'Efflictim Naeuius in Corollaria "nolo ego hanc adeo efflictim amare: diu uiuat uolo, ut mihi prodesse possit" ubi Probus "usque donicum effligatur"': quo in loco Probi uerba satis indiligenter descripsit grammaticus.

Atque Priscianus praeter unum locum I p. 203, 19 ubique Lucilium adfert secundum Capri consuetudinem omisso genetiuo saturarum. Agitur illo loco de 'caepe' uocabulo hoc modo 'hoc cepe, huius cepe Apuleius in medicinalibus "cepe sucum melle mixtum" quod in plurali numero femininum est primae declinationis "hae cepae harum ceparum" quamuis antiquissimi in a quoque singulare feminino genere hoc recte protulisse inueniuntur. Naeuius in Apella ... Lucilius in saturarum VI (lib. V u. 195) ... frequentior tamen usus "hoc cepe" protulit. Naeuius in Apella ... Nouius in eculeo ... Varro de actionibus scaenicis III ... Caper tamen et "cepicius" et "cepicium" ueteres dixisse ostendit'. Vbi Capro tribuas Varronis locum de actionibus scaenicis propter ea quae supra p. LXVII exposita sunt. At Naeuii duo loci ex Apella comoedia, quae alias nusquam commemoratur, Probum indicant auctorem, qui apud Charisium l. s. s. de Corollaria Naeuii appellatur, item apud Priscianum I p. 541, 19 H. de alia Naeuii comoedia hoc modo: 'sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naeuium protulisse "an nata est sponsa praegnas? uel ai uel nega".' Itaque cum idem hic uersus Naeuii legatur apud Diomedem in capite de perfecto p. 374, 4, ubi antecedat p. 373, 23 'occino occini', apud Priscianum I p. 529, 6 H. legatur 'sed Probus "occini" quoque existimat posse dici', nemo dubitabit, quin Diomedes in toto illo capite de perfecto Probo usus fuerit, qui reuera nominatur a Diomede p. 364, 30. 365, 10. Quam Keilii sententiam G L I p. LII seqq. prolatam ita tantummodo licebit corrigere, ut et apud Diomedem et apud Charisium posterioris alicuius scriptoris, qui Probum ad uerbum exscripserit, disputationem nobis esse seruatam statuerit quispiam. Quam quaestionem nunc mitto, cum ad eam quam nos tractamus parum pertineat. Ergo quae in capite de uerbo apud Diomedem leguntur p. 369, 15—24, ea Probi esse apparet: 'neglego, neglexi: Aemilius Macer "omnium nostrum neglegerit auctoritatem".' Idem eodem modo corruptum Probi exemplar adhibuit Priscianus I p. 525, 3 'neglego neglexi ... quamuis † Aemilius Macer in XVI annalium "omnium nostrum neglegerit auctoritatem" pro "neglexerit" ait'. Nimirum alio loco alio auctore usus Priscianus II p. 8, 8. I p. 227, 1. 266, 23 ter eodem modo '*C. Licinius in II*'; sed quarto loco, ubi Probo auctore usus est I p. 242, 20, hoc modo: 'nam "inquies", cuius extremam corripi dicit Probus "inquietis" declinatur, quod trium factum est generum, ut supra ostendimus. cuius etiam simplex in usu inuenitur trium generum. Naeuius in carmine belli Punici ... *Licinius Macer in I annali* ... Sallustius in II historiarum ...' Sequitur apud Diomedem: 'necto ⟨*uel nexo*⟩ nexui uel nexi, Vergilius "palmas amborum innexuit armis" Liuius in Odyssea "nexebant multa inter se" Maecenas "nexisti retia lecto" Lucilius saturarum (lib. V u. 217: *satyrarum curarum* codd) "tum retia nexit".' Itaque quo tota haec tendit disputatio nimis iam copiosa, demonstratum est Probum solere addere genetiuum *saturarum* in Lucilii locis adferendis. Hoc loco agnoscit tantummodo *necto* uel *nexo nexis* tertiae coniugationis, cuius perfectum sit *nexui* uel *nexi*. Probum redarguit is quo Priscianus utitur auctore I p. 469, 12, cum demonstret etiam *nexo nexas* dictum fuisse a Vergilio: 'nexo quoque "nexas" — uel "nexis" ut Probo placet, "nexui". Vergilius tamen in V "nexantem nodis seque in sua membra plicantem" secundum primam protulit coniugationem. Liuius uero in Odyssia "nexebant multa inter

se flexu nodorum dubio" Accius in Deiphobo "nos continuo ferrum eripimus, manibus manicas neximus". necto tamen eius est primitiuum: nam quomodo a participio "amplexus" ... fit ... "amplexor amplexaris", sic a ... "nexus" ... fit ... "nexo, nexas". unde manifestum, quod rationabilius hoc secundum primam coniugationem protulit Vergilius. a "necto" tamen similiter "nexui" protulerunt plerique, quidam tamen etiam "nexi" ... Vergilius in V "et paribus palmas amborum innexuit armis" Lucilius in V "hic solus uigilauit, opinor, et cum id mi uisus facere est, tum retia nexit".' Eadem fere de praesenti *nexo nexas* et *nexo nexis* profert Priscianus I p. 538, 6—15, de perfecto *nexui* et *nexi* p. 536, 8—15: 'similiter necto "nexui" et "nexi". Vergilius in V "et paribus palmas amborum innexuit armis" ... Lucilius in V "hic ... nexit" Propertius "at tibi qui nostro nexisti retia lecto".' Vbi Propertii exemplum (III 8, 37) Capri est, qui Maecenatis exemplum a Probo allatum omiserit, simillimum Propertii addiderit. Nam Propertium in eis poetis esse quos Caper egregie adhibuerit supra exposuimus p. LXVII: neque denique probabile arbitror Maecenatis nomen errore positum esse apud Diomedem quod Lachmannus arbitratus est esse factum in Propertii editione p. 263, sed Propertium l. s. carmina regis sui quem insequente carmine appellat comiter et blande laudasse.

M. Valerius Probus Quae si recte disputauimus, Probus solebat addito genetiuo *saturarum* uersus afferre Lucilianos, quem Caper non addebat neque alia ratio in historicis cernitur ab utroque grammatico allatis. Cuius rei certum exstat testimonium apud Gellium VI 9, 12 'Idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII "speponderant" scripsisse adnotauit'; contra Charisius p. 207, 30 'nouissime ... ubi Fl. Caper de Latinitate "miror", inquit, "id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II "mater cum nouissime aegrotasset" inquit "nouisse fertur" idem XXII "quod nouissime nobiscum foedus fecissent".' De loco Charisii p. 118, 29 ubi legitur 'Lucilius libro I saturarum' infra disputabitur p. LXXV. Atque exstant etiamnunc excerpta e commentario M. Valerii Probi in Vergilii bucolica et georgica satis copiosa edita post H. Keilium modo in Seruii uolumine III 2 p. 323 seqq. Lipsiae 1902.

num Latin. compos. Bonn. 1888 scripsit ad me Skutschius. — Ad u. 611 'tueri' conf Cic. epist. X 24, 5. — Ad u. 777 si legitime exierat 'fulmentas aëneis' conferendus idem exitus Plaut. Truc. u. 272 'armillas aëneas'. — Ad u. 803 *inuenisse* non editioni Lachmanni esse tribuendum sed Vahleno (anal. Nonian. p. 30 adn.) auctor ipse modo per epistulam me fecit certiorem, idem l. s. p. 6 'nullo' monet eodem loco sese inseruisse atque me u. 691. In app. crit. u. 1189 scribas *Michaeam*, in app. crit. u. 1353 uerborum ordo turbatus. In indice nominum p. 98 erratum in numero consulatus Mucii.

Versus Lucilii, quos Nonius affert sumptos e Lucilio ipso, eos in commentario proposuimus solo nomine Nonii praemisso. Reliquos lectori indicauimus additis uerbis 'Nonius ex grammatico'. Illos uersus omnes proposuimus collectos prolegg. uol. I p. LXXXVIII seqq.: de uersibus a grammaticis petitis agetur hoc quod sequitur capite.

Scripsi Lipsiae Kal. Mart. MCMV.

Fridericus Marx.

SUPPLEMENTUM CAPITIS DE NONIO.

Etsi in prolegomenis uoluminis prioris p. LXXXV seqq. rationem dilucide exposuimus qua usus facile quiuis uersus Lucilii unde sumpserit Nonius statuere possit, tamen, quo rectius hoc commentario utatur lector, tamquam supplementum illius capitis de Nonio tabula proponendos duxi locos omnes, quos e grammaticis a Nonio sumptos esse demonstrari poterit. Quod factum esse cognosci duobus indiciis l. s. s. indicaui: in libris I—XXV quos uersus e Lucilio ipso petiit, eos affert post uerba *Lucilius satyrarum lib. I* e. q. s.; quos uersus e grammaticis sumpsit, eis praeponit ueluti *Lucilius lib. I* e. q. s. uel *Lucilius*. Libros tamen XXVI—XXX affert cum praeponit tantummodo *Lucilius lib. XXVI* e. q. s.: itaque in his libris illo signo uti non poterimus. Quare alterum quod illic indicaui indicium in his libris erit adhibendum. Quae interpretamenta tam puerilia et absurda sunt, ut nemo grammaticus ea ponere potuerit in cartis, ea Nonio sine dubio tribuemus, qui Lucilii librum inspexerit ipsum: quae pertinent ad uocabula rara et obscura, ea ex grammatico libro sumpta esse est probabilius. Eadem ratione una cum illa priore poterimus uti in libris I—XXV. Veluti legas quaeso singula lemmata libri XXVI. Ineptias intellegis addi ineptiis. Quis grammaticus umquam tam insulsus fuit ut interpretatione ornaret uerbum *constat: compositum est. Lucilius lib. XXVI* (635) '*principio physici omnes constare hominem ex anima et corpore dicunt*'? uel *sumere: suscipere. Lucilius lib. XXVI* (620) '*hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat*'? Tales uero interpretationes apud Nonium ad uersus e libris XXVI—XXX petitos adscriptae fere sunt ubique. Itaque locos e libris XXVI—XXX e Lucilio ipso sumptos esse fere omnes probabile erit, quod factum esse reuera ea re fit probabilius, quod ex his V libris perraro addito numero librorum a grammaticis uersus adferuntur: e libris XXVI XXVII ne unus quidem adfertur, e libro XXVIII uu. 781 seqq. a Probo, e libro XXIX unus 836 a Charisio, e libro XXX soli uu. 1010. 1067 traditi sunt apud Priscianum, 1054 unus a

scholiasta Vergilii adfertur.[1]) Iam librorum I—XXV in tabula proponemus uersus illos qui adferuntur apud Nonium praeposito titulo uel *Lucilius* uel *Lucilius lib. I* e. q. s. Si reuera ad unum omnes dignae sunt glossae grammaticorum acumine, stat ratio nostra: sin minus, corruit. Eis locis, quos e grammatico aliquo sumptos esse credibile est inde, quod eidem apud alios grammaticos extant, stellulas duas addidimus: unam praeposuimus eis locis, quibus adiuncti sunt loci eorum scriptorum scripturarumque, quas Nonio praesto non fuisse certum est quales sunt fabulae Plauti quae perierunt Laberius Atta Cato Laeuius alii. Accedunt alia argumenta, quae item grammaticum prodant auctorem, quae cum stellula singulis locis adnotauimus singillatim: ueluti si quae uox est aut *ἅπαξ εἰρημένον* aut fere *ἅπαξ εἰρημένον* uel memoria scripturae eius quae una adfertur solo illius loci Noniani nititur testimonio. Lemmata denique ex ordine continuo scriptorum quos adhibet Nonius sumpta pinguibus signanda curauimus litteris.

Merceri pag. Cap. I		lemma	
17, 15	1)	* mandones	'... Lucilius (946) "atque omnes mandonum gulae". **Varro Bimarco** ...' Est *ἅπαξ εἰρημένον*: e Lucilio Varronem sumpsisse legebatur in commentario: uide 19. 41. 5. 13. 38. 39.
37, 14	2)	* monogrammi	'... Lucilius lib. II (59) "uix uiuo homini ac monogrammo". Et **XXVII** (725) ...' Est fere *ἅπαξ εἰρημένον*, e Lucilio Cicero sumpsit, interpretatio Nonii sumpta e commentario Lucilii est et docta et egregia: uide 3. 73.
38, 26	3)	* expirare	'... Lucilius lib. III (106) "exspirans animam pulmonibus aeger agebat". Idem **XXVI** (645) ...' E grammatico sumpsit, nam in Lucilii libro quo utitur p. 279, 18 erat *exalans* animam e. q. s.: uide 2.
43, 15	4)	uerna	'...**Plautus Amphitryone** (179) ... Lucilius (1321) "uernam ac cercopithecon". Plautus qui supra (Amph. 1033) ...' Conuicium est uerna raro adhibitum, interpretatio Nonii docta: Lucilii uerba e commentario Plauti sumpsit: uide 50. 66. 70. 78.

1) Locos omnes quorum similes apud alios grammaticos extant e Nonio collegit Oscar Froehde comment. in hon. A. Wilmannsii Lips. 1903 p. 265 seqq.

Merceri pag.	lemma	
56, 5	5) infans	'. . . *Lucilius* lib. XVIIII (566) "ut pueri infantes faciunt mulierculam honestam" et XV (486) "ut pueri infantes credunt" e. q. s. . . . **Varro** *ὄνος λύρας* . . . "infantiorem . . ." Accius Athamante (189) "priusquam infans facinus oculi uescuntur tui". Varro Eumenidibus . . .' Interpretatio est doctissima ut Accianum demonstrat exemplum: uide 1. 38. 39. 13.
63, 9	6) grumae	'. . . Ennius lib. XVIII . . . Lucilius lib. III (99) "uiamque degrumabis"' e. q. s. Verbum rarissimum, Ennii lib. XVIII semel apud Nonium memoratur, interpretatio docta eruditi hominis, qui *gruma* quid sit exposuerit, non *degrumare* explicauerit: uide 33. 34. 11.
67, 4	7) *praeficae	'. . . Plautus in Friuolaria . . . idem Truculento . . . Lucilius lib. † XXII (954)' . . . Vide 31. 26.
67, 13	8) *pareutactoe	'. . . Lucilius lib. VIIII (321) . . . idem † uicesimo (752) . . . Varro de compositione satyrarum . . .' Est uocabulum *ἅπαξ εἰρημένον*, e Lucilio sumpsit Varro in libro de compositione satyrarum qui alibi non memoratur.
Cap. II A 72, 11	9) algu	'. . . Accius Andromeda . . . **Varro** *ἔχω σε* . . . Lucilius (1218) † "nantam algu atque nigrore malus" . . . Lucretius lib. III . . .' Vide 34. 58. 13. 5. 1.
B 79, 26	10) ** bouinatores	'. . . Lucilius lib. XI (417) . . .' E Gellio XI 7, 9.
81, 5	11) *buas	'. . . **Varro Cato** . . . Lucilius lib. VIII (302) "uinibuas".' Vtrumque *ἅπαξ εἰρημένον*, interpretatio docti hominis: uide 6. 22. 39. 41.
C 84, 11	12) *colustra	'. . . Lucilius lib. VIII (311) . . . Laberius in Virgine . . .' Vide 17. 52. 54.
86, 14	13) *caballus	'Lucilius lib. † II (*immo IV 163*) . . . **Varro Parmenone** . . . idem Sesculixe . . .' E libro Lucilii et alium libri numerum et aliam sumpsit uersus lectionem p. 16, 29. Vide 44. 71. 1. 5.

Merceri pag.	lemma	
94, 5	14) coxendices	'coxas Lucilius (948) . . **Varro de re rust. lib. I** . . .'
D 98, 19	15) ** demagis	'ualde magis. Lucilius lib. XVI (527) . . .' Est *ἅπαξ εἰρημένον*, exhibent glossaria, uide comment.
E 106, 32	16) ** equitem	'pro equo . . . Equitare quoque Lucilius ecum dicit cum sit hominis ecum insidentis (1284 seq.) . . .' Sumpta e Gellio XVIII 5, 10.
107, 31	17) *eugium	'Lucilius (940) . . . Laberius in Centonario . . .' Vocabulum *ἅπαξ εἰρημένον*, Centonarii memoria hoc uno loco nititur Nonii: uide 12.
F 110, 11	18) flaccet	'languet, deficit. Lucilius lib. VII (275) . . . Accius Achille . . . Afranius Diuortio . . . Ennius Thyeste . . .' Interpretatio est eruditi hominis, item exempla.
111, 18	19) facul . . . *difficul	. . . Lucilius lib. VI (258) . . . Pacuuius Teucro . . . Afranius Auctione . . . Accius Meleagro . . . Varro Bimarco (46) . . . "facile an difficul".' Solus Varro l. s. difficul exhibet aduerbium: uide 1.
113, 7	20) frunisci	'pro frui Lucilius lib. XVIII (554) "aeque fruniscor ego ac tu". Coelius lib. I . . .' Quae secuntur exempla duo, ea e Gellio XVII 2, 5. 8 sunt petita: Lucilii et Coelii uerba ex alio grammatico sumpsit eaque praeposuit Gellianis.
G 119, 21	21) *gizeria	'intestina gallinarum . . . Lucilius lib. VIII (309) . . .' Est uocabulum rarum, exhibent glossaria, uide comment.
H 120, 18	22) *hippocampi	'equi marini, a flexu caudarum, quae piscosae sunt . . . Lucilius transuerso ordine posuit (1126) . . .' Antecedunt uersus Graecus Menandri et Latinus Laeuii e Sirenocirca: unde auctorem grammaticum inuenire Nonii haud difficile erit. Versum Menandri praeter hunc unum tantummodo exhibet Nonius p. 387, 29 s. u. seruare: 'Vergilius in georgicon lib. I (335) "quod superest, caeli menses et sidera serua" quod est Menandri *τηρῶ τὸν Δία' κτλ.* Itaque probabile est e

Merceri pag.	lemma	
		commentario in georgica utrumque uersum esse desumptum Menandri una cum Laeuii et Lucilii uersibus. Ad Vergilii georg. IV 387 'magnum qui piscibus aequor et iuncto bipedum curru metitur equorum' Seruius haec adnotat: 'equi enim marini prima parte equi sunt, postrema resoluuntur in pisces'. Multo igitur locupletius scholion Nonius l. s. seruauit. CGL III p. 437, 24 'ἱπποκαμπος equus marinus'. Est *ἅπαξ εἰρημένον*.
I		
124, 16	23) * inuncare	'quasi unco inuadere et arripere. Lucilius lib. XV (492) . . .' Vocabulum apud scriptores liberae reip. praeterea non inuenitur, interpretatio apta.
		E commentario in Varronis Bimarcum sumpta esse certum est haec:
129, 28	24) * inpuno	'quod est inpudens. Lucilius lib. II (66) "homo inpuratus et inpuno est rapister".' Etenim haec posita sunt post excerpta Gelliana eo loco quo ubique ponuntur excerpta e Varronis Bimarco Manio Modio Onos lyras. Reuera post excerpta Gelliana locus Lucilii una cum Varronis loco hoc loco omisso exhibetur p. 167, 21 (infra 41).
L		
133, 13	25) * lupari	'ut scortari uel prostitui. Atta Aquis Caldis . . . Lucilius lib. V (206) . . .' Vide 29: uerbum est fere *ἅπαξ εἰρημένον*.
134, 33	26) * Lauerna	'dea cui supplicant fures. Plautus Cornicularia . . . Lucilius lib. XVII (549) . . .' Vide 31. 7.
M		
136, 31	27) * macellum	'dictum pro macilentum Lucilius probat lib. VI (242) . . .' Adiectiuum est *ἅπαξ εἰρημένον*, pro exemplo ponitur Varr. de l. Lat. VIII 79 Paul. Fest. p. 7, 12.
137, 23	28) * musimones	'asini, muli aut equi breues. Lucilius lib. VI (256) . . . Cato de Laetorio . . .' Catonis oratio alias non memoratur. Vide 30. 36. 80.

Merceri pag.	lemma	
139, 5	29) * muginari	'murmurare. Lucilius lib. VII (294) "muginamur molimur subducimur". Atta Aquis Caldis . . .' Vide 25. 72: Aquae Caldae Attae duobus his Nonii nituntur testimoniis.
143, 6	30) * mediastrinos	'non balnearum sed ministros et curatores aedium legimus. Lucilius lib. XV (512) . . . Cato in praeceptis ad filium . . .' Liber Catonis alibi non memoratur apud Nonium: uide 28. E Lucilii libro sumpsit uersum p. 123, 26 ubi legebatur *Aristocraten*, hic et p. 479, 3 *Aristocratem*.
P		
149, 7	31) * petilum	'tenue et exile. Lucilius lib. † XII (*immo* XXII 583) . . . Plautus Plocino . . .' Vide 26. 7. Nomen fabulae hoc solo nititur testimonio.
149, 24	32) ** panus	'tramae, inuolucrum . . . Lucilius lib. † VIIII (*immo* VIII 298) . . . Afranius Matertera . . . Nonius Optione . . .' Eundem locum spectant Charisius et Priscianus: uide comment.
149, 33	33) * peniculamentum	'a ueteribus pars uestis dicitur. Ennius lib. XI annalis . . . Lucilius lib. XVIIII (565) . . . Caecilius Faeneratore . . .' Vide 6: uocabulum est fere *ἅπαξ εἰρημένον*, e glossariis sumpsit Arnobius V 11 sicuti utria I 59: uide 65.
150, 17	34) praecox	'et praecoca quod est inmatura. Ennius annali lib. VIII . . . Lucilius lib. III (130) . . . ⟨Varro Synephebo⟩ . . . Nouius . . .' Idem lemma cum solo loco Varronis p. 156, 31. Vide 9. 6. 33.
151, 3	35) * praecisum	'et omasum, partes carnis et uiscerum. Naeuius Erularia . . . Lucilius lib. XX (569) . . .' Naeuii fabula alibi non memoratur.
151, 12	36) * pasceolus	'ex aluta sacculus. Plautus Rudente . . . Lucilius lib. XIII (446) . . . Cato in Pansam . . .' Oratio alibi non memoratur. Vide 28.
154, 27	37) ** primiter	'pro prime et primitus pro primo. Pomponius Maccis Geminis . . . Lucilius lib. V (198) 'sicuti cum primos ficos propola

Merceri pag.	lemma	
		recentis protulit et pretio ingenti dat primitus paucos'. — 'Primiter Pomponius in Maccis Geminis' e. q. s. Charisius GL I p. 210, 8 K. — Vide infra ad 68: praeterea ad 49. 59. 60. 86.
160, 8	38) ** porcet	'significat prohibet. Pacuuius Atalanta . . . Accius Epigonis . . . Ennius Telamone . . . **Varro Manio** . . . Lucilius lib. VI (234) . . .' 'Porcet . . . porro arcet . . .' Paul. ex Fest. p. 15, 13. Vide 1.
161, 14	39) popinones	'. . . luxuriosi . . . **Varro Modio** ". . . ibit popino". Lucilius lib. I (11) . . . "turpemque odisse popinam".' Vide 1 et 11.
R		
165, 17	40) ** redandruare	'redire Lucilius lib. IX (320) . . . Pacuuius Chryse . . .' Eidem loci sunt apud Festum p. 270, 34.
167, 20	41) * rapinatores	'pro raptoribus. **Varro Bimarco** . . . Lucilius lib. II (66) 'homo inpudicus et inpune est rapinator'. Scribendum *rapister*, quod ἅπαξ εἰρημένον: locus glossis est turbatus: uide comment. et 24. 68, item 1. Hoc loco Nonius recte tradit sicuti in altero loco quem bis affert 37: ineptit 24 et 68.
S		
169, 31	42) * simat	'deprimit. Lucilius lib. VII (284) . . .' Verbum fere ἅπαξ εἰρημένον.
176, 11	43) singulatim	'et singillatim a singulis. Caecilius Hypobolimaeo Rastraria . . . Coelius annali lib. I . . . Lucilius lib. XVIIII (563) . . .'
V		
187, 19	44) * uulga	'capacitas uel sinus cum laxitate. Lucilius lib. II (73) . . . **Varro Sexagesi** . . .' E Lucilio ipso recte exscriptum est bulga in littera B p. 78, 3. Vide 13.
189, 33	45) * zonatim	'per gyrum. Lucilius lib. VI (249) . . .' Est ἅπαξ εἰρημένον.
Cap. III C		
195, 4	46) eyma	'neutro ut Lucilius (945) . . . Feminino Cornelius Celsus . . .'
198, 7	47) canalis	'masculino Gadullius Gallicanus . . . Feminino Lucilius (1127) hypocoristicos canaliculam dicit'.
F		
205, 29	48) fretum	'. . . masculini **Lucretius lib. VI** . . . Naeuius . . . Ennius . . . Lucilius (939) . . Varro Gallo aut Fundanio . . .'

Merceri pag.	lemma	
206, 14	49) ** forum	'. . . masculini Lucilius lib. III (146) . . . Sallustius lib. I . . . Pomponius Petitore . . .' Eundem uersum de eadem re Charis. GL I p. 71, 32 K. Vide 37.
G		
207, 19	50) guttur	'. . . masculino **Plautus in Milite glorioso** . . . Lucilius (1167) . . . Naeuius . . . Varro Lege Maenia . . . Plautus Aulularia . . .'
208, 12	51) gladius	'masculini. Neutri Lucilius (1187) . . .'
208, 17	52) * grues	'genere feminino Vergilius georg. lib. I . . . Lucilius lib. IV (168) . . . Masculino Laberius in Fullonicis . . .' Fabula semel tantum apud Nonium memoratur. Vide 12.
L		
212, 4	53) * lympha	'. . . masculino Lucilius (1196) "inpermixtum limporem".' Est ἅπαξ εἰρημένον.
212, 8	54) * latrinas	'genere feminino . . . Lucilius lib. XI (400) . . . Neutro Laberius Conpitalibus . . . Lucilius lib. VI (253) . . .' Vide 12.
M		
214, 6	55) mendum	'neutro M. Tullius ad Atticum lib. II . . . Feminino M. Tullius in Verrinis . . . Lucilius (1213) . . .'
214, 17	56) ** mundus	'. . . Neutri Lucilius lib. † XVII . . .' Sumptum ex Gellio IV 1, 3 ubi recte legitur Lucilius in satyrarum XVI (519). Itaque Nonii operae in talibus excerptis genetiuum omittebant.
N		
215, 4	57) ** nasus	'. . . neutri Lucilius lib. VII (267) . . . idem lib. XXII (582) . . .' Nasum neutro genere Lucilium dixisse traditur GL V p. 584, 24 IV p. 212, 10 K (uu. 935. 942).
P		
217, 14	58) posticam	'feminino genere consuetudine appellamus. Lucilius satyrarum lib. III (119) . . . "uerum postica parte profudit". Varro ταφῇ Μενίππου (522 B) "perrexit in interiores partis domuis posticae, ut ait Plautus, penitissimae". — Titinius neutro in Veliterna dici probat (142) "atque duo postica, quae loco mercede". Idem Fullonibus (30) . . . "posticum nostrum pepulerit". Lucilius lib. VIII (312) pistrinum adpositum, posticum, sella, culina". **Varro Prometheo Libero** (430) "retrimenta cibi qua exirent per posti-

Merceri pag.	lemma	
		cum, uallem feci".' Verba usque ad 'Titinius neutro' inepta sunt: est enim apud Lucilium l. III postica adiectiuum, item apud Varronem. Inde a Titinii uerbis doctus loquitur grammaticus et recte et apte. Hic apte Lucilii locum e lib. VIII attulerat, priorem Nonii operae inepte e Lucilio ipso sumpserunt. Vide 9.
219, 6	59) ** palumbi	'Feminino Vergilius in bucolicis . . . Masculino Lucilius lib. XIIII (453) . . . Plautus Bacchidibus . . . Pomponius Diuite . . .' Eadem doctrina cum eisdem Vergilii et Lucilii locis Charis. GL I p. 106, 26 seqq. K: uide 37.
219, 28	60) ** penus	'generis feminini. Lucilius (1205) . . . Pomponius † dogali . . . Nouius † dofacta . . .' Eadem doctrina cum eodem Lucilii uersu Priscian. GL II p. 170, 17 et 261, 1 K qui p. 260, 18 Caprum memorat huius doctrinae auctorem. Vide 37.
220, 20	61) * prosecta	'. . . generis neutri. Aemilius Macer in ornithogonia . . . Feminino Lucilius lib. XIV (473) . . . Varro rerum diuinarum lib. XI . . .' *Prosiciem* uocabulum cum *prosecta* confudit Nonius.
S 223, 27	62) sibilum	'neutro ut apud Serenum . . . Masculini Vergilius in bucolicis . . . Lucilius (1293) . . .'
224, 3	63) ** spari	'. . . masculino genere ut est apud Vergilium . . . Neutro Lucilius (1315) . . .' Idem uersus Lucilii bis legitur apud Festum: conf comment.
T 229, 2	64) torpor	'generis masculini. *Lucilius* (lucretius *codd*) "tantus conduxerat omnia torpor" (1306). Torpedo feminini Sallustius' e. q. s. Eadem dispositio p. 226, 24 in *statura*.
231, 30	65) ** utres	'. . . masculini. Neutri Lucilius (1104) "Andronius Flacci teget utria".' Vide 33: ex eodem grammatico Arnobius I 59 'nonne alias haec utria, alias dicitis hos utres, caelus et caelum' e. q. s.
Cap. IV C 266, 26	66) conmodum	'integrum, totum. Lucilius (107) . . . Plautus in Asinaria (725) . . .'

Merceri pag.	lemma	
268, 5	67) coicere	'est iacere. Vergilius Aen. lib. II . . . Afranius Simulante . . . Coicere, confligere, certare. Afranius Simulante . . . Coicere agere. Afranius Materteris . . . Coicere, furari, auferre. Afranius Incendio . . . Lucilius lib. II (87) . . .' De Afranii sermone scripsit Paulus (Charis. GL I p. 241, 2 K), unde Nonius haec sumpserit, nescimus. Vide 79. 32. 18. 81.
D 281, 14	68) dare	'ostendere. Lucilius lib. XXVI (638) "animo qui aegrotat uidemus corpore hunc signum dare". Dare, petere. Lucilius lib. V "sicuti cum primos ficos propola recentis protulit et pretio ingenti dat primitus paucos".' En habes ipsum Nonium: quid enim magis absurdum, quam in priore exemplo interpretari 'dare, ostendere', in posteriore 'dare, petere'? Illud Nonius e Lucilii libro sumpsit, hoc exemplum e grammatico, qui aptissime propter 'primitus' aduerbium uersus attulerat p. 154, 27 (37). Sed abusus est uerbis Lucilii ut adsolet inepte cum suo Marte utatur: similiter fecit 24.
286, 32	69) discere	'est ignotam rem meditando adsequi. Lucilius lib. VIIII (349) . . . Vergilius lib. XII (435) "disce puer uirtutem ex me". Discere temptare. **Vergilius lib. V** (222) "et fractis discentem currere remis".' Expositio est docti hominis et eruditi qui non Lucilium interpretur sed quid discere sit explicet Lucilii usus testimonio.
I 321, 20	70) inuitare	'significat repleri. **Plautus Amphitryone** (283) "mirum si inuitauit sese in cena plusculum". Lucilius (1269) "pulchre inuitati acceptique benigne". Turpilius Epiclero "non inuitat plusculum sese ut solet?" Idem Leucadia "inuitauit plusculum hic sese in prandio".' Vt indicat *plusculum* bis positum, loci Turpilii pertinent ad Plauti uersum interpretandum sicuti p. 334, 5 ad uersum Bacchidum

Merceri pag.		lemma	
			locutio *limare caput* adpositis quattuor exemplis enarratur: uide 4.
M 315, 2	71)	**meret	'humillimum et sordidissimum quaestum capit [Varro rerum humanarum lib. XX "qui in ordine erat, is aes militare merebat"] et ob mercedem laborem uel infamiam corporis locat [Lucilius lib. I (10) "et mercedimerae legiones". **Varro Agathone** "Duloreste qui merita hominem et seruum facit"] unde et mercennarii et meretrices dicuntur [idem Eumenidibus "primum iste qui meret sestertios uicenos"].' Lucilii uerba spectat Porphyrio ad Horatii ep. I 3, 6. Nonii librarius peccauit: singula testimonia ad dextram lemmatis, quod tribus uersibus constabat, erant adnotata singulis singulatim uersibus. Vide 13 et p. 450, 7 seqq.
346, 14	72)	*moliri	'retinere, morari ac repigrare. Caecilius Progamo ... Lucilius lib. VII (294) "muginamur molimur, subducimur".' Eadem Lucilii uerba exhibentur p. 139, 5 (29), Caecilii Progamos bis apud Nonium memoratur.
S 394, 22	73)	spurcum	etiam fetidum. Plautus Menaechmis ... Lucretius lib. VI ... idem lib. VI ... Lucilius lib. XI (398) ... **idem lib. XXVIII** (798) ...' Vide 2.
Cap. V 426, 4	74)	antiquior	'melior. Varro rerum humanarum lib. XX ... Accius Phoenissarum ... Lucilius lib. XIV (459) ... M. Tullius de amicitia ...' e. q. s.
445, 18	75)	**'acerosum et	aceratum ... Lucilius lib. XV (501) ... Lucilius lib. VIIII (324) ...' Eadem interpretatio apud Paul. Fest. p. 20, 10 187, 7: conf comment.
445, 27	76)	'multum et	satis eo distant quod multum infinitum est, satis finitum: auaris illud, hoc parcis seu continentibus applicandum est. Lucilius lib. V (203) ... idem lib. XVIIII (558) ...' Oblitus est addere exemplum de *multum* aduerbio.
447, 7	77)	*ergastilus	... Lucilius lib. XV (503) ...' Est *ἅπαξ εἰρημένον*.
449, 25	78)	interfici	'... et inanimalia ... **Plautus in Menaechmis** ... Lucilius (1157) ... Vergilius georg. lib. IV ... Sallustius histor. lib. II ... **Plautus Mercatore** ... Lucilius (1197) ... M. Tullius Oeconomico ... idem ad Hirtium lib. VIIII ...' Vide 4.

Merceri pag.		lemma	
450, 12	79)	*gannire	'... Afranius Prosa ... Lucilius lib. VII' (285) ...'. Afranii fabula semel apud Nonium memoratur. Vide 67.
Cap. VII 470, 24	80)	*largi	'pro largire. Lucilius lib. XIV (475) ... Accius Diomede ... Cato Lege Baebia ...' Quae oratio hoc solo loco memoratur apud Nonium. Vide 28.
475, 21	81)	*partiret	pro partiretur. Afranius Diuortio ... Lucilius lib. III (97) ... Accius Chrysippo ... Ennius Telamone ...' Haec ex grammatico: idem lemma 'partiret pro partiretur. Lucilius lib. XXVIIII (834) ... Plautus in Asinaria ...' p. 472, 11—14: quo loco libris Lucilii et Plauti ipsius usus est. Oblitus est haec lemmata conflare duo in unum.
478, 33	82)	*conmanducatur	'Lucilius lib. IV (179) ... idem lib. XV (512) ...' Haec ex grammatico: e Lucilio ipso priorem locum sumpsit p. 477, 8, sed illic addidit 'idem lib. XIIII (456) ...'
Cap. IX 501, 23	83)	**ablatiuus	'pro datiuo. Lucilius (1288) ... Vergilius lib. VI (465) ...' Sumpta e Gellio IV 16, 6.
Cap. X 502, 32	84)	**feruit	'pro feruet. Lucilius lib. VIIII (357) "feruit nunc feruet ad annum".' Versum exhibent praeter Nonium tres grammatici (conf comment.): sed eum qui sequitur apud Nonium p. 503, 15 'feruere ne longum" e. q. s. (356) e Lucilio ipso petitus, ne unus quidem.
Cap. XI 509, 24	85)	disertim	'dicere ... Lucilio (1156) ⟨*et Titinio*⟩ auctore possumus in Veliterna ... Plautus in Sticho ... Accius Eurysace ... Liuius ...'
511, 16	86)	**ampliter	'Lucilius lib. XIII (442) ... Pomponius Herede Petitore ... Plautus in Sticho ... Accius Diomede ...' Locum spectat Priscianus GL III p. 71, 2 K: uide 37.
515, 3	87)	minutim	'pro minute Lucilius lib. V (208) ...'

Merceri pag.	lemma	
Cap. XIII 536, 7	88) *anquina	'uincla quibus antemnae tenentur. Lucilius (1113) . . .'
Cap. XV 544, 11	89) cadi	'uasa quibus uina conduntur. Lucilius lib. XVIII (555) ... Vergilius Aen. lib. I... Varro de uita p. R. lib. III ...' Lucilii et Varronis loci leguntur loco corrupto p. 495, 32.
546, 25	90) carchesia	'. . . summa pars mali . . . Lucilius (1309) . . . Catullus Veronensis . . .'
546, 30	91) *mixtarium	'quo miscemus. Lucilius lib. V (221) . . .' Est ἅπαξ εἰρημένον.

Iam frustra in his locis XCI quaeres interpretationem qualis legitur p. 173, 14 'sententia sensibilitas . . . Lucilius satyrarum lib. III "uertitur oenophoris fundus, sententia nobis"', 398, 31 'Samium rursum acutum . . . Lucilius satyrarum lib. VII ". . . testam sumit homo Samiam"', 396, 12 'Sumere etiam significat eligere . . . Lucilius satyrarum lib. X ". . . quid sumam, quid non . . ." et lib. XVIIII "sume diem qui est uisus tibi pulcherrimus unus"', 186, 26 'uomica, concaua loca uetustate exesa. Lucilius lib. XXVIIII ". . . et non mortifero adfectus uomicae uulnere".' Ineptit Nonius tantummodo 24 et 68, ubi abutitur copiis grammaticorum in longe aliam rem comparatis. Sed nemo reliquis locis adnotabit quod in locis a Nonio e Lucilio ipso petitis tam saepe editores adnotarunt 'Nonius delirat' similia. Praeterea ex his XCI locis stellula sunt notatae aut una aut duabus fere duae partes; id est, longe plurima uocabula sunt aut rarissima aut ἅπαξ εἰρημένα, testimonia sumpta sunt ex eis scriptoribus, quos Nonius non tetigit: tum multi loci extant etiamnunc in aliorum grammaticorum operibus similiter scripti. Adde quod librorum numerus in his locis e grammaticis petitis saepenumero est corruptus (7. 8. 13. 31. 32. 56.). Denique multis praeterea locis asteriscum is addet qui recte mea sententia iudicabit neque Ennium neque Coelium a Nonio fuisse adhibitos.

Atque grammaticorum quorum collectaneis et miscellaneis usus est Nonius duo sunt genera, quorum alterum tales continet scriptores qualis est Gellius, qui solus omnium est seruatus. Gellio utitur 10. 16. 56, ita ut 56 genetiuum *satyrarum* qui legitur apud Gellium omittat. Qui considerauerit quam uafre singulas particulas Gellianas operi inculcauerit ueluti p. 171, 23 lib. XVIII 13, 6, Gelliana cum aliis miscuerit (uide 20), is parum confidet amissorum grammaticorum libros e Nonio se recuperare posse nec miluo uolanti conabitur resecare ungues. Memorabile est tamen omnes locos, quibus Lucilius una ponitur cum Pomponio

pro exemplis, item inueniri apud Charisium et Priscianum (37. 49. 59. 60. 86). Alterum genus librorum grammaticorum sunt commentarii in singulos scriptores. Veluti fabulas XXI Plauti quas certo ordine adhibito adhibuit scholiis exornatas fuisse unde Lucilii fragmenta una cum uersibus Plauti transscripserit ex his locis intellegitur:

p. 528, 21 in serie litterae A Plautina 'Qui liberi fiebant, ea causa calui erant, quod tempestatem seruitutis uidebantur effugere, ut naufragio liberati solent. Plautus **Amphitryone** (462) "ut ego hodie raso capite caluus capiam pilleum".' Sequitur locus **Asinariae** 529, 2, **Aululariae** 529, 4. Quae explicatio scholiastam sapit, eadem cum eodem Plauti uersu adfertur a Seruio ad Aen. VIII 564.

p. 43, 12 (locus s. s. 4) 'Vernas ueteres appellabant qui uere sacro fuerant nati: et habebatur nomen hoc pro uitabili maledicto. Plautus **Amphitryone** (179) "hic qui uerna natus est, queritur". Lucilius (1321) "uernam ac cercopithecon". Plautus qui supra (Amphitr. 1033) ". . . uerna uerba funditas".' Sequitur Amphitruonis u. 529.

p. 321, 18 (locus s. s. 70) 'Inuitare significat repleri. Plautus **Amphitryone** (283) "mirum si inuitauit sese in cena plusculum". Lucilius (1269) "pulchre inuitati acceptique benigne": reliqua uide ad l. s. s.

p. 266, 26 (locus s. s. 66) 'Conmodum, integrum, totum. Lucilius (107) "bis quina octogena uidebis conmoda te, Capua quinquaginta atque CC". Plautus in **Asinaria** (725) "uiginti argenti conmodas minas . . .".' Antecedunt loci Aululariae, Asinariae, Amphitruonis ordine fabularum inuerso.

p. 207, 17 (locus s. s. 50) 'Guttur . . . masculino Plautus in **Milite** glorioso (835) ". . . amburebat gutturem". Lucilius (1167) "et uentrem et gutturem eundem".'

p. 449, 23 (locus s. s. 78) Interfici et occidi et inanimalia ueteres posse uehementi auctoritate posuerunt. Plautus **Menaechmis** (511) "occisa est haec res". Lucilius (1157) "durum molle uoras, fragmenta interficis panis". . . Plautus **Mercatore** (832) ". . . interfectus est". Lucilius (1197) "intereunt, labuntur, eunt *rursum* omnia uorsum".'

Fabulae ordine Nonii legitimo adferuntur Amph. Asin. Aulul. Men. Merc. neque casu potest esse factum quod sexiens arte consociatur fragmentum Lucilii cum uerbis Plauti, numerus librorum ubique est omissus, hexametri sunt omnes, orthographia *cercopithecon* contra usum est Nonii de quo conf indic. gramm s. u. orthographia.

Neque Lucilii uolumina XXVI—XXX scholiis carebant adscriptis quibus utebantur Nonii operae. Leguntur loci hi positi secundum ordinem sollemnem:

p. 37, 7 Maltas ueteres molles appellari uoluerunt a Graeco, quasi malacus. **Lucilius lib. XXVII** (732) ...' Idem scholion exhibet Porphyrio ad Hor. serm. I 2, 25 'maltha enim malacos dicitur'.

p. 37, 11 (locus s. s. 2) 'Monogrammi dicti sunt homines macie pertenues ac decolores: tractum a pictura, quae priusquam coloribus corporatur, umbra fingitur. Lucilius lib. II (59) "uix uiuo homini ac monogrammo". **Et XXVII** (725)...'

p. 38, 26 (locus s. s. 3) 'Expirare dictum est uel ab spiritu effuso uel ab spiraminibus. Lucilius lib. III (106) "exspirans animam pulmonibus aeger agebat". **Idem XXVI** (645)...' Vide locum s. s. Scholiasta legit libri III l. s. recte *exspirans*, in Nonii Lucilio erat *exalans*. Vnde patet exemplar illud quod libros I—XXII continebat fuisse originis diuersae atque hoc quo scholiasta ad libros XXVI—XXX utebatur.

p. 394, 22 (locus s. s. 73) 'Spurcum etiam fetidum ... Lucilius lib. XI (398) ... **idem lib. XXVIII** (798)...

Haec igitur ex scholiis librorum XXVI—XXX uidentur esse petita: ubique antecedunt uersus petiti ex libris I—XXII.[1]

Duodecim locis (1. 5. 9. 13. 19. 34. 38. 39. 41. 44. 58. 71) uerba Lucilii coniuncta sunt cum fragmentis saturarum Menippearum Varronis, unde suspicio oritur esse ea sumpta e commentario enarratoris similis eius quem memorat Gellius XIII 31, 1. Etenim loco 1 commentator uidetur demonstrasse Varronem imitatum esse Lucilium; 5. 19. 39. 41. 71 ad uerba Varronis explicanda afferuntur similia Lucilii, non eadem: infantior — pueri infantes, difficul — facul, popino — popina, rapinator — rapister, meret — mercedimerus. Denique ne longi simus de scholiasta Varroniano constare arbitramur eis, quae ad 24 supra exposita sunt. De Vergilii commentario eis, quae ad 22 indicauimus, plura addi oportere consentaneum est. Veluti quod legitur p. 143, 31 'numen pro *ornatu*. Vergilius Aeneidos lib. II (396) "uadimus inmixti Danais haud numine nostro"' non corruptum est *ornatu* — proposuerunt *oratu fortuna nutu* —, sed deductum ex adnotatione qualem Seruius ad l. s. s. seruauit 'quia in scutis Graecorum Neptunus, in Troianorum fuerat Minerua depicta': induerant uidelicet Troiani scuta Graecorum (392. 412). Ad Vergilii commentarium pertinere dicas locum 69: reliqua omnia sunt incerta.

1) Vbicumque in tabula proposita prolegg. p. LXXXVIII seqq. duo e diuerso Lucilii corpore loci petiti ad idem appositi sunt lemma, apparet hanc coniunctionem fieri aut in principio ordinum aut in fine: conf p. 21. 31. 78. 81. 125. 200. 209. 235. 335. 344. 362. 497; p. 181. 489 haec ratio paululum tantummodo est disturbata.

COMMENTARIUS
IN LUCILII
RELIQUIAS

I.

De titulo libri uide ad u. 19. Liber I sicuti alter et tertius unam tantummodo continuisse uidetur saturam unius argumenti quo de argumento uide prolegg. p. XXXV seqq.

1. Varro de lingua Lat. v 17 'A qua bipertita diuisione *Lucretius* suorum *unum* et uiginti librorum initium fecit hoc: "aetheris . . . tempus".' *Lucretius* falsum esse Scaliger uidit qui recte Lucilii nomen restituit: eadem corruptela de l. Lat. VII 94 (incert. u. 1118): scribebant librarii luč (incert. u. 1311, Charis. p. 207, 3 K) pro *Lucilius* et pro *Lucretius*. *unius* pro *unum* quod ecclesiasticae potius esset Latinitatis (Neueus de formis l. L. II^3 p. 295) posuit Laetus. Possit dubitare quis Lucilii nomen num recte a uiris doctis hoc loco agnoscatur, si non constaret nouo metro compositum fuisse Lucilii librum XXII, librum XXI huius quam Varro commemorat collectionis fuisse ultimum: quod ideo apertum est quod ne unum quidem hodie eius libri extat uocabulum. Varro hunc Lucilii uersum omnium quot adtulit uersuum Lucilii primum posuit: quo uersu poeta non tam librum I qui deorum concilium continebat quam totam illam quam Varro nominat exorsus est saturarum collectionem. Sententiam poetae iuuat explicare conlatis uersibus Propertii II 10, 1 seqq. '*Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis Et campum Haemonio iam dare tempus equo*', Senecae (PLM IV p. 74 B = AL I^2 p. 329 R) '*Esse tibi uideor demens* . . . *Quod non aut magni scribam primordia mundi*' (Paneg. Messall. 18). Genitabile est quod Graeci dicunt *τὸ γόνιμον* (*αἵ καλαὶ καὶ γόνιμοι τῶν ὅλων ὧραι* [Aristot.] de mund. 5 p. 397 a 12) quod uocabulum nouauit Lucilius memor Enniani uocabuli *genitalis* ann. 115 V, Lucilio debet Lucretius I 11: idem V 1212 'mundi genitalis origo'. Versum pronuntiauit poetae quem fingit aduersarius, qui eum ad physica tractanda potius commoueret sicuti aduersarius lib. XXVI i. e. tertiae collectionis primo poetam monuerat (u. 620. 621). '*Hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat Percrepa pugnam Popili, facta Corneli cane*'. Senex poeta his uerbis philosophiae operam se dedisse sedulo significat Clitomachi amicus: Parmenidis

fragm. 11 D *πῶς γαῖα καὶ ἥλιος ἠδὲ σελήνη αἰθήρ τε ξυνὸς γάλα τ' οὐράνιον καὶ ὄλυμπος ἔσχατος ἠδ' ἄστρων θερμὸν μένος ὡρμήθησαν γίγνεσθαι* inprimis in hoc genere poeseos uidetur esse comparandum: conf Dio Prus. XXXIII 44 I p. 309, 24 Arn. Ennii Epicharmum et Euhemerum hoc loco respici L. Muellerus adnotat. Exorsus est poeta libros suos XXI quorum numerum uidetur numero litterarum Latinarum fecisse parem sicuti Caluus orator (Tacit. dialog. 21) uersu omnibus numeris perfecto.

2. Charisius GL I p. 125, 19 K 'Canes. Lucilius I "Inritata ... dicit", pro canis.' Idem p. 145, 19 'Torques hic et haec torques nominatiuo, ut hic et haec canes a Lucilio libro I dictum legimus.' Nonius p. 31, 23 'Irritare . . . Lucilius satyrarum lib. I "inritata (*irritata* Guelferbytanus) *cane* . . . dicit".' Donatus ad Adelphos Terentii II 4, 18 'nam irritari proprie canes dicuntur. Lucilius de littera r "irritata *canis quod* homo quam *plurima* (*ita V et codd deteriores:* planitis al'. planius *cod Cuiacii*, planos *C*, plamos *cod Hulsii*) *dicat* (*ita V*, dictat *deteriores*, dictitat *C*, *cod Cuiacii*)".' Quamquam Nonius, cum dicit irritare tractum esse a canibus, qui, cum prouocantur irriunt, errat manifeste, tamen Lucilium cum dicat de littera canina 'irritata canes quam homo quam planius dicit' cogitasse de canum *hirritu* (Sidon. epist. IX 16 p. 171, 10 VII 3 p. 106, 28 L Paul. ex Fest. p. 101, 9) in uoce *irritare* et adhibenda et insigni uersus loco collocanda consentaneum est: etymologiam istam grammaticorum procreasse uidetur uersus iste praecipue Lucilianus. Itaque non *inritata* sed *irritata* posuerat poeta: cuius scripturae in codd quod nulla fere est auctoritas — nam *inritata* habet Charisius et Nonii Leidensis m. 1 — id non pluris erit aestimandum quam quod in Plauti Poenul. 279 'Assum apud te, eccum. At ego elixus sis uolo' codd *adsum* testantur: conf Fleckeisenus annal. phil. CLV 1897 p. 766 seqq.: recte scriptum est Plaut. Captiu. 485 'ne canem quidem irritatam' et in codd et in editt. De littera canina quam a cane didicit Demosthenes (Hieronym. adu. Rufin. I uol. II p. 473 Vallars. 'Quod ille in una littera fecit exprimenda, ut a cane rho disceret, tu in me criminaris'), quam hispidum rho appellat Terentianus Maurus GL VI p. 333, 262 K, poeta egerat etiam lib. IX u. 377 cui male olim tribuerunt hunc uersum contra duorum grammaticorum testimonia. Quamquam quid dixerit his uerbis Lucilius adhuc obscurum est. Quae Pers. I 109 'sonat hic de nare canina littera' exposuit, ea ad iram potentium hominum pertinent, qui satura lacessuntur: ubi scholiasta 'nam canes lacessiti sic hirriunt ut uideantur r litteram minitabundi exprimere'. Quam iram si Lucilii exemplum secutus ita significat Persius, eam ille lib. I uix potuit tangere nisi in prohoemio quod dialogum continuerit Persii saturae I exordio simillimum:

neque enim uerba ita sunt comparata ut credi possit deum aliquem queri de proceribus Romae uel de Lupo qui 'rancidulum quiddam balba de nare locutus' (Pers. I 33) inducatur sicuti Claudii lingua absona ridetur a Seneca apocoloc. 5. — De hiatu *quam homo* egit L. Muellerus de re metr.[2] (1894) p. 371: similiter Lucretius III 1082 (II 617 V 74. 7 VI 716. 796) 'sed dum abest quod auemus' II 681 'reddita sunt cum odore in primis' Horatius serm. II 2, 28 'cocto num adest honor idem': conf lib. XXX u. 1020.

3. Seruius ad Aeneidos X 104 'Accipite ergo animis. Totus hic locus de primo Lucilii translatus est, ubi inducuntur dii habere concilium, et agere primo de interitu Lupi cuiusdam † ducis in rebus, postea sententias dicere. Sed hoc quia indignum erat heroo carmine mutauit et induxit primo loquentem Iouem de interruptis foederibus, cuius orationem interrupit Venus, post secuta Iunonis uerba sunt, quibus redarguit Venerem: unde nunc Iuppiter illud, quod omiserat, reddit dicens: ergo quoniam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus accipite.' Scholion eorum est qualia a scriptoribus qui de furtis Vergilii egerunt satis inepte componebantur pertinetque ad totum exordium libri Aeneidos X. Parum credibile est Lucilii uestigia secutum esse Vergilium: immo uterque poeta hic illic secutus est Ennium qui annali I et VIII deorum concilia induxerit et ad Ennii exemplum legentes delegat Seruius ad u. 5. 6 Seruius auctus ad u. 10: certe ex saturarum scriptore nihil sumere neque potuit neque debuit poeta epicus. Apud Vergilium l. s. X 5 di *considunt tectis bipatentibus* ubi Seruius 'bipatentibus physice dixit: nam caelum patet ab ortu et occasu. Est autem sermo Ennianus (ann. 61 V) tractus ab ostiis, quae ex utraque parte aperiuntur: unde et modo "bipatentibus" apertis intellegimus'. *Bipatentibus* idem esse quod *apertis* recte dixit (conf Aen. II 330) neque tamen physice uocabulum illud est interpretandum sed ualuas caeli patere fecit Ennius in deorum conciliis ideo, quia in urbe cum senatus habebatur ualuae curiae patebant more maiorum (Mommseni de iure p. R. III 2 Lips. 1888 p. 931). Sed cum Ennius et Vergilius hanc rem quae nihil detraheret grauitati Musae suae ad similitudinem senatus p. R. finxissent in poematis, Lucilius poeta eo progressus est audaciae ut sat iocose deos immortales senatores reddiderit, eisdem locutionibus et prohoemiis qui uterentur, quibus illo tempore senatores utebantur rhetorum Graecorum discipuli et sectatores, ut per ludibrium secundum morem et ordinem senatus p. R. deos induceret agentes. Itaque non sicuti Homerus Ennius Vergilius deos singulos deinceps fecit orantes, ita ut patris hominumque diuomque uinceret sententia nouissime dicta, sed aut orabant omnes, re peracta sententias *dederunt* siue *tulerunt*

omnes quot aderant ad unum, aut re a Ioue relata *sententias dicebant:* quo facto discessio facta est. Nempe Seruium apparet non accurate de hac re rettulisse. Confer reliquorum satyricorum similes lusus. In Senecae deorum concilio di audiunt *patres conscripti* (apocol. 10), *primus interrogatur sententiam Ianus pater* (9), proximus Diespiter, dein Augustus sententiam dicit de Claudio ex Olympo eiciendo: postremo '*pedibus in hanc sententiam itum est*' (11). Apud Apuleium metam. VI 23 deos Iuppiter adloquitur '*Dei conscripti Musarum albo*', 32 in latronum concilio '*Talibus dictis non pedibus sed totis animis latrones in eius uadunt sententiam*', apud Martianum Capellam libro I 94 p. 26, 20 E similia haec leguntur: '*Sed postquam Iuppiter finem loquendi fecit, omnis deorum senatus in suffragium concitatur adclamantque cuncti, fieri protinus oportere, adiciuntque sententiae Iouiali, ut deinceps mortales ... in deorum numerum cooptentur*' ... saepissimeque legitur *deorum senatus* (II 99 p. 27, 20 II 214 p. 51, 32 E alibi), apud Iulianum denique in conuiuio I p. 430, 14 H: *Σιωπῆς δὲ γενομένης ἔφερον οἱ θεοὶ λάθρᾳ τὰς ψήφους* (p. 408, 17: *καὶ ὁ μὲν Ἑρμῆς ἠξίου λέγειν ἕκαστον ἐν μέρει περὶ τῶν ἑαυτοῦ, τίθεσθαι δὲ τοὺς θεοὺς τὴν ψῆφον*): conf Lucian. deor. conc. 19. Itaque quamquam his exemplis constet quid iocose fecerit Lucilius, quid indignum heroo carmine iudicarit Seruius, tamen uerba Seruii ita sunt comparata, ut ita accurate ut ratio expostulat intellegi nequeant. Quid enim interest inter *agere* et *sententias dicere*, si de senatus imitatione tradere Seruium statueris? Quare quondam proposui *post in sententias discedere* studiis Lucilianis p. 58. Sin contionis instituta di secuti sunt aut ordinem iudiciorum, nullo poterit pacto stare illud *post sententias dicere:* debebat esse aut *post sententias ferre* aut *post sententias dare*. Nunc haec Seruii uerba recte tradita esse duco sed auctorem ut adsolet parum diligenter referre de Lucilianis: neque enim uerba *sententias dicere* tolli poterunt si constabit de imitatione senatus quam factam esse lib. I omnium probabilissimum esse apparet. Itaque primum in Lucilii libro I rettulit deus quidam de rebus Romanis interitu Lupi seruandis: rogati sententiam di patres dixerunt Apollo et Neptunus. Postremo caelicolae pedibus in Neptuni ni fallimur sententiam discessere. Seruius igitur tantummodo partem argumenti libri I Lucilii enarrauit. Quamquam ea, quae de persona Lupi in codd Seruii traduntur corrupta esse apparet 'inducuntur dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam *ducis in republica*. Vbi codex Floriacensis habet tantummodo *ducis*, Monacensis *ducis in rep.*, quod addas in app. crit., Reginensis Lipsiensis Hamburgensis *in rebus*, Caroliruhensis Sangallensis Lipsiensis correctus *in rep.* Archetypum hoc loco iam corruptum fuisse apparet: uetustiorem lectionem esse *in rebus* inde apparet, quod librarius Floriacensis, qui *ducis* seruauit, illud *in rebus* nulla alia de causa omisit quam quod non potuit intellegere. Quod codices plerique *ducis* omittunt, id eadem de causa factum esse arbitror: nam *ducis* uocabulum quod uix recte defendas loco Cic. de or. III 63 admodum obscurum est et difficile, ut glossam esse librarii nullo modo possit credi. Vnde archetypum praebuisse arbitror *Lupi cuiusdam ducis in rebus*. *Ducis* uocabulum corruptum esse sicuti *in rebus* senserunt codicis Guelferbytani librarius teste Lione, qui habeat *iudicis*, et Masuicius qui idem uocabulum recte restituerit: quod Guelferbytanus pro *in rebus* posuit *rei* genetiuum quintae ut opinor declinationis, id commentum esse ineptissimum quiuis facile concedet. Ego nihil aptius inueni quam illud quod proposui stud. Lucil. p. 62 *de interitu Lupi cuiusdam iudicis inprobi:* nam *iudicem* Lupum a Lucilio acerbissimis uersibus lacerari etiamnunc apparet libri XXVIII uu. 784 seqq. De L. Cornelio Lentulo Lupo uide prolegg. p. XXXVI.

4. *Seruius auctus* et Seruius ad Aeneidos IX 227 'Consilium summis regni de rebus habebant. *Summis, utrum maximis, an quod putabant eas in extremo sitas? et est* Lucilii uersus uno tantum sermone mutato: nam ille ait "consilium ... habebant".' Quae ante hunc u. exposuerit Lucilius, intelleges conlato saturae Senecae exordio 'Quid actum sit in caelo ante diem III. idus Octobris anno nouo, initio saeculi felicissimi, uolo memoriae tradere'. Di scilicet omnes consilium summis hominum de rebus habebant. Versus potius ab utroque poeta ad similitudinem uersus Enniani alicuius est factus.

5. Interpres Veronensis Aeneidis XII 680 p. 449, 9 H '... ique "amplius", id est diutius, ulterius. Lucil. "quo populum adque urbem *pactos* seruare potisset ...".' Iulius Rom. ap. Charisium GL I p. 195, 6 K 'Amplius. Lucilius saturarum I "quo *pactum* populum atque urbem seruare *potissit* amplius romanam".' Veronensem scholiastam rectius uerba poetae quam Romanum de quo conf prolegg. p. LXIX seruasse euincitur ordine uerborum: imperfectum coniunctiui *potisset* ideo probandum est quod forma ipsa remotior a consuetudine et u. 7 legitur *protolleret*. Verba non sunt dei alicuius contionantis sed poetae narrantis: uide quae adnotauimus ad uu. 7. 8.

7. Nonius p. 159, 22 'Protollere est differre. Lucilius satyrarum lib. I "si ... ad *iustrum* ... unum".' Vide ad u. 8. De *at* particula post *si non* usurpata conf Draegeri exempla in syntaxi hist. ling. L. (edit. II) II p. 113, 6.

8. Nonius p. 497, 10 'Accusatiuus positus pro ablatiuo. ... Lucilius satyrarum lib. I "munus ... *possint*".' Consocianda esse tria ista fragmenta (u. 5—8) uerborum probatur et sententiarum similitudine. Quare cum Mercero *potissent* non *potissint* in hoc

ultimo scripsimus. Atque agitur quidem uersibus 5—7 de deo aliquo, qui *urbem* et *populum Romanum* quo modo seruare possit meditatur; e uersu 7 apparet eundem operam dedisse, ut saltem ad lustri finem urbis interitum differret aut urbem ipsam saluam protolleret: ubi animaduertendum est *hoc* pronomen quod significet id quo uiuunt lustrum praesens. Quod scilicet lustrum ceperat eodem anno exordium quo Lucilii poesis 623/131: quo Q. Pompeius Q. Metellus censores qui Lucilii inimici erant Lupum principem senatus fecerant: nondum exierat cum librum I Lucilius conscripsit. Videmus ex uerbis *potisset* et *protolleret* sententiam dei non a deo ipso dici in concilio sed a poeta referri. Conf Hor. carm. saec. 65 'Si Palatinas uidet aequus arces, Remque Romanam Latiumque felix Alterum in lustrum meliusque semper Prorogat aeuum'. Val. Max. IV 1, 10 'Africanus . . . censor cum lustrum conderet inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis sollemne ei precationis carmen praeiret, quo di immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur: "Satis", inquit, "bonae et magnae sunt. Itaque precor ut eas perpetuo incolumes seruent".' Meditabatur Iuppiter quomodo urbis populique Romani ruentis differret excidium. Scipio Aemilianus modo erat per uim necatus a sicario, in urbe funesta seditio grassabatur Gracchana, in Italia sociorum audiebatur fremitus, tum bellum imminens Fregellanum animos angebat. Ideo deorum concilium conuocauerat Iuppiter urbis custos (Cic. in Cat. I 11 III 29) ut etiamsi Romanis di essent irati, tamen uiderent si quo modo possent munus fungi et muros seruare. Propert. III 11, 65 'Haec di condiderunt, haec di quoque moenia seruant'.

9. Scholiasta Pers. I 1: 'O curas hominum, o quantum est in rebus inane] inane. *ὅσον τὸ κενόν*. Hunc uersum de Lucili primo transtulit et bene uitae uitia increpans ab admiratione incipit'. Primum Persii integrum uersum, non secundum 'Quis leget haec? min tu istud ais? nemo, hercule. nemo?' ut Lachmannus et L. Muellerus arbitrati sunt a Persio ex Lucilii libro I desumptum esse demonstrauit post Pinzgerum alios de quibus uide Gerlachii Lucilium p. 5, 29 C. F. Heinrich Des A. Persius Flaccus Satiren Leipzig 1844 p. 74: cuius iudicium probarunt Buechelerus in Persii editione Baehrensius in F. P. R. alii. Neque enim magni faciendum si in codice aliquo scholion illud ad u. 2 adscriptum esse uidetur et u. 1 Persii solus ita comparatus est ut ex Lucilio integer possit esse translatus: o repetitum Lucilianum esse euincit u. incert. 1238. Non libri I sed orationis alicuius prohoemium fuit hic uersus quo Iuppiter sicuti Ecclesiastes *κενοσπουδίαν* et *ματαιοπονίαν* mortalium uituperarit: neque enim quemquam deorum magis decet eiusmodi conquestio qualis est illa Hom. α 32 *ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται· ἐξ*

ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. Lucretius I 330 alibi uersus Luciliani exitum suum fecit sententia mutata *namque est in rebus inane.*

10. Porphyrio ad Hor. epist. I 3, 6 (Quid studiosa cohors operum struit?) 'Cohors nunc amici. Nam et Lucilius eos, qui cum praesidibus ad salarium eunt, merced*i*meras (*mercede meras* codd: em Nettleshipius Buechelerus) legiones ait'. Nonius ex grammatico p. 345, 6 'Meret, humillimum et sordidissimum quaestum capit. . . . Lucilius lib. I "*et mercede meret relegiones*".' Poetae uerba restituere Nettleshipius teste Holdero in Porphyrionis edit. l. s. s. et Buechelerus Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 87: multo optimus hoc loco est cod Leidensis Nonii lectionis auctor, qui m. 1 habeat *relegiones*, cum reliqui habeant religiones: archetypus habuit mercedemere, cui uocabulo superscriptum fuit *ret* syllaba. Nouum hoc poetam produxisse uocabulum mercedimerus ad *μίσθαρνος* Graecum enarrat Buechelerus l. s. Legiones quae antiquitus stipendium acceperint cum his uerbis a poeta uituperari credi non possit, Horatii credendum erit interpreti cohortem praetoriam hoc hemistichio Lucilii lacessi. Quam cohortem Scipionem Aemilianum anno 620/134 instruxisse scriptores ueteres tradunt: Fest. p. 223 M: 'Praetoria cohors est dicta quod a praetore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit qui ab eo in bello non discederent et cetero munere militiae uacarent et sesquiplex stipendium acciperent': quos homines Appianus Iber. 84 fuisse narrat *φίλους πεντακοσίους οὓς ἐς ἴλην καταλέξας ἐκάλει φίλων ἴλην* (Mommsenus Herm. XIV 1879 p. 27 de iure publ. p. R. II 2 (1887) p. 863 Marquardtii enchirid. V (1884) p. 402). Cohortem eam dixerunt Latini quia numero fere illa cohortem aequabat: constabat et peditibus et equitibus quorum in numero etiam Lucilium fuisse enarrauimus prolegg. p. XXV. Macedonum mores cum secutus sit Scipio ueluti in uenando (Polyb. XXXII 15 A. Kiesslingius Mus. Heluet. Nou. V 1865 p. 334 seqq.), probabile est ducem Romanum in hac re aemulatum esse regum Macedonum *ἴλην τῶν ἑταίρων*, qui et *φίλοι* dicuntur (P. Spitta de amicorum . . . in Macedonum regno condicione Gryph. 1875 p. 10, 9), *βασιλικὴ ἴλη* uel *ἑταῖροι* audiunt Polyb. X 42, 6 XXXI 3, 7 V 53, 4 (XVI 18, 7). Carpuntur igitur a deo apud poetam illi homines qui non pugnandi cupidi sed pecuniae illa aetate solebant comitari praesides prouinciarum. E Iouis oratione uersus uidetur esse sumptus.

11. Nonius ex grammatico p. 161, 14 'Popinones uel hi quos nunc dicimus tabernarios, a popinis, uel luxuriosi qui se popinis dedunt. . . . Lucilius lib. I "*infamam honestam* turpemque odisse popinam".' Adiectiuum *infamam* inde a Mercero seruarunt (Neueus de formis l. L. II[3] p. 157) sicuti *gracila* legitur

lib. VIII u. 296. Ego temptaui 'famam inhonestam ⟨*autem*⟩ turpemque odisse popinam'. Clamat deus apud maiores honestum fuisse odisse famam turpem turpemque popinam: nunc in lustris et ganeis nobilissimum quemque diem perdere.

12. Nonius p. 536, 25 'Tunica est uestimentum sine manicis. . . . Lucilius satyrarum lib. I "praetextae . . . *sordidum* omne".' *Sordidum* corruptum esse et mendosum non est quod neges: apte *sordidulum* I. Dousa: quod epitheton tamen ineptum est admissa uulgari interpunctione, cum respicias oporteat Sapphus uersum (quem comparauit O. Muellerus de Etruscis I[2] p. 255. 246) schol. Aristoph. Pac. 1174: βάμμα Σαρδιανικόν] διαφερουσι γὰρ αἱ Λυδικαὶ βαφαί . . . Σαπφώ (19B) πόδα⟨ς⟩ δέ ποικίλος μάσ[θ]λης ἐκάλυπτε Λύδιον καλὸν ἔργον (Poll. VII 93). Neque hiatus in traditis excusandus est cum Baehrensio. Licet enim et Priscianus GL II p. 30K et Leo Plaut. Forsch. p. 305 doceat Ennium in X annalium simili admisso hiatu scripsisse 'insignita fere tum milia militum octo (332V), nos nostro iure dicemus non Ennio auctore uti grammaticum, sed librariis auctoribus: quos maiore usos esse diligentia in poeta describendo quam Plauti librarios nemo credet. Etiam Ciceronis auctor grammaticus (Or. 152) cum censeat Naeuium hiatum commisisse in uersu 'uos qui accolitis Histrum fluuium atque algidam' (TRF[3] p. 17 XIIR.) non meliore libro usus est quam est Plauti Ambrosianus qui Rud. 538 praebet 'qui? qui auderem tecum in nauem ascendere'. Queritur deus non iam matrem familias deditam lanae inter ancillas in medio aedium sedentem 'simul manibus trahere lanam nec non simul oculis obseruare ollam pultis ne aduratur' (Liu. I 57, 9 Varro sat. Menipp. 190B) neque domi fieri praetextas et tunicas, sed Lydorum manibus et *opus omne* (conf lib. XXX u. 995) matronis *sordidulum* uideri. Quare segregandum est *Lydorum* genetiuus ab *opus omne* quo sicuti lib. XXX l. s. mulierum Romanarum indicatur lanificium. Conf Diod. XXXVII 3, 4 ἀκολούθως δὲ τούτοις οἱ νέοι κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐφόρουν ἐσθῆτας διαφόρους μὲν ταῖς μαλακότησι, διαφανεῖς δὲ, καὶ κατὰ τὴν λεπτότητα ταῖς γυναικείαις παρεμφερεῖς. Lydorum mollitiem in uestibus castigat Xenophanes ap. Athen. XII p. 526A ἁβροσύνας δὲ μαθόντες ἀνωφελέας παρὰ Λυδῶν . . . ἤεσαν εἰς ἀγορὴν παναλουργέα φάρε' ἔχοντες Aeschylus E. M. p. 191, 5 λέγονται βασσάραι χιτῶνες . . . Αἴσχυλος (TGF[2] p. 21, 59). 'ὅστις χιτῶνας βασσάρας τε Λυδίας ἔχει ποδήρεις': Aristaenet. epist. I 15 p. 147 Herch. Λύδιός τε καὶ ποδήρης χιτών κτλ. comparat Dousa. Deminutiuum suum locum habet hac sede uersus (lib. II u. 84 'tesserulae omnes'), uersum hoc modo suppleas: 'manibus texuntur honestae praetextae et tunicae Lydorum, opus sordidulum omne'. Togarum luxuriam in Torquato notauit Lucilius incert. u. 1144.

13. Nonius p. 540, 25 '*Amfytapae* uestes dicuntur utrimque habentes uillos. Lucilius satyrarum lib. I "psilae atque *amfytapae* . . . molles".' Cetera uide ad lib. VI u. 252. Isidorus orig. XIX 26, 5 '*Sipla* tapeta ex una parte uillosa quasi simpla. Amphitapa ex utraque parte uillosa tapeta. Lucilius "*siplae* atque amphitapae . . . molles".' (Suet. p. 270. 454 Reiffersch.). Postquam togarum et tunicarum sumptuosam uituperauit deus luxuriem, stragulae uestis nouas carpit delicias: conf Diodor. XXXVII 3, 3 διὸ καὶ δείπνων πολυδαπάνων παραθέσεις ἐπεπόλασαν καὶ μύρων θαυμαζομένων εὐωδίαι καὶ στρωμνῆς ἀνθινῆς καὶ μεγαλοπλούτου παρασκευαί τρικλίνων, καὶ ἐλέφαντος καὶ ἀργύρου . . . κατασκευαί. *Villis* ad *psilas* et ad *amphitapas* pertinet: quare Lachmanno non distinguendum erat post psilae: hae altera tantum parte uillosae erant teste Isidoro, quia altera aut terram aut lectum premebant, illae utraque parte: conf schol. Aristoph. Vesp. 676 τὰς ψιλὰς καὶ μὴ μαλλωτὰς δάπιδας λέγουσι Poll. VI 9 ἀμφίταποι· εἰσὶ δὲ οἱ ἐξ ἑκατέρου δασεῖς, ὡς τάπητες οἱ ἐκ θατέρου. X 38 ἐπέσθω δὲ τῇ κλίνῃ τυλεῖα, κνέφαλλα, δάπιδες, τάπητες, ἀμφιτάπητες· Δίφιλος γοῦν φησιν ἐν Κιθαρῳδῷ (CAF II p. 558, 51K)· ἐξανίσταμαι τὸν ἀμφιτάπητα συστορέσας. Vtriusque uestis qualis fuerit usus Clearchus enarrat Athen. VI p. 255E κατέκειτο . . . ἐπὶ ἀργυρόποδος κλίνης ὑπεστρωμένης Σαρδιανῇ ψιλοτάπιδι . . . ἐπέβλητο δ' αὐτῷ πορφυροῦν ἀμφίταπον ἀμοργίνῳ καλύμματι περιειλημμένον, item Callixenus apud Athen. V p. 197A ἔκειντο δὲ κλῖναι χρυσαῖ σφιγγόποδες . . . ταύταις δ' ἀμφίταποι ἁλουργεῖς ὑπέστρωντο . . . καὶ περιστρώματα ποικίλα . . . ἐπῆν. ψιλαὶ δὲ Περσικαὶ τὴν ἀνὰ μέσον τῶν ποδῶν χώραν ἐκάλυπτον (Septuag. Ios. VII 21). Isidorus cum scriberet *siplae* mendosis deceptus est exemplaribus: amphitapae forma Latina extat etiam Dig. XXXIV 2, 23, 2: quam hoc loco praetulit propter *psilae* similem formam, cum alias scriberet *amphitapoe*.

14. Nonius p. 521, 29 'Mira et miracula, ueteres pro monstris uel horrendis ponebant. Lucilius satyrarum lib. I "miracula ciet *telefantas*".' Rectius prioribus criticis Stowasserus arch. lexicogr. Lat. I 1884 p. 120 *elefantas* quos librariorum inertia procrearit, deleuit, et subiectum latitare in uocabulo corrupto arbitratus est: quod restituit τελεφάντης uocabuli ἱεροφάντης simile uocabulum caret auctoritate. Agitur si recte scripsimus de culcitarii artibus: poeta deum induxerat loquentem de triclinii sumptuosissimo apparatu in quo erant culcitae τύλαι pretiosissimae: conf Bluemnerus ad edict. Dioclet. XXVIII 46. Imperatorum aetate cum e ueterum libris non ex sermone cottidiano sumptum uocabulum τύλη υ habeat productam (A. P. XI 14, 2. 315, 1), quae fuerit antiquitus huius uocabuli quantitas non constare uidetur. Lucilii tempore Nicander scripsit ther. 178 οἷα τύλοι, τὸ δ' ἔνερθεν: quo

uocabulo comparato *τύλη* apud uetustos scriptores correptam habuisse *υ* iure statuerunt uiri docti sicuti *τυλίσσω*, qua de re conf lexica s. u. *Tylyphantas* Dorica forma est uocabuli *τυλυφάντης* quod formarunt ut *σακχυφάντης*: texitur enim culcita teste A. P. XI 14 *τύλη ἐπεκλίνϑην Γοργόνος ἢ Νιόβης ἣν οὐδεὶς ὕφηνεν, ἀπέπρισε δέ*: Poll. VII 191 X 38 *ἐπέσϑω δὲ τῇ κλίνῃ τυλεῖα, κνέφαλλα ... ἀμφιτάπητες* ... 39 *καὶ τύλη δὲ παρ' Εὐπόλιδι ἔστιν ... ὧν καὶ τοὺς τεχνίτας ἔοικεν Ὑπερείδης ἐν τῷ ὑπὲρ Μίκας* (fragm. 125 Blassii) *ὀνομάζειν εἰπών· ἐμισϑώσατο τυλυφάντας.* Dorica forma Tarento Romam inducta est quae urbs lanificio Italiae erat nobilissima (Strab. VI p. 284 Petron. 38 Marquardtius Mauius de uita priuata p. R. p. 476). — miracla] uide ind. gramm. s. u. syncope.

15. Macrobius Sat. VI 4, 18 'Inseruit (*Vergilius*) operi suo et Graeca uerba, sed non primus hoc ausus ... Lucilius in primo "porro KEINOPODAC clinopodas lichnosque ut diximus cemnoc ante ... lucernas".' Verba poetae recte tradita erant in archetypo litteris Latinis: quae Graecae aut litterae aut uoces illatae sunt in codd, eae natae sunt curiositate librariorum qui solebant litteris Graecis ludere in codd: (Reifferscheidius Biblioth. Patr. Ital. I p. 264): uide quae adnotauimus ad lib. V u. 186. Conqueritur deus eadem ratione qua Varro l. L. IX 22 'Quotus quisque iam seruos habet priscis nominibus? quae mulier suum instrumentum uestis atque auri ueteribus uocabulis appellat? sed indoctis non tam irascendum, quam huiusce prauitatis patronis'. Deum Lucilii in hac re postea secuti sunt Messalla orator eiusque discipulus Tiberius Caesar (scholl. Hor. serm. I 10, 28 Sueton. Tib. 70. 71 Dio Cass. LVII 15, 2. 17, 1. 2): Lucilianam saturam denique Graecis et uocabulis et sententiolis purgari uoluit Horatius. Facete tamen poeta deum dum ueterum uocabulorum *σεμνότητα* inducit laudantem ipsum Graeco uocabulo facit usum parum constanter. In uerbis ipsis male nonnulla mutarunt nonnulli: ut exclamationem inchoat ut Plaut. Capt. 165: 'ut saepe summa ingenia in occulto latent'. Similiter atque in hoc libro deus in libro altero Scaeuola Albucium ludit Graecis uocabulis qui utatur. *σεμνῶς* ut Demosth. de cor. 35 *μάλα σεμνῶς ὀνομάζων* 130. 133.

17. Charisius GL I p. 118, 25 K 'Autumnal Varro (rer. rust. III 5, 7) "aequinoctium autumnal", quod idem Plinius eodem libro VI (p. 52 Beckii) notat. uidendum tamen est an reprehensione sit dignum, prius illa nobis spectata ratione. nomina quaedam sunt principalia, quae Plinius Secundus eodem libro facientia appellat (Fabricius addidit *ut aqua*); ex quibus possessiua nascuntur, quae patiendi uocat, ut aquale (*tamen* (*nam* cod) Lucilius libro I saturarum "arutę neq. inquit aquales"), non ut * autumnal.

huius autem principale nomen est aqua: quod uero patitur ac tenet aquam, aquale (conf Varro de l. L. V 119). "ut equile sedile monile", ait idem Plinius. [aquale]. ... animal animale faciet, ut autumnal autumnale, capital capitale, tribunal tribunale; quae patiendi non sunt, ut supra diximus' (conf prolegg. p. LXXV). Hemistichium iustis quod stet numeris satius est interpretari quam mutare. Varro l. s. s. de l. L. IX 21: 'Nonne inusitatis formis uasorum recentibus e Graecia adlatis obliterata antiquae consuetudinis sinorum et capularum species?' Narrat deus hominem Albucii similem esse rogatum quare patriis intermiscere petita uerba foris malit Canusini more bilinguis neque *τὴν σκάφην σκάφην λέγει*: qui 'at doctius mea sententia mollis 'hetaera' dicetur meretrix, 'arutaenae'que, inquit, aquales'. Itaque *aquales* qui audiunt apud Catonem (p. 62, 1 Iord.) et Plautum (Curc. 312), eos *arutaenas* Lucilii tempore dixerunt graecissantes: Poll. X 63 *τῶν ἐν αὐτῷ τῷ βαλανείῳ σκευῶν ὀνόματα ... πύελος, κρουνός, ἀρύταινα ... Ἀριστοφάνους μὲν εἰπόντος* (CAF I p. 504, 435 K): *βαλανεὺς δ' ὠϑεῖ ταῖς ἀρυταίναις*: conf Antiphan. l. s. II p. 19, 25, 3 K Theophr. charact. 9, 8 p. 79 ed. Lips. 1897 Fest. p. 21, 3 M.

18. Nonius p. 158, 8 'Pausa est quies alicuius rei. ... Lucilius satyrarum lib. I "haec ... loquendi".' Recte Corpetus haec quae ita tradita sunt in codd seruauit non secutus eos qui inserentes *facit* uocabulum uersum integrum reddiderunt. *Haec ubi dicta* omisso *sunt* plane secundum Lucilii usum dictum est neque aliter Vergilius Aen. I 81 'Haec ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem Impulit'. *Pausam dare* est apud Ennium in Scipione (10 V): 'Et Neptunus saeuus undis asperis pausam dedit' apud Accium Epigonis (TRF ed. III 290 R) 'Nobis datur bona pausa loquendi'. Locutio ipsa historicis Graecis magis est propria quam epicis: nam Homerus A 68: *ἦ τοι ὅ γ' ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο*, Herodotus VII 8 *extr.* *ταῦτα εἴπας ἐπαύετο* Xenophon anab. I 3, 13 *ταῦτ' εἰπὼν ἐπαύσατο*. Verbis *ore loquendi* apparet Lucilium epicum imitari Latinum quem item imitatus est Vergilius Aen. VI 76 'Finem dedit ore loquendi' (*ore* ablatiuus legitur item II 475) 'quod significat finem dedit ore dum loquitur' auctore Diomede GL I p. 342, 23 K. Ennianam totam esse hanc locutionem ueri simile est Similiter Martian. Capella I 94 p. 26, 20 Eyssenh. 'Sed postquam Iuppiter finem loquendi fecit' e. q. s.

19. Lactantius diuin. instit. IV 3, 12 'Itaque et Iuppiter a precantibus pater uocatur et Saturnus et Ianus et Liber et ceteri deinceps, quod Lucilius in deorum concilio inridet: "ut ... ad unum".' Haec uerba Lactantii demonstrant inscriptum fuisse a grammaticis 'deorum concilium' librum I Lucilii sicuti liber XVI inscribebatur Collyra, Homeri Odysseae libri I pars prima inscri-

bitur *θεῶν ἀγορά*. Lucilii uersus l. s. allatos qui eloquitur, agit, ut apparet, de cognominibus, quae dis solent indere homines: itaque cum hoc fragmento arte coniungi oportet ea, quae tradit

23. Seruius auctus ad Aeneidis III 119 'Et quidam pulcher Apollo epitheton datum Apollini reprehendunt: pulchros enim a ueteribus exsoletos dictos. nam et apud Lucilium Apollo pulcher dici non uult'. Quoniam multo uerisimilius est unum ex dis in transitu de hac re agere quam plures — nihil enim hoc ad interitum Lupi, quibus maxime cognominibus di praedicentur — illos quoque uersus tres eidem tribuere licebit Apollini, eo magis quod ipsius nomen in illis non inuenitur. Neque uero recte dicit Lactantius unumquemque a precantibus patrem inuocari deorum, etiamsi Seruius auctus idem tradat ad Aen. I 155 'Sane ueteres omnes deos patres dicebant' conf Seru. ad Aen. I 699 III 89; ad Georg. II 4 'Pater licet generale sit omnium deorum, tamen proprie Libero semper cohaeret: nam Liber pater uocatur'. Nam indigenarum proprie hoc epitheton fuit deorum, non Graecorum qualis est Apollo. Quem Vergilii Aeneas cum adloquitur Aen. III 89 *da, pater, augurium,* neque sequitur morem ille populi Romani sollemnem neque uiolat regulam quam memorauimus. Nam *pater* et homines dicuntur (conf interpp. ad Hor. epist. I 7, 37) simpliciter, sed in dis uocabulum est nominis tamquam appendix enclitica. Quod numquam in suo nomine fieri queritur Apollo Lucilianus neque re uera factum est umquam. Neque Gellius V 12 ubi de hac re agitur commemorat Apollinem, neque Macrobius Saturn. I 18, ubi contendit Liberum patrem eundem esse atque Apollinem eodem utitur argumento, quo I 19, 3 euincere studet Liberum patrem et Martem patrem unum numen et nomine tantum diuersos esse, quod utrumque Romani patris appellatione uenerentur: quod argumentum illic attulisset si potuisset, hic adferri ridiculum erat, si ad unum omnes hoc cognomine uocabantur dei. Certe uirgines Vestales Apollinem ita indigitabant: 'Apollo Medice, Apollo Paean' (Macrob. l. s. I 17, 15) et apud Horatium epist. I 16, 57 'uir bonus . . . quandocumque deos uel porco uel boue placat, 'Iane pater', clare, clare cum dixit 'Apollo', labra mouet metuens audiri: 'pulchra Lauerna, da mihi fallere' e. q. s. Quo loco apparet *pulcher* reuera inuocationem esse deorum dearumque et Romanae precationis sollemnis consuetudinem quandam spectasse et Vergilium et Lucilium poetas inde manifestum est, quod in actis ludorum saecularium Ephem. epigr. VIII p. 284 haec legimus: 'Seuerus tunc pra[eit in haec uerba: "Iuppit]er [optime m]axime, Iuno regina, bone pulch[er] Apo[llo]" . . .' Quibus locis uocabulum *pulcher* strenuum et fortem indicare exposuere Kiesslingius ad Hor. l. s. et carm. IV 4, 65 Seru. ad Aen. VII 656 IV 149, conf quae leguntur in neniae

uetustissimae irrisione Senecae apocoloc. cap. 12: 'cecidit pulchre cordatus homo quo non alius fuit in toto fortior orbe', '*Romulus pulcher*' Ennius annal. 80 V, '*Hippolyti proles pulcherrima bello*' Verg. Aen. VII 761. Hoc dei epitheton consulto in malam detorsit significationem Lucilius: qua de causa ita fecerit, postea uidebimus. Apud Graecos poetas *καλὸς Ἀπόλλων* audit deus quem secundum Theognidis uersum (7 Bergkii) *ἀθανάτων κάλλιστον* Latona peperit ueluti apud Rhianum A. P. VI 278, 1 Apollon. Rhod. II 702 Nonnum Dionys. VIII 226 X 197 XIII 302 (Bruchmannus Epitheta deorum Lips. 1893 p. 25): apud alios corporis cultui anxie et munditiis operam dat ueluti in hymno Delphico Bullet. de corresp. hellén. XVII 1893 p. 565 seqq.: '*ἀλλ' ὦ Παρνασσοῦ γυάλων εὐδρόσοισι Κασταλίας νασμοῖς σὸν δέμας ἐξαβρύνων ἰήιε Παιάν*; apud Horatium carm. IV 6, 26 'qui Xantho lauis amne crinis' III 4, 61 'qui rore puro Castaliae lauit crinis solutos'. Quare Tibullus II 5, 7 ad Apollinem: 'Sed nitidus', inquit, 'pulcherque ueni: nunc indue uestem Sepositam longas nunc bene pecte comas'. Eodem modo Iuuenalis VIII 128 *acersecomes* posuit pro *cinaedus* Apollinis epitheton. Veri igitur simillimum est conqueri Apollinem apud Lucilium quod cum ceteri ad unum omnes patres dicantur, ipse pulcher Graece quod est *καλός* audire soleat ut exoleti ab amatoribus: conf interpp. ad Aristoph. Vesp. 98. Lucian. Iupp. trag. 43 de Apolline: *Ποῦ νῦν ὁ καλὸς ἡμῖν κιθαρῳδός*; Dial. mort. 10, 3 *Ὁ καλὸς δὲ οὗτος τίς ἐστιν; Χαρμόλεως . . . ὁ ἐπέραστος, οὗ τὸ φίλημα διτάλαντον ἦν.* Neque ulla re nos prohibemur quominus quod sequitur fragmentum quo de pulchritudine duarum feminarum a Ioue corruptarum deorum aliquis — id enim in libro I ueri est simillimum — egerat, eidem Apollini tribuamus recusanti pulchri cognomen:

24. Nonius p. 258, 20 'Contendere significat conparare . . . Lucilius satyrarum lib. I "ut . . . lede atque *ixiones alcholocheo*".' Versum qui et tragica et Homerica lectione poetam esse imbutum prodit emendauit Mercerus memor hemistichii Iliadis Ξ 317 *οὐδ' ὁπότ' ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο.* Vocabulum *Thestias* ex Euripidis sumpsit Iph. Aul. 49 *ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι.* Sententiam ita fere suppleas: *nec studui faciem facie* ut contendere possem Thestiados Ledae atque Ixionies alochoeo. Tamen uix poterat scribere haec Lucilius, si non uolebat laedere gentem Claudiorum potentissimam qui hoc uterentur cognomine ueluti consulem anni 624/130 App. Claudium Pulchrum (uide prolegg. p. XXI CIL I ed. alt. 1 p. 148. 149) et Appii Claudii familiam Scipioni Aemiliano infestam fuisse (uide prolegg. p. XXXIV) Cicero testatur de rep. I 31 pro Scaur. 32. Constat eodem lusu uerborum usum esse Catullum 79, 1 'Lesbius est pulcher . . . Sed tamen hic pulcher uendat cum gente Catullum' ubi interpretes

adnotant Ciceronem Clodium cuius nomen totidem litteris significauit Catullus dicere pulchellum puerum ad Att. I 16, 10 II 1, 4. 22, 1. Apollinis igitur sententia de Lupi interitu quae fuerit plane incertum est, nisi forte τὸν λυκοκτόνον θεόν Lupos omnes perdendos censuisse coniciat quispiam: certe in istud Cornelii Lentuli agnomen aliquid lusisse Lucilius putandus est, similiter atque Hor. serm. I 7, 33 'Per magnos, Brute, deos te Oro, qui reges consueris tollere, cur non Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est'. — 20 aut — aut] conprehendit ab altera parte Iouem O. M., ab altera reliquos omnes. — 22 siet ac dicatur] hendiadyoin. — ad unum] κατὰ σύνεσιν tamquam si praecedat 'omnes'.

26. Asconius falsus in Diuinationem 43 (ubi Cicero: *si quid ex uetere aliqua oratione 'Iouem ego optimum maximum' aut 'Vellem, si fieri potuisset, iudices' aut aliquid eiusmodi ediscere potueris, praeclare te paratum in iudicium uenturum arbitraris?*) p. 116 Bait. 'Iouem ego optimum maximum.] Haec capita solent usitata esse causidicis imperitis: quod genus uitii in primordio in rhetoricis (= de inu. I 26) uulgare nominat. Incipiebant autem ueteres, ut Vergilius ostendit, aut ab inuocatione deorum, quale est (Aen. XI 301) "Praefatus diuos solio rex infit ab alto" — aut reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius: "Vellem cumprimis fieri si forte potisset": uitiose ambo capita. Et Vergilius (Aen. XI 302): "Ante equidem summa de re statuisse, Latini Et uellem et fuerat melius".' — Verba inde ab *Et Vergilius*, scholion recentius esse uel additamentum apparet. Comparanda sunt Seruii uerba ad Vergilii l. s.: 'Praefatus diuos] more antiquo: nam maiores nullam orationem nisi inuocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi: nam generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per inrisionem ait "si quid ex uetere aliqua oratione Iouem ego optimum maximum".' Quid sit *reprehensione superioris temporis* ex Seruii scholio ad u. 302 intellegitur: 'Ante equidem summa e. q. s.] latenter *arguit* Turnum, quod sibi non obtemperauerit ut foedus fieret, in septimo scilicet ubi dixit (596) "te Turne, nefas, te triste manebit, supplicium": nam modo *hoc tempus reuoluit*... "uellem" autem "statuisse" sic dicit ut "uellem fecisse" et est compendiosa elocutio, cum querimur non esse factum quod fieri debuit'. Sicuti ille orator quem Cicero irridet ita Lucilius Latini alicuius oratoris prohoemium imitatus est quem et Cicero ipse imitatur oratorem initio orationis pro Sulla alibi. Apte autem Scaliger hunc Lucilii uersum tribuit libro I propter uu. 27 seqq.: nam cum in hoc libro longe plurimae fuerint orationes rhetorum ampullis a poeta per iocum ornatae, inde rhetores ex hoc potissimum libro sua poterant desumere exempla. Fuit igitur hic

uersus prohoemium dei contionantis alicuius: Neptuno tribuas, si ea quae ad uu. 27 seqq. adnotata sunt probaueris. Fictum autem est istud exordium ad exemplum Thrasymachi ueteris Chalcedonii quale seruauit Dionysius Halic. Demosth. 3 I p. 132 Vs. Rad.: ἐβουλόμην μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μετασχεῖν ἐκείνου τοῦ χρόνου κτλ., eodem modo incipiunt in prohoemiorum collectione quae Demosthenis esse fertur proh. XVI ἐβουλόμην ἂν ὑμᾶς ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι: XXXII ἠβουλόμην ἂν ὦ ἄνδρες κτλ. Lucilius igitur eodem ioco usus est quo Aristophanes Eccles. 151 ubi mulier: ἐβουλόμην μὲν ἂν ἕτερον τῶν ἠθάδων λέγειν τὰ βέλτιστα κτλ., quo Lucianus in deorum concilio Iou. tragoed. 14. 15 ubi Mercurius Iouem edocens σὺ δὲ τῶν Δημοσθένους δημηγοριῶν τῶν κατὰ Φιλίππου ἥν τινα ἂν ἐθέλῃς σύνειρε ὀλίγα ἐναλλάττων. οὕτω γοῦν οἱ πολλοὶ νῦν ῥήτορες ποιοῦσιν: ubi Iuppiter ita incipit ἀντὶ πολλῶν ἂν ὦ ἄνδρες θεοὶ χρημάτων κτλ. (= Demosth. Olynth. I 1 Prohoem. III). Idem deus apud Apuleium met. VI 23 in deorum concilio 'Dei conscripti', inquit, 'Musarum albo, adulescentem istum, quod manibus meis alumnatus sim, profecto scitis omnes' ubi utitur prohoemio Demosthenis de falsa legat. uel Midianae uel pro Phormione (Proh. XI). Simile praeterea prohoemium adhibuerunt atque deus Lucilianus Isaeus ap. Dionys. Halic. de Isaeo 10 I p. 105, 7 Vs. Rad. Μάλιστα μὲν ἐβουλόμην ὦ ἄνδρες δικασταί (conf 8 I p. 101, 23 et Isaei orat. X Antiph. or. V Antisthenis Aiax Cic. Philipp. IX Dionys. Hal. archaeol. VII 48), Sallustii Philippus (histor. I p. 33 Maurenbr.): 'Maxime uellem, patres conscripti, rem p. quietam esse', orator ap. [Caes.] bell. Afr. 54, 2 'Maxime uellem . . . homines suae petulantiae . . . finem fecissent', Cicero in oratione pro Sulla 'Maxime uellem, iudices, ut P. Sulla . . . fructum aliquem percipere potuisset'. Fronto p. 164 med. N. 'Si euenire posset, Imperator, ut amici ac familiares nostri nostris moribus cuncta agerent, maxime uellem'. Metro coactus scripsit Lucilius 'uellem cumprimis', quo adverbio et Crassus et Cicero oratores utuntur (de or. II 224 in Vers. II 28, 68: conf Gell. XVII 2, 14). Restituit *potisset* Mercerus: *potissit* cod Pistoriensem habere testatur Asconii editio Kiessl.-Schoell. p. 89 *potisset* in Leidensi exstare ex editorum Asconii silentio efficitur, *petisset* editio princeps. Imperfectum coniunctiui necesse est ponatur: eadem forma apud Lucilium lib. XXX u. 1050 V u. 203 I u. 5 Plaut. Mil. 884 tradita est (Leo Plautin. Forsch. p. 267). Itaque incipit deus hac sententia: 'Maxime uellem, si forte fortuna fieri posset, . . .' quae sequebantur incerta sunt. Artissime cum uu. 27 seqq. hunc uersum coniunxit Scaliger quem ita constituit *uellem cumprimis fieri si fors potuisset,* quia illic u. 28 legitur *adfuissemus:* sed recte imperfectum (Draegeri syntax. hist. ling. Lat. [2]II p. 722b).

adnotant Ciceronem Clodium cuius nomen totidem litteris significauit Catullus dicere pulchellum puerum ad Att. I 16, 10 II 1, 4. 22, 1. Apollinis igitur sententia de Lupi interitu quae fuerit plane incertum est, nisi forte *τὸν λυκοκτόνον θεόν* Lupos omnes perdendos censuisse coniciat quispiam: certe in istud Cornelii Lentuli agnomen aliquid lusisse Lucilius putandus est, similiter atque Hor. serm. I 7, 33 'Per magnos, Brute, deos te Oro, qui reges consueris tollere, cur non Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est'. — 20 aut — aut] conprehendit ab altera parte Iouem O. M., ab altera reliquos omnes. — 22 siet ac dicatur] hendiadyoin. — ad unum] *κατὰ σύνεσιν* tamquam si praecedat 'omnes'.

26. Asconius falsus in Diuinationem 43 (ubi Cicero: *si quid ex uetere aliqua oratione 'Iouem ego optimum maximum' aut 'Vellem, si fieri potuisset, iudices' aut aliquid eiusmodi ediscere potueris, praeclare te paratum in iudicium uenturum arbitraris?*) p. 116 Bait. 'Iouem ego optimum maximum.] Haec capita solent usitata esse causidicis imperitis: quod genus uitii in primordio in rhetoricis (= de inu. I 26) uulgare nominat. Incipiebant autem ueteres, ut Vergilius ostendit, aut ab inuocatione deorum, quale est (Aen. XI 301) "Praefatus diuos solio rex infit ab alto" — aut reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius: "Vellem cumprimis fieri si forte potisset": uitiose ambo capita. Et Vergilius (Aen. XI 302): "Ante equidem summa de re statuisse, Latini Et uellem et fuerat melius".' — Verba inde ab *Et Vergilius*, scholion recentius esse uel additamentum apparet. Comparanda sunt Seruii uerba ad Vergilii l. s.: 'Praefatus diuos] more antiquo: nam maiores nullam orationem nisi inuocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi: nam generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per inrisionem ait "si quid ex uetere aliqua oratione Iouem ego optimum maximum".' Quid sit *reprehensione superioris temporis* ex Seruii scholio ad u. 302 intellegitur: 'Ante equidem summa e. q. s.] latenter *arguit* Turnum, quod sibi non obtemperauerit ut foedus fieret, in septimo scilicet ubi dixit (596) "te Turne, nefas, te triste manebit, supplicium": nam modo *hoc tempus reuoluit*... "uellem" autem "statuisse" sic dicit ut "uellem fecisse" et est compendiosa elocutio, cum querimur non esse factum quod fieri debuit'. Sicuti ille orator quem Cicero irridet ita Lucilius Latini alicuius oratoris prohoemium imitatus est quem et Cicero ipse imitatur oratorem initio orationis pro Sulla alibi. Apte autem Scaliger hunc Lucilii uersum tribuit libro I propter uu. 27seqq.: nam cum in hoc libro longe plurimae fuerint orationes rhetorum ampullis a poeta per iocum ornatae, inde rhetores ex hoc potissimum libro sua poterant desumere exempla. Fuit igitur hic

uersus prohoemium dei contionantis alicuius: Neptuno tribuas, si ea quae ad uu. 27seqq. adnotata sunt probaueris. Fictum autem est istud exordium ad exemplum Thrasymachi ueteris Chalcedonii quale seruauit Dionysius Halic. Demosth. 3 I p. 132 Vs. Rad.: *ἐβουλόμην μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μετασχεῖν ἐκείνου τοῦ χρόνου κτλ.*, eodem modo incipiunt in prohoemiorum collectione quae Demosthenis esse fertur proh. XVI *ἐβουλόμην ἂν ὑμᾶς ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*: XXXII *ἠβουλόμην ἂν ὦ ἄνδρες κτλ.* Lucilius igitur eodem ioco usus est quo Aristophanes Eccles. 151 ubi mulier: *ἐβουλόμην μὲν ἂν ἕτερον τῶν ἠθάδων λέγειν τὰ βέλτιστα κτλ.*, quo Lucianus in deorum concilio Iou. tragoed. 14. 15 ubi Mercurius Iouem edocens *σὺ δὲ τῶν Δημοσθένους δημηγοριῶν τῶν κατὰ Φιλίππου ἥν τινα ἂν ἐθέλῃς σύνειρε ὀλίγα ἐναλλάττων. οὕτω γοῦν οἱ πολλοὶ νῦν ῥήτορες ποιοῦσιν*: ubi Iuppiter ita incipit *ἀντὶ πολλῶν ἂν ὦ ἄνδρες θεοὶ χρημάτων κτλ.* (= Demosth. Olynth. I 1 Prohoem. III). Idem deus apud Apuleium met. VI 23 in deorum concilio 'Dei conscripti', inquit, 'Musarum albo, adulescentem istum, quod manibus meis alumnatus sim, profecto scitis omnes' ubi utitur prohoemio Demosthenis de falsa legat. uel Midianae uel pro Phormione (Proh. XI). Simile praeterea prohoemium adhibuerunt atque deus Lucilianus Isaeus ap. Dionys. Halic. de Isaeo 10 I p. 105, 7 Vs. Rad. *Μάλιστα μὲν ἐβουλόμην ὦ ἄνδρες δικασταί* (conf 8 I p. 101, 23 et Isaei orat. X Antiph. or. V Antisthenis Aiax Cic. Philipp. IX Dionys. Hal. archaeol. VII 48), Sallustii Philippus (histor. I p. 33 Maurenbr.): 'Maxime uellem, patres conscripti, rem p. quietam esse', orator ap. [Caes.] bell. Afr. 54, 2 'Maxime uellem . . . homines suae petulantiae . . . finem fecissent', Cicero in oratione pro Sulla 'Maxime uellem, iudices, ut P. Sulla . . . fructum aliquem percipere potuisset'. Fronto p. 164 med. N. 'Si euenire posset, Imperator, ut amici ac familiares nostri nostris moribus cuncta agerent, maxime uellem'. Metro coactus scripsit Lucilius 'uellem cumprimis', quo adverbio et Crassus et Cicero oratores utuntur (de or. II 224 in Vers. II 28, 68: conf Gell. XVII 2, 14). Restituit *potisset* Mercerus: *potissit* cod Pistoriensem habere testatur Asconii editio Kiessl.-Schoell. p. 89 *potisset* in Leidensi exstare ex editorum Asconii silentio efficitur, *petisset* editio princeps. Imperfectum coniunctiui necesse est ponatur: eadem forma apud Lucilium lib. XXX u. 1050 V u. 203 I u. 5 Plaut. Mil. 884 tradita est (Leo Plautin. Forsch. p. 267). Itaque incipit deus hac sententia: 'Maxime uellem, si forte fortuna fieri posset, . . .' quae sequebantur incerta sunt. Artissime cum uu. 27seqq. hunc uersum coniunxit Scaliger quem ita constituit *uellem cumprimis fieri si fors potuisset*, quia illic u. 28 legitur *adfuissemus:* sed recte imperfectum (Draegeri syntax. hist. ling. Lat. ²II p. 722b).

27. Iulius Rufinianus de figuris sententiarum 31 (RL p. 46, 1 Halm.) 'Epanalepsis, repetitio sententiae propter aliam necessariam causam, non ut fit in figuris elocutionis: sic (*ita I. Dousa,* sed *ed. pr.*) apud Lucilium "*uel* concilio . . . priore concilio".' Suppleuit I. Dousa, qui recte exordium sententiae restituerit, locum hoc modo 'uel*lem* concilio uestrum, quod dicitis olim, Caelicolae *uellem, inquam,* adfūuissemu (L. Muellerus d. r. m.[2] p. 286) priore Concilio'. Lachmannus et L. Muellerus u. 28 ita supplerunt . . . 'Caelicolae *factum, uellem,* adfuissemu' priore' (conf Lucil. lib. XIV u. 468 XVII u. 542 II u. 91: L. Muellerus l. s. s. p. 319): hoc fecerunt rectius, quam ille, quia *ui* monosyllabon posuisse Lucilium locis s. s. constat, de u in *fui* producta non constat. Quaeritur deinde num *concilio* datiuus an ablatiuus sit habendus. Datiuum Halmius esse putauit qui cum Fleckeiseno hunc locum ita constituere '*Vellem* caelicolae *olli* adfuissemu' priorei Concilio'. Quod si recte statuisset de datiuo, nihil opus erat supplementis: poterat scribi: 'uel*lem* concilio uestrum, quod dicitis, olim, Caelicolae adfuissemu', prior*i* concilio ⟨inquam⟩'. Sed ablatiuus multo aptior profecto est quam datiuus sicuti rectius dicitur adesse in senatu quam adesse senatui, neque ei sunt audiendi qui *priore concilio* datiuum esse posse aut arbitrati sunt aut arbitrantur. Etiam comparato u. 30 'concilio antiquo sapiens uir solus fuisti' ablatiuum desiderari hoc loco apparet: conf indic. gramm. s. u. ablatiuus. — concilio uestrum] *uestrum* pro *uestro:* qui usus loquendi in hoc potissimum pronomine sollemnis fuisse uidetur apud Ciceronem: conf exempla a Draegero syntax. hist. ed. alt. I p. 471 congesta. — quod dicitis] inde elucet eum qui loquitur loqui post alios deos: quod cum constet Apollinem loqui libro I, consentaneumque sit Iouem locutum esse primum omnium, tertio deo quem interlocutorem fuisse traditum est hos uersus tribuemus Neptuno. Ille nimirum concilio in priore non aderat quia epulas Aethiopum petierat (Hom. *α* 26 *ἔνθ' ὅγε τέρπετο δαιτὶ παρήμενος· οἱ δὲ δὴ ἄλλοι Ζηνὸς ἐνὶ μεγάροισιν Ὀλυμπίου ἀθρόοι ἦσαν*) quem locum Quiritibus quot ad Liuii Odyssian uapularant notissimum fuisse manifestum est. Deorum epulas apud Aethiopes factas Lucianus quoque irridet Prometh. 17 *περὶ θυσιῶν* 2.—28. caelicolae i. e. *Οὐρανίωνες, Οὐρανίδαι,* ex Ennio sumptum (annal. 491 V). In Senecae satura Augustus deos adloquitur *p. c.* (cap. 10).

30. *Seruius auctus* et Seruius ad Aeneidis IV 458 'Coniugis antiqui. Aut prioris aut cari. *Lucilius "concilio . . . fuisti". antiquus ergo est qui praecedit eum qui praesens est*'. De usu uocabuli *antiquus* conf Verg. Aen. II 188. Hunc u. recte comparatis uerbis *priore concilio* (u. 28) Van Heusdeus stud. crit. in Lucil. p. 164 ad librum I rettulit cum Seruius *antiquus* explicet

prior, qui praecedit eum, qui praesens est. Sed male pro *uir* posuit *uix* non considerans et apud Lucianum Iou. trag. 15 Iouem deos alloqui *ἄνδρες θεοί* et apud Senecam apocoloc. 9 Ianum patrem dici hominem quantumuis uafrum. Conf praeterea Archippus comicus fragm. 29 (CAF I p. 685 Kock.) ubi pisces adloquitur legatus *ἄνδρες ἰχθύες* et quae Meinekius ad hunc locum (2, 723) contulit Timaei (Athen. II 37 D) *ἄνδρες Τρίτωνες,* Athenaei IV 160 B *ὦ ἄνδρες κύνες.* Neptunus, cui uersum tribuimus sicuti uu. 26—29 uidetur laudare Apollinem qui concilio priore quid actum sit quidque ipse rogarit exposuerat. Sicuti muros Troiae, ita Romae urbis delendos esse funditus ille censuerat: cum fratre consentit Neptunus sicuti apud Homerum *M* 17 *δὴ τότε μητιόωντο Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων τεῖχος ἀμαλδῦναι.*

31. Lactantius diuin. instit. V 14, 3 'Carneades, Academicae sectae philosophus, cuius in disserendo quae uis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit ipsum, ex praedicatione Ciceronis intelleget, aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima ostendit non posse id explicari, "non . . . remittat".' Codd Lactantii BSP deprauatam exhibent lectionem *nec si Carneaden.* Locus totus a Lactantio desumptus est ex Ciceronis libro de rep. III (5, 9—6, 9 p. 335 edit. C. F. W. Muelleri), ubi de celeberrima Carneadis legatione egerat Cicero facta anno 599/155: audierat Lucilius philosophum cum Romae illo anno degeret (uide prolegg. p. XXIV). Neque tamen illius temporis memor haec scripsit tantummodo Lucilius sed scriptis Clitomachi qui ad poetam Latinum librum miserat imbutus quibus Clitomachus Carneadis doctrinam *μάλιστα ἐφώτισε* (Diog. Laert. IV 67). Obiit Carneades teste Apollodoro in chronicis (Diog. Laert. IV 65) ol. 162, 4 anno 625/129 aut 626/128: qua de re egimus prolegg. p. XL. Quae sit res illa difficillima quae ne a Carneade quidem possit explicari, non tradidit Lactantius: sed philosophum illum de dis in utramque partem disputasse his apparet uerbis Clitomachi apud Sextum Empiricum p. 429, 8 B: *ἠρώτηνται δὲ ὑπὸ τοῦ Καρνεάδου καὶ σωριτικῶς τινές, οὓς ὁ γνώριμος αὐτοῦ Κλειτόμαχος ὡς σπουδαιοτάτους καὶ ἀνυτικωτάτους ἀνέγραψεν, ἔχοντας τὸν τρόπον τοῦτον· εἰ Ζεὺς θεός ἐστι, καὶ ὁ Ποσειδῶν θεός ἐστιν·... εἰ δὲ ὁ Ποσειδῶν θεός ἐστι καὶ Ἀχελῷος ἔσται θεός . . . καὶ ὁ Νεῖλος . . . καὶ πᾶς ποταμός . . . καὶ οἱ ῥύακες . . . καὶ αἱ χαράδραι. οὐχὶ δὲ οἱ ῥύακες· οὐδὲ ὁ Ζεὺς ἄρα θεός ἐστιν. εἰ δέ γε ἦσαν θεοί, καὶ ὁ Ζεὺς ἦν ἂν θεός. οὐκ ἄρα θεοὶ εἰσίν* (Vickius Herm. XXXVII 1902 p. 241 seqq.). De philosophi impietate, qui negaret deos esse deliberant di in Luciani Ioue tragoedo: conf quae adnotauimus ad uu. 1312. Praesenti *remittat* utentem deum immortalem lepide facit poeta, cum mortales in rebus quae nullo pacto possint fieri utantur imperfecto.

32. Nonius p. 5, 30 ‘Cinaedi dicti sunt apud ueteres saltatores uel pantomimi. ... Lucilius satyrarum lib. I “stulte ... cinedos”.’ Dei orationem hoc prouerbio ornatam esse ex pronomine *te* apparet sicuti prouerbium est u. 36 ad dei alicuius orationis quod pertineat. Itaque idem significat hic *stulte* quod illic et in aliis prouerbiis *insane* prouerbiumque idem ualet atque illa *γλαῦκ’ εἰς Ἀθήνας*, in siluam ligna insane ferre (Hor. serm. I 10, 35): *inter uenisse cinaedos* collocatum ut *inter ludere uirgines* Hor. carm. III 15, 5.

33. Iulius Rufinianus de figur. sent. et eloc. 30 RL p. 45, 27 H ‘Enthymema fit cum periodos orationis ex contrariis sententiis astringitur. apud Lucilium “si me nescire hoc nescis quod quaerere dico quare diuinas quicquam *aut quare* debes ipse et si scis q. b. e. scire hoc d. t.”.’ Deum Apollinis diuinandi artem ludere his uu. cum probabile sit, probabiliter libro I eos adscriptos esse a I. Beckero manifestum est (Philol. V 1850 p. 728). Poeta inducit deum enthymemata nouorum oratorum qui oratione sua aemuletur, ueluti C. Gracchi (ORF² p. 231 M): ‘Abesse non potest quin eiusdem hominis sit probos improbare qui improbos probet’, et (l. s. p. 238): ‘Quae uos cupide per hosce annos appetiistis atque uoluistis, ea si temere repudiaritis, abesse non potest quin aut olim cupide appetiisse aut nunc temere repudiasse dicamini’. Deus igitur ita fere struit enthymema suum: ‘Tu si nescis me hoc nescire, quod dico identidem me quaerere, quid tua tibi unquam profuit diuinatio? an tu ipse, quod ego me quaerere profiteor, id debes quaerere nec quicquam potes diuinare? Et si scis me hoc nescire, tum id quod bellum erit scire dare tempta siue profari’. Similem lusum in uerbi scire iteratione adhibuisse poetam adnotat schol. ad Pers. I 27: ‘usque adeone Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter’ (incert. u. 1345. 1346 lib. XXX u. 1033). Eundem quem deus Lucilianus per iocum serio aemulatus est oratorem Caluus orator (ORF² p. 477 M): ‘Factum ambitum scitis omnes et hoc uos scire omnes sciunt’: conf Soph. Phil. 253 *ὡς μηδὲν εἰδότ’ ἴσθι μ’ ὧν ἀνιστορεῖς*. — quod quaerere dico] me omissum, conf Dziatzko ad Ter. Adelph. 77. — 34. quare diuinas quicquam? *an tu* quaerere debes ipse?] Seru. Aen. I 20: ‘audierat] a Ioue aut a Fatis. non enim omnia numina habent diuinandi facultatem: denique ne ipse quidem Apollo sua sponte diuinat, ut est (Aen. III 251): “quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo praedixit”.’ conf Horat. serm. II 5, 60. — 35. quod bellum est scire] *quod bonum erit scire* Lachmannus. — hoc dare] i. e. hoc dicere, conf Non. 278, 33 Lucil. lib. XXVIII u. 758. *hoc dare tute* Lachmannus.

36. Donatus ad Terentii Andriam V 4, 38 ‘Nodum in scirpo quaeris. Scirpus palustris res est leuissima. Lucilius in primo

“nodum in scirpo *insano facere ulcus*”. est autem scirpus sine nodo et leuis iunci species’. Quo in uersu eos sequendos esse arbitror, qui cum Terentii prouerbium in Lucilii agnouerint uersu, *insane* restituerint, quoad constet de aduerbio *insano*. Quod aduerbium sollemne est in prouerbiis: Hor. serm. I 10, 34 ‘in siluam non ligna feras insanius’ Propert. I 9, 16 ‘insanus medio flumine quaeris aquam’. Prouerbium ipsum de quo conf Otto de prouerbiis p. R. p. 312. 313 praeter Lucilium et Terentium unde elegit Hieronymus (Luebeckius Hieronymus quos nouerit scriptores Lips. 1872 p. 112) exhibent Plautus Men. 247 Ennius sat. 70 V.

37. Donatus ad Terentii Eunuchum IV 5, 8 ‘Iam dudum, aetatem, pro longinquo tempore. Lucilius “ut ... aetatem”.’ Nonius p. 174, 26 ‘Scelerosi pro scelerati. Lucilius satyrarum lib. I “non tamen ... mirentur”.’ mensesque diesque] ut noctesque diesque apud Ennium annal. 334 V (Cic. de senect. 1: conf de fin. I 51). — 38. aetatem] id est per totam uitam, ut Plaut. Pseud. 514 ‘do Iouem testem tibi Te aetatem inpune habiturum’ Rud. 715 ‘neu te in carcerem compingi est aequom ⟨hodie⟩ aetatemque ibi Te usque habitare’: conf Lorenzius ad Pseudoli Sonnenscheinius ad Rud. u. s. s. Hom. δ 599 *σὺ δέ με χρόνον ἐνθάδ’ ἐρύκεις*. — Scelerosus] uocabulum in indice adiectiuorum in *osus* desinentium arch. lexic. Lat. V 1888 p. 222 omissum extat in commentario anquisitionis Varr. l. L. VI 92, in Terent. Eun. 643 in Afranii Diuortio 66 R: apud Plautum non uidetur extare. — Hos uersus corrupit Dousa, quem male secutus est Bouterwekius mus. Rhen. XXI 1866 p. 358. Neque enim cum Dousa putauerim *tempestatem* uocabulum significare *tempus* neque cum Corpeto *hominem scelerosum* intellexerim, sed quod proximum est, procellam et imbrem. Bene deinde se habet *ut mirentur*, nam portenta et prodigia a dis missa mirantur homines: ita Homerus ν 153

> Τὸν δ’ ἀπαμειβόμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς·
> ὦ πέπον, ὡς μὲν ἐμῷ θυμῷ δοκεῖ εἶναι ἄριστα,
> ὁππότε κεν δὴ πάντες ἐλαυνομένην προΐδωνται
> λαοὶ ἀπὸ πτόλιος, θεῖναι λίθον ἐγγύθι γαίης
> νηῒ θοῇ ἴκελον, ἵνα θαυμάζωσιν ἅπαντες
> ἄνθρωποι, μέγα δέ σφιν ὄρος πόλει ἀμφικαλύψαι.

Liu. II 62, 1 ‘Prohibuit foeda tempestas cum grandine ac tonitribus caelo deiecta. *Admirationem* deinde auxit signo receptui dato adeo tranquilla serenitas reddita, ut uelut numine aliquo defensa castra oppugnare iterum religio fuerit’ (conf XXVI 11, 3. Hor. ep. I 6, 1). Tempestates quanta religione inprimis suspexerint Romani, notum est ex Liuii annalibus (XXV 7, 7 XL 45, 2. 58, 3). Sine dubio dei sunt uerba, non poetae narrantis, ut *mirentur* praesens indicat: Iouem puto refelli a fratre Ne-

ptuno aut ab Apolline qui dicat Romanos multos quidem dies et menses, non tamen per totam uitam hanc tempestatem quam propter iniusta Lupi iudicia immissurus ille sit miraturos esse. Oportere insuper malum iudicem male perire, ut deorum iram clare cernant homines. Mittuntur enim a Ioue tempestates (Hom. M 253 *Π* 365 Hor. carm. I 2 inscriptio Notizie d. sc. 1891 p. 21 'Iouis Tempestati') atque poetam haec ita composuisse puto memorem Homeri *Π* 384 seqq. ubi de tempestate ob iudices improbos a Ioue irato immissa:

ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθών
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες

e. q. s. conf Callim. hymn. in Iou. 81. Plaut. Rud. prol. 15 Prellerus Robertus de Gr. mythol. I p. 150. Quae si recte conieci, aliquam tempestatem quae intra annum exeuntem 626/128 et uer anni 629/125 populum terruerat Romanum respexisse putandus est Lucilius atque interpretatus esse ea ratione qua Cic. ad Quint. fr. III 7 tempestatem anno 700/54 coortam scribens: 'Romae et maxime Appia ad Martis mira alluuies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae: magna uis aquae usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri: *ἤματ' ὀπωρινῷ . . . χαλεπήνῃ*. Cadit enim in absolutionem Gabinii: *οἳ βίῃ . . . ἀλέγοντες*'. Dicere poetam certam aliquam tempestatem efficitur cum inde, quod hoc si sumimus mirum quantum uiget satura, tum *hanc* pronomine apposito. Bene congruit quod Iulius Obsequens 29 (89) refert ad annum 628/126 M. Aemilio L. Aurelio coss.: 'Nocturna tempestate in Capitolio aliquot templa concussa sunt. Romae et circa fulmine pleraque deiecta sunt' (uide prolegg. p. XL). Itaque hoc anno concilium deorum habitum finxisse poetam colligo, in quo decreuerint et tempestate inmissa declarari oportere iram deorum in malum iudicem et ipsius morte satiari. Mors Lupi prodigiosa fit sicut Romuli tempestate eodem tempore coorta, sicuti auctor consolationis ad Liuiam u. 401 seqq. narrat de morte Drusi:

Iuppiter ante dedit fati mala signa cruenti
Flammifera petiit cum tria templa manu,
Iunonisque gradus notae impauidaeque Mineruae
Sanctaque et immensi Caesaris icta manus:
Sidera quin etiam caelo fugisse feruntur . . .

Sine dubio huius dei sententia uicit postremo, qui Lupum occidendum esse censuerit. Neque uero iambicus eius obitum tanquillum

aut serenum fecisse putandus est: sed eo fato hercle morientem induxit Lupum quo nullum potuit esse uel turpius uel festiuius: qua de re egimus ad u. 54.

40. Iulius Rufinianus de figuris sentent. et elocut. 26 RL p. 45, 6 H 'Epagoge. fit haec ex rerum similium collatione uel argumentorum, salua tamen similitudine. rerum . . . argumentorum autem, ut *Lucius* (I. Dousa *Lucilius*) "nam si . . . prius *haematium* uentum inquam tollas t. c. q. i. l.".' Versus, cum aperte dei sint oratoris, libro primo recte adscripsit I. Beckerus Philol. V 1850 p. 734: non recte L. Muellerus comparato Propert. II 32, 49 'tu prius et fluctus poteris siccare marinos' descriptionem *τοῦ ἀδυνάτου* fieri hoc loco statuit. Immo est *ἐπαγωγή* teste rhetore similitudine inducta illa quae clarissima in ueterum fuerit litteris. Solo primus (fragm. 12 B ap. Plut. Sol. 3) *ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται· ἢν δέ τις αὐτήν μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη* ubi Bergkius adnotat Herod. VII 16 *σὲ . . . ἀνθρώπων κακῶν ὁμιλίαι σφάλλουσι, κατάπερ τὴν πάντων χρησιμωτάτην ἀνθρώποισι θάλασσαν πνεύματά φασιν ἀνέμων ἐμπίπτοντα οὐ περιορᾶν φύσι τῇ ἑωυτῆς χρῆσθαι.* Polyb. XI 29, 9 *ὅθεν αἰεὶ τὸ παραπλήσιον πάθος συμβαίνει περί τε τοὺς ὄχλους καὶ τὴν θάλατταν. καθάπερ γὰρ κἀκείνης ἡ μὲν ἰδία φύσις ἐστὶν ἀβλαβὴς τοῖς χρωμένοις καὶ στάσιμος, ὅταν δὲ εἰς αὐτὴν ἐμπέσῃ τὰ πνεύματα βίᾳ, τοιαύτη φαίνεται τοῖς χρωμένοις, οἷοί τινες ἂν ὦσιν οἱ κυκλοῦντες αὐτὴν ἄνεμοι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ πλῆθος ἀεὶ καὶ φαίνεται καὶ γίνεται πρὸς τοὺς χρωμένους οἵους ἂν ἔχῃ προστάτας καί συμβούλους* (= XXI 31, 9 Hultschii Liu. XXXVIII 10, 5 XXVIII 27, 11). Idem extat simile Dionys. Hal. arch. excerpt. XVII 12 Demosth. de fals. leg. 136 p. 383 R Appian. b. c. III 20 extr. Cic. Cluent. 138 Dio Prus. XXXII 23 I p. 273 Arn. Similitudinem quam uulgatam appellat Liuius XXXVIII 10, 5 in apologi formam redegerunt ueteres ueluti Babrius 71. Excusat igitur deus populum Romanum antea tranquillum, nunc seditionibus turbatum, 'postquam flare *Lupus lupique congerrones* coepissent', ut similiter Liuius XXXVIII 10, 5 scripsit Polybii uertens illa XXI 31, 13 *ἐπεὶ δ' ἀπὸ μὲν τῆς Ἀσίας πνεύσαντες Θόας καὶ Δικαίαρχος, ἀπὸ δὲ τῆς Εὐρώπης Μενεστᾶς καὶ Δαμόκριτος συνετάραξαν τοὺς ὄχλους . . . τότε δὴ κακῶς φρονοῦντες . . . ἐγένοντο αὐτοῖς αἴτιοι κακῶν.* Neque alio modo apud Lucilium statuendum est deum simile exsecutum esse quam Scipio apud Liuium XXVIII 29, 7 'auctores seditionis (quos uentis comparauerat 27, 11) sanguine luent'. —

41. tollere] fluctus non eodem sensu dictum esse apparet quo Hor. carm. I 3, 16 'tollere seu ponere uolt freta' Iuuen. I 82 'nimbis tollentibus aequor', sed cum adpositum sit e gurgite salso idem significat atque lib. XXIX u. 807. 808. Cic. de am. 47 'solem e mundo tollere', id est amouere. — uenti . . . Emathii

uim] cum dicat poeta, deos in Olympo monte concilium habere docet, *ὅτι Μακεδονικὸς Ὄλυμπος θεῶν οἰκητήριον· ἡ γὰρ Πιερία τούτου ἀκρώρεια καὶ Ἠμαθία τὸ πρότερον ἡ Μακεδονία ἐκαλεῖτο* schol. Venet. *A* ad Hom. Ξ 226. *Ἠμάθιος* adiectiuum metro coacti Graeci poetae aetatis Lucilii usurpare solebant ueluti Nicander Georgicis 74, 12 Schn. *Μίδης ἅπερ . . . ἐν κλήροισιν ἀνέτρεφεν Ἠμαθίοισιν* Alcaeus Messenius ap. Plut. Tit. 9, 2. — 42. uentum inquam tollas] schemata loquitur deus et auctor turbarum i. e. Lupus ut tollatur ex urbe iterum iterumque sibi hortandum esse ostentat hac epanalempsi. — tum c. q. i. l.] uersum in fine laborantem qui explere conati sunt, uix profecisse uidentur: quod I. Beckerus l. s. s. proposuit 'tu culpam quam illiu' laxes' L. Muellerus 'tu crimina quam ista leuabis', utrumque caret sensu: ego temptaui 'tum cedet quae ira lacunis'.

43. Isidorus de differentiis uerborum lib. I §: 589 uol. V p. 74 Areu. (V p. 68 in patrolog. Lat. uol. 83 Mignei Sueton p. 295, 10 adn. Reiffersch.): 'Facies est naturalis oris habitus immutabilis, uultus uero pro rerum ac temporum qualitate uarius et mutabilis . . . itaque Lucilius haec quasi distinguens ait: "Quae . . . uiro".' Satis probabiliter hoc loco hanc interrogationem posuit primus ni fallor Lucianus Muellerus. Responsum alterius dei continetur u. 44. — uiro] Aliter Enn. annal. 285 V. 'densantur campis horrentia tela uirorum' Lucr. V 622 'Democriti quod sancta uiri sententia ponit', ubi idem est atque uir fortis (Hor. serm. I 4, 2. 10, 16). Lucilius datiuum *ei* dum uitat passim posuit *homini uiro* sicuti hoc loco fecit: conf indic. uerborum s. u. *homo* et *uir*.

44. Nonius p. 426, 33 'Vultus et facies hoc distant . . . Lucilius satyrarum lib. I "uultus item ut facies mors *citer* morbus uenenum".' Respondet deo deus quaerenti qua sit facie et quo uultu Lupus ille eumque describit ut senem decrepitum et laruam, qui morbus, mors, uenenum iure appelletur: (conf interpr. ad Hor. serm. I 7, 1): Martial. XI 92, 2 'non uitiosus homo es Zoile, sed uitium'. Plato comicus CAF I p. 652, 185 K *βόσκει δυσώδη Κέφαλον, αἰσχίστην νόσον* quem uersum ad Eurip. Or. 10 esse confictum adnotant editores. 'Teter morbus' quod proposuit Passeratius confirmes Catull. 76, 25 'tetrum hunc deponere morbum': *cetera* scripsi, eadem corruptela ap. Nonium p. 162, 23 ubi pro 'in cetero cultu' traditur 'inciter occultu'; de uerborum collocatione conf indicem grammaticum s. u. collocatio uerborum et incert. u. 1228.

45. Nonius p. 262, 8 'Confidentia rursum temeritas, audacia. Pacuuius in Atalanta (48 R) "gradere atque atrocem coerce confidentiam" † idem lib. X "inprobus, confidens nequam, malus ⟨*ut*⟩ uideatur".' Lucilii uersum lacuna periisse adnotat Mercerus:

fuisse uersum aut e libro I quod probabilius esse arbitror aut e libro II declarat ordo expositus in tabula prolegg. p. XCV.

46. Charisius GL I p. 98, 3 K (GL VII p. 294, 22 K) 'Vultur dixit Vergilius in VI, sed et uulturius Lucilius in I.' Lupum uulturium dici admodum probabile est. Iudices auro corruptos dicit uulturios togatos Apuleius met. X 33 et sicuti Piso teste Cicerone in Pis. 38 'appellatus est . . . uulturius illius prouinciae', ita potuit Lupus merito appellari, qui consularis repetundarum crimine oppressus est auctore Valer. Max. VI 9, 10. Sed omnium probabilissimum est de cibi auiditate et uoracitate uocabulum esse intellegendum sicuti apud Plautum Capt. 844 Ergasilum edacem uulturium appellat rex eius: conf Brixius ad Trin. 100.

47. Scholion aut e commentario in Lucilii lib. I patet esse sumptum aut e libro I ipso: conf prolegg. p. XXXVI.

48. Diomedes GL I p. 486, 11 K 'alii autem dictam putant a lege satura, quae uno rogatu multa simul conprehendat, quod scilicet et satura carmine multa simul poemata conprehenduntur. cuius saturae legis Lucilius meminit in primo "per satyram . . . legibus soluat".' (Conf prolegg. p. XV). Ex eodem auctore glossas Graecolatinas CGL II p. 179 a 9: 'satura *νόμος πολλὰ περιέχων*' 376, 67 '*νόμος πολλὰ περιέχων* lex per saturam' sumptas esse quo Diomedes l. s. s. utitur apparet. Eundem adhibuit Festus p. 314: 'Satura . . . et lex *mul*tis aliis legibus conferta' qui haec uerba ex oratione T. Anni Lusci habita anno 621/133 (Meyeri ORF edit. alt. p. 162) exemplo adfert: 'Imperium quod plebes per saturam dederat id abrogatum est': quae Festus deinde adtulit C. Laelii uerba *ex ea oratione quam pro se dixit* quae quo anno habita sit ignoratur, ea periere a librario omissa una cum nomine Sallustii: huius enim uerba et apud Diomedem l. s. s. et apud Festum exemplo adferuntur Iug. 29, 5: 'dein postero die quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur.' Et in Lusci oratione et in Lucilii uersu *per saturam* non iam significat *lege in saturam lata* (CIL I 198, 72) sed usurpatur ea locutio in plebiscitis temere et inconsiderate factis ut apparet: nam apud Lucilium intellegi non posse quomodo aedilis aliquis fiat a populo per legem saturam iure adnotat Mommsenus de iure p. R. III 1 (1887) p. 336, 5: neque tamen coniunxerim *per saturam* cum *soluat*, qua coniunctione *factum* tantum non foras expellitur. Sallustius l. s. s. hanc locutionem ueteres scriptores secutus item adhibuit aduerbii loco, sententias temere et festinanter dictas cum indicaret. Cuius auctoritatem multi in hac re sunt secuti ueluti auctor panegyrici anni 311 (VIII cap. 11) 'neque enim *quasi per saturam* confundenda sunt tanta beneficia', Charis. p. 194, 21 '*omnia quasi collata per saturam*', Ammian. XVI 6, 3 '*tamquam per saturam*', Digest. praef. II (Omnem

reip.) 1 *quasi per saturam collectum:* qui omnes *quasi* uel *tamquam* addiderunt sicut Sallustius fecerat. Nam ad Sallustii usum non pertinet quod scripsit Pescennius Festus teste Lactantio instit. I 21, 13 *ποικίλην ἱστορίαν* quam nominauit *libros historiarum per saturam* (conf prolegg. p. XIV); more antiquo Fronto p. 212 extr. N. 'ut ea quae per saturam feruntur'. *Aedilem factum* a populo dicit Lucilius, i. e. creatum, sicuti in parietibus Pompeianis legitur CIL IV 61 alibi *M. Marium aed(ilem) faci(atis).* Verba *qui legibus soluat* uidentur pertinere ad senatum cuius princeps hac satura laeditur. Senatum legibus potuisse soluere sat constat illo tempore: conf Cic. de imp. Cn. Pomp. 62 auctor ad Her. III 2, 2 med. '*ut si deliberet senatus soluatne legibus Scipionem . . .*' Ascon. p. 51, 2 K. Sch. '*C. Cornelius* (anno 687/67) . . . *promulgauit . . . legem . . , ne qui nisi per populum legibus solueretur. Quod antiquo quoque iure erat cautum: itaque in omnibus S. C., quibus aliquem legibus solui placebat, adici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paullatim ferri erat desitum*' *e. q. s.* (Mommsenus ephem. epigr. VIII 1899 p. 248 de iure p. R. III 1 (1887) p. 337); Liu. per. 50 '*P. Scipio Aemilianus cum aedilitatem peteret consul a populo dictus. Quoniam per annos consuli fieri non licebat, cum magno certamine suffragantibus plebeis et repugnantibus ei aliquamdiu patribus legibus solutus et consul creatus:* Appian. Iber. 84. Cic. de rep. III 22, 33. Vituperat igitur deus senatum 'per saturam aedilem factum qui legibus soluat'. Agitur de homine quodam populari qui eo anno quo scriptus est liber I cum antea turbulenta et uitiosa ratione aedilis factus esset, antequam praetura sit functus legitime, legibus solutus est a senatu, quo magis consulatum adipisceretur aedilicius: (conf Mommsenus de iure p. R. I (1887) p. 539): similiter Cic. Philipp. XI 5, 11 'alter Caesar Vopiscus ille summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit, soluatur legibus' (Ascon. p. 22, 13 K. Sch.). Quis fuerit consul ille, propter quem poeta senatum carpsit, nescio.

49. Nonius p. 159, 24 'Priua significat singula. Lucilius satyrarum lib. I "ad caenam . . . *isce addominat hymni* . . . dabo".' Idem p. 35, 21 'Priuum est proprium unius cuiusque . . . idem "abdomina *tunni* priua dabo".' Gellius X 20, 4 'quia ueteres priua dixerunt quae nos singula dicimus; quo uerbo Lucilius in primo satirarum libro usus est, "abdomina *thynni* . . . *acarne*".' Multis ferculis cenam parari patet ex uocabulo *primum*, quod gustationem significat: conf Martial. X 48, 12: 'Et madidum *thynni* de sale *sumen* erit. Gustus in his: una ponetur cenula mensa' e. q. s. Abdomina thunni dicunt Graeci *ὑπογάστρια θύννου*: conf Athen. VII p. 302 D Plin. nat. hist. IX 48: et potuit Martialis l. s. s. iure suo abdomina thynni dicere thynni sumen ea de

causa, quod teste Athenaeo l. s. *οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις λέγων ὗς εἶναι θαλαττίους τοὺς θύννους.* —

50. *aduenientibus* quid sit intellegas comparatis Diphili uersibus (fragm. 17 II p. 545 Kock):

τῆς τέχνης
ἡγεμονία τίς ἐστιν αὐτῆς, ὦ πάτερ,
τὸ τῶν ἐδομένων τὰ στόματα προειδέναι.
οἷον Ῥοδίους κέκληκας· εἰσιοῦσι δὸς
εὐθὺς ἀπὸ θερμοῦ τὴν μεγάλην αὐτοῖς σπάσαι
ἀποζέσας σίλουρον ἢ λεβίαν, ἐφ' ᾧ
χαριεῖ πολὺ μᾶλλον ἢ μυρίνην προσεγχέας:

quo loco *iura siluri* (conf u. 54) aduenientibus ut dentur lex ponitur conuiualis. Similiter *εἰσιοῦσι* Aristoph. Plut. 762, simili denique, non eadem ui *aduenientibus* uocabulum usurpauit Plautus de peregre aduenientibus quibus cena dari promitti solebat: Amphitr. 665, 'quia domi daturus nemo est prandium aduenientibus' Stich. 512 'et magis par fuerat me uobis dare cenam aduenientibus' Poen. 1151 'patruo aduenienti cena curetur uolo'. — priua dabo] Hor. serm. II 5, 10 'turdus Siue aliud *priuum dabitur* tibi', quo loco scholiasta anonymus attulit Plauti uersus (fragm. XXIX Leo): 'Cilix, Lycisce, Sosio, Stiche, Parmeno Exite et ferte fustes priuos in manu', unde priuatus priuiclos (Fest. p. 205). Sed abdomina priua non esse uidentur tamquam singula, quae unicuique dentur conuiuarum, sed potius abdomina in partes dissecta: conf Alciphr. III 5, 2 *δεῖπνόν τε ἡμῖν ηὐτρέπισται γεννικόν, ἰχθῦς τεμαχῖται καὶ σταμνία τοῦ Μενδησίου νέκταρος.* — dabo, de cena ut lib. XIII u. 440. — cephalaea acharnae Latine dixerat Ennius heduphageticis: 'polypus Corcyrae, caluaria pinguia acarnae, Purpura, muriculi, mures, dulces quoque echini', quibus in uu. (p. 220 V) uerbum substantiuum est omissum: dicit enim poeta: polypus pinguis est Corcyrae, ibidem itidem caluaria acarnae pinguia, . . . dulces quoque sunt echini. Archestratus quem uterque imitatus est poeta scripserat *κεφάλαια τ' ἀχάρνης* sicuti Sotades CAF II p. 448, 5 K *γλαύκου φέρω κεφάλαια παμμεγέθη δύο* Amphis l. s. p. 247, 35 *γλαυκινιδίου κεφάλαια καὶ λαβρακίου τεμάχια* (Archedicus l. s. III p. 277, 3, 2 schol. Aristoph. Vesp. 968): piscem commemorant Aristot. hist. an. Θ 19 p. 602 a 12; 2 p. 591 b 1 ubi *ἀχάρνας*, Hesychius s. u. ubi *ἀχάρνα*, Plin. nat. hist. XXXII 145 *acharne* ubi dicitur; Callias CAF I p. 694, 3 K *θύννου τε κεφάλαιον τοδί, ἐγχέλεια, κάραβοι, λινεύς, ἄχαρνος οὑτοσί.* *Κεφάλαια* esse capitis particulas piscium gratissimas apparet aliaque id genus cenandi irritamenta in uersibus sequentibus a poeta enumerata esse consentaneum est. Duos hos uersus quia fuerunt libri I quo deorum concilium continetur sine dubio

deus profatur. Caue deo indignos putes: non putabis, si similia quae admiserint Lucianus et Seneca et praecipue Epicharmus, qui in comoediis deos saepissime induxit de eduliis uociferantes consideraueris. Sunt uidelicet uerba dei, fortasse propter piscium mentionem Neptuni exponentis in concilio quid audierit Lupum gloriantem de cena opima, quam helluo conuiuis mox daturus sit. Etenim apud ueteres Neptunus audit 'pistricum dominus atque maenarum, — réx salsorum gúrgitum et tremebúndi motatór soli' (Arnob. III 31 p. 133, 1 Reiff.: qui uidetur uersus esse poetae alicuius neoterici): Philem. CAF II p. 500, 22 K *ὃν τοῖς θεοῖς φέρει Ποσειδῶν γόγγρον εἰς τὸν οὐρανόν*, Lucian. Iou. trag. 25 *Ἄπαγε, θυννῶδες τὸ ἐνθύμημα ὦ Πόσειδον κτλ.* Vide quae diximus ad u. 54.

51. Nonius p. 500, 17 'Ablatiuus pro genetiuo . . . Lucilius satyrarum lib. I "porro *quaccumque et* cuicumque ut diximus ante obstiterit primo hoc *minuendi* refert *res*" idem lib. VI (u. 237) "et id solum aduersae fortunae reque resistit"' (*ubi* re *L m. 1*, rei *reliqui*). Apparet grammaticum in duobus Lucilii fragmentis formam *re* (qua de conf Georgesii formarum lexicologum s. u. *res* CIL I 1² p. 193 XIII 18 're militaris peritissimus') cum sit datiuus utrobique, inepte et ablatiuum et genetiuum appellare: quam formam restitui par est exitu uersus uerbo *re[s]* ita ut feci soletque uulgo fieri mutato. Gerundiui formam *minuendi* nolui seruare unico exemplo Plauti Capt. u. 1008 'lucis das tuendi copiam' fretus (Leo Plaut. Forsch. p. 328): neque enim deesse aut adiectiuum genetiuo ut *gnarus* (Plaut. Asin. 855 si huius rei me mendacem inueneris) neque ablatiuum ueluti *more* arbitratus sum neque genetiuum esse finalem cuius de origine multum laborarunt interpretes Ter. Adelph. 270 sed esse supplendum datiuo *intentus* uel *natus* adiectiuum: conf Plaut. Pers. 428 'referundae ego habeo linguam natam gratiae' Rud. 1374 'iusiurandum rei seruandae non perdendae conditum est' (Draegeri syntax. hist. l. L. II² p. 836). Verba 'cuicumque ut diximus ante obstiterit primo' sana esse quouis pignore contendas: hemistichium *ut diximus ante* mutarunt Lucretius I 907 'paulo quod diximus ante', idem 846 'supra quos diximus ante' et Cicero Arat. 120 Baehr. 'quos diximus ante'. De *obstiterit* conf Plaut. Capt. 791 'eminor interminorque nequis mi obstiterit obuiam . . . nam qui obstiterit ore sistet' Amphitr. 985 'nec quisquam tam audax fuat homo qui obuiam obsistat mihi'. Priore uersu 'quaecumque et' non posse tolerari Lachmannus intellexit: qui quod posuit 'quaecumque est', id probaremus, si sequentibus sensum et lucem adferret uerbis. Nos uersum ad Iuu. VI 411 'subsidere terras, quocumque in triuio, cuicumque est obuia, narrat' restituere conati sumus ponentes 'quacumque it': conf Hor. serm. I 6, 31

'eat quacumque' Cic. Philipp. X 6, 12 'quacumque iret' Naeuius Lycurgo 'quaque incedunt omnis aruas opterunt' (TRF³ p. 10 R) Lucr. I 508 'qua porro cumque tenet se Corpus, ea uacuum nequaquam constat inane' similia. Dixit igitur poeta de homine curioso: 'porro quacumque it, cuicumque primo obstiterit, hoc refert minuendae rei intentus'. Lupum scilicet prodigum rei familiaris omnibus obuenientibus narrare solere quid cocus opsonarit deus increpat.

53. Nonius p. 117, 22 'Gangrena est cancer. *Lucretius* (olim impressi *Lucilius*) satyrarum lib. I "serpere uti gangrena malo atque (*ad quem* Leidensis) herpestica posset".' *Ad quem* Leidensis: quod quomodo seruari possit non uideo. Certe *serpere* uerbum hanc lectionem non commendat: deteriorum codd duo recte *atque* sed ex librarii coniectura. Nomina morborum Graeca ut incert. u. 923 adhibent Latini quia medici erant Graeci: codd recte *gangrena* ut *Murena*, Graeci *γάγγραινα*. De cancro serpente Cels. V 26, 31 Ouid. metam. II 825 'utque malum late solet immedicabile cancer serpere' alii. *Malo* ablatiuus est: serpere posse cancrum malo nutritum dicit poeta. Vox *herpestica* id est quae serpit *νόσος* alibi non extat sed dicunt medici Graeci *ἑρπηστικὸν ἕλκος*: Poll. IV 206 *ἑρπηστικὸν ἕλκος ἐνοχλεῖ μὲν πρεσβυτῶν κνήμαις καὶ ποσίν* Cels. l. s. s. 'Modo oritur ea quam Graeci *γάγγραιναν* appellant. Priora in qualibet parte corporis fiunt, hoc in prominentibus membris . . . fereque in senibus': adde duo Varronis fragmenta Nonii l. s. s. seruata. Quibus locis cum de senum morbo agatur, ad Lupi exitum uersum spectare arbitror.

54. Varro de lingua Latina libro VII 47 'Apud Lucilium . . . et "occidunt *lupes aper dete* et iura siluri" . . . piscium nomina sunt, eorumque in Graecia origo." Hunc uersum ad libros XXI priores maiore iure referes, quam ad reliquos raro a scriptoribus adhibitos: inter priores libros ueri simillime ad primum. Etenim in reliquis libris corporis prioris num Lupum mortuum insectatus sit poeta, incertum est: atque quod his ipsis uerbis de Lupo intereunte salsamentis deuoratis agitur, mire congruit cum libro primo ubi de eius interitu deliberant di et de apponendis salsamentis uerba fieri uidimus uu. 49. 50. Neque enim *occidunt te* potest esse idem atque *tuam rem familiarem perdunt*, quia et saperda et silurus uilissimus piscis est, neque *te enecant molesti*. Sine dubio lusit eum poeta ut *ὀψοφάγον*, qui moriatur piscibus comesis multis sicut apud Athen. VIII p. 341 B Machon comicus Philoxenum inducit morientem polypo ingenti deuorato, alius *ἰχθυοφάγος* piscem comedens decessisse traditur ibidem p. 345 C. Conf Luc. dialog. mort. 7. Stob. flor. 98, 9, 27 *Πουλύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν.* Val. Max. III 5, 3 'Clodius Pulcher . . . mortis erubescendo genere

consumptus est: auide enim abdomine deuorato . . . spiritum reddidit'. — Lege Licinia de modo salsamentorum statutum erat, ne amplius daretur apponeretur salsamentorum pondo libra (Macrob. Sat. III 17, 9): multum enim tum *ὀψοφαγία* grassabatur. Ceterum de interitu talis *ὀψοφάγου* scripsit parodiam Hipponax frg. 85 B Corp. poes. lud. I p. 35 Brandtii. Saperda, *κορακῖνος* ex Ponto (Pers. V 134), 'genus pessimi piscis' (Festus p. 324 M) contemnitur ab Archestrato apud Athen. III p. 117 A neque magni fit ab Amphide l. s. VII p. 309 A (conf p. 308 F). Silurus puter (Iuu. XIV 132), *σαπρός* (Diod. com. ap. Athen. VI p. 239 E Sopater l. s. p. 230 E) piscis uilis, de quo conf Plin. nat. hist. XXXII 94 'Aluum emollit *silurus e iure* et torpedo in cibo. Et olus marinum simile satiuo, stomacho inimicum, aluum facillime purgat, sed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur, et omnium piscium ius'. Itaque sicuti cephalaea acharnae et abdomina tunni haec salsamenta in cena Lupi data fuisse probabile est sicuti *εἰσιοῦσι* iura siluri praebentur in uu. Diphili supra ad uu. 49. 50 adscriptis. Dici puto hunc uersum a deo aliquo, qui Lupum uideat animam efflantem mortes multas enumerans, quas mortales oppetant ioco fortasse simili adhibito Horatiani serm. I 9, 31

'Hunc neque dira uenena nec hosticus auferet ensis,
nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra,
garrulus hunc quando consumet cumque.'

Conf Semonid. ap. Stob. flor. 98, 16 Sotadica l. s. 9, inprimis Lucian. Iou. trag. 25 *ΖΕΥΣ. Παίζεις, ὦ Πόσειδον ἢ τέλεον ἐπιλέλησαι ὡς οὐδὲν ἐφ' ἡμῖν τῶν τοιούτων ἐστίν, ἀλλ' αἱ μοῖραι ἑκάστῳ ἐπικλώθουσι, τὸν μὲν κεραυνῷ, τὸν δὲ πυρετῷ ἢ φθόῃ ἀποθανεῖν.* Postremo quod supra dixi (ad u. 24) poetam sine dubio multum in Lupi nomen lusisse in hunc uersum aperte cadit. Lupus enim piscis fuit Lucilii tempore (conf incert. u. 1176) nobilissimus et pretiosus et grandis: quem cum clamitet a uilibus et pusillis saperdis occidi lepide ancipiti significatione uerborum iocatur. Quid festiuius denique quam uoracitate sua Lupum perire? *καὶ τρώγεις ὅσα πέντε λύκοι* Lucillus AP XI 207, 'hereditatem inhiat quasi esuriens lupus' Plaut. Stich. 605. Atque poterat Lucilius idem praedicare lectoribus suis quod spectatoribus Plautus Poenulo 91. 92: 'Vosmet nunc facite coniecturam ceterum Quid id sit hominis quoi Lyco nomen siet'.

II.

55. Interpres Veronensis Vergilii ad Aen. II 81 p. 418, 3 H '. . . et Pacuuius in Teucro (TRF^3 p. 135 IV R) "Nihilne a Troia adportat fando?" Lucilius in II "fandam adque . . . iterabimus ⟨*famam*". *itaque hic*⟩ patiendi uim non agendi habet: supra uero, "quis talia fando Myrmidonum", actiuo modo enuntiauit.' fandam] praeibat datiuus *multis* uel *omnibus*. Ennius (TRF^3 p. 23 VI 5 R): 'Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.' iterabimus] narrabimus. Ita Ouid. a. a. I 681 'fabula nota quidem, sed non indigna referri'; Hor. serm. I 7, 1 'Rupili pus atque uenenum . . . quo pacto sit Persius ultus, opinor omnibus et lippis notum et tonsoribus esse'. Albucii et Mucii altercationem apud iudices hoc libro narratam fuisse exposuimus prolegg. p. XLI seqq.: liber II sicuti I et III unam tantummodo continuisse uidetur saturam.

56. Donatus ad Ter. Phorm. I 2, 73 '"Qui illum di omnes perduint". "Qui" utinam est ut Lucilius in secundo: "*qui* te montane malum *ad* cetera pergit".' Versus exitum esse saluum salui produnt numeri et haec exempla: Cic. ad Att. IV 16, 2 'Nunc pergam ad cetera'. Brut. 158 'Pergamus ergo, inquam, ad reliqua' de legg. II 69 'sed perge cetera'. pro Flacc. 17, 41 'Sed . . . nos, ut instituimus ad reliqua pergamus'. Vocatiuum *montane* quo uocabulo utitur poeta incert. u. 1246 noli mutare: significat enim rusticum et agrestem uel *βεκκεσέληνον* (Caes. b. c. I 57, 3 'homines asperi et montani et exercitati in armis') et adhibitum id fuisse in conuicio ideo probabile est, quod postea factum est cognomen gentium complurium. Neque *malum* equidem mutarim: solet hoc uocabulum in imprecationibus et maledictis adhiberi ueluti Cic. de off. II 53 'quae te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit? in Verr. act. II lib. I 54 'quae, malum, est ista tanta audacia': sed hoc loco cum *te* coniungendum erit. Versum simili qua Baehrensius fecit ratione suppleuimus neque tamen deest uerbum finitum: nam solet id uerbum in eiusmodi imprecationibus omitti (Draegerus syntax. l. L. hist. I^2 p. 199) ut Cic. ad Att. IV 7, 1 'De Apollonio quod scribis, qui illi di irati'. X 15, 4 'Sed di istos'. Lucilius ipse lib. VI u. 240 'qui te bonus Iuppiter, inquit'. '⟨Atque⟩ ad cetera pergit' uerba sunt poetae, qui narrat oratorem, in orationis cursu conuicio aduersarii cum fuerit turbatus, nihil dixisse nisi 'qui ⟨*di*⟩ te, montane, malum', atque ad cetera perrexisse. Nomentanum Horatii in hoc uersu multos frustra quaesisse diximus ad u. 69. Verba uidentur esse Albucii.

57. Nonius p. 291, 30 'Elidere etiam excludere significat . . . Lucilius satyrarum lib. II "*iniuriatum* . . . illi".' 'Oculos elidere'

cum Plautus dixerit Rud. 659 idem 'talos elidere' Mil. 167, Lucilius posuit primus ut uidetur 'animam elidere': secutus est Ouidius metam. XII 503 'uiuacemque animam missis elidite siluis' Apul. met. IX 38 . . . 'latro . . . miserrimum iuuenem . . . inuadit . . . resistens iuuenis . . . multis et crebris ictibus inpuram elidit diuitis animam' quos locos L. Muellerus attulit. Similiter spiritum elidere Celsus de med. V 28, 1 de ulcere 'si circa stomachum faucesue incidit, subito spiritum saepe elidit' et auctor Aetnae 561 'his uiribus additur ingens spiritus adstrictis elisus faucibus'. De *inpuratus* uide ad u. 66. Versus accusatoris sunt qui *hunc* pronomine Mucium appellarit: oratio obliqua indicat referre accusatorem quae alii sibi narrauerint rei scelera. Similia scelera parum credibilia de Pisone refert Cic. in Pis. 34, 83 seqq. Contumeliosum admodum fuisse Albucium in aduersarios tradit Cicero de nat. deor. I 93.

59. Nonius ex grammatico p. 37, 14 'Monogrammi dicti sunt homines macie pertenues ac decolores: tractum a pictura, quae prius quam coloribus corporatur umbra fingitur. Lucilius lib. II "uix . . . monogrammo".' Agitur de homine macilento: conf Lucret. IV 1166 'ischnon eromenion tum fit cum uiuere non quit prae macie'. Ouid. a. a. II 660 'sit gracilis, macie quae male uiua sua est': tres hos locos contulit P. Burmannus ad Ouidii et Dousa ad Lucilii l. s. Monogrammos adiectiuum solus praeter Lucilium Cicero adhibuit de nat. deor. II 59 'quae uerens Epicurus monogrammos deos et nihil agentis commentus est'. Quos deos accuratius descripsit Posidonius apud Cic. de nat. deor. I 123 . . . 'neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculi similem deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido . . . exilem quendam atque perlucidum'. Potest coniungi hoc fragmentum cum uersibus antecedentibus.

60. Nonius p. 4, 21 'Capulum dicitur quicquid aliam rem intra se capit: nam sarcofagum, id est sepulchrum, capulum dici ueteres uolunt, quod corpora capiat . . . Lucilius satyrarum lib. II "*quem illi cum* uidissent . . . cubare".' Archetypus Nonii glossam habuit *cum* superscriptam sicuti *meret* u. 10 quam recte expulit Baehrensius, cum *quom* L. Muellerus restituerit. — aliumque cubare] cubare uocabulum ex cottidiano arripuit sermone Lucilius ueluti inscriptiones sepulcrorum Faliscae (Zuetaieffius Inscr. Ital. Inf. Dial. 66) 'heic cubat, he cupat' similia exhibent: 'Q. Brutius . . . mercator . . . heic cubat' Notizie d. sc. 1902 p. 54. Qualem hoc loco historiam narrauerit ex his duobus uersibus licet diuinare: erat similis Milesiae illius quae narratur de matrona Ephesia (Petron. 111. 112). Homo quidam obrutus aere alieno et criminibus cum effugere cuperet aut tristes Kalendas aut iudicem imminentem, persuadet familiae ut mortuum sese esse palam

pronuntient, dum ipse capite obuoluto profugit ueste et nomine mutato. Quo magis id credatur uerum esse, alium hominem mortuum exornant et in lecto collocant quasi sit pater familias. Fletur, cantatur nenia, corpus effertur et in capulo conditur. Interim rumor it fraudem esse factam a propinquis: subditicium et falsum funus esse factum. Res defertur ad magistratum: qui Hortensio cuidam et Postumio ut de hac re arbitris adhibitis quaeratur imperat. Qui cum capulum effodi iussissent, effossum recludunt: arbitri qui profugum illum bene norant fraudem factam esse agnoscunt. Agi aut de homine humili loco nato et paupere aut de re extra Italiam gesta inde patet, quod corpus eius non combustum sed sepultum esse refertur (Marquardtius Mauius de uita priu. p. R. p. 376).

62. Nonius p. 102, 7 'Excantare significat excludere. Plautus Bacchidibus (34) "nam, credo, cuiuis excantare cor potest". Lucilius satyrarum lib. II "quae ego *nunc Aemilio* . . . excanto". Varro Eumenidibus (151 B) "ubi uident se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt".' Orator monuit iudices, ut attente audiant ea, quae sese dicit occentaturum testi praesenti Aemilio atque ea quae ut debita responsa exacturum e testi (Cic. de legg. I 1, 4) et excantaturum esse se pollicetur. Itaque Lucilius excantare usurpat hoc loco de dictis quae ex ore testis extrahantur ut aes debitum cum Varro l. s. et Propert. III 3, 49 'ut per te clausas sciat excantare puellas' uerbum adhibeat de personis qui emoueantur e loco quodam. Et praecantat et excantat orator, quia testem ut inuicem respondeat uerbis suis commouere potest tamquam cantu magico. De praecanto uerbo uersus fine discisso conf indic. gramm. s. u. tmesis.

64. Nonius p. 261, 26 'Circumferre est proprie lustrare. Lucilius satyrarum lib. II "tum *facto omnia sunt* circumlatus". Plautus in Amfitryone (775) "iube istam pro cerrita circumferri". Vergilius lib. VI (229) 'idem ter socios pura circumtulit unda".' Quo loco adnotat Seruius: 'circumtulit] purgauit. Antiquum uerbum est. Plautus "pro laruato te circumferam", id est purgabo.' Quattuor his locis ubi uocabulum *circumferre* inuentum est, homines, non res lustratos esse traditur: quare recte codd in u. Lucilii *circumlatus*, cum *sunt* corruptum sit: accedit u. 65 'lustratus piatus' qui ita ut iudicemus nos compellit. *Facta omnia*, scripsimus: similiter iam Beckerum uideo Philol. V 1850 p. 735 scripsisse, cum uu. 64. 65 in unum male confunderet 'facta Tum omnia, sum circumlatus, lustratus piatus'. Verbum substantiuum omissum est ut saepe: lib. XI u. 424 'et damnati alii omnes'. Lib. XXVII u. 713 'summa omnia fecerim' ubi uide adnotat. Catull. 75, 4 'omnia si facias'. Martial. II 14, 14 'omnia cum fecit, sed renuente deo' = VI 93, 12. Idem IX 38, 9

'ut peccare uelis, cum feceris omnia, falli non potes'. Iuuen. V 158 'omnia fiunt, si nescis, ut per lacrimas effundere bilem cogaris'.

65. Nonius p. 335, 14 'Lustrare, expiare. . . . Lucilius satyrarum lib. II "lustratus piatus".' Expiatio facta esse uidetur funere illo facto quod commemoratur uu. 60. 61. Purgatur enim hominis mortui causa familia post funus: Varro de l. L. V 23 Fest. p. 70 s. u. denicales feriae Vergil. l. s. s.

66. Nonius p. 129, 28 ex grammatico 'Inpuno, quod est inpudens, Lucilius lib. II "homo inpuratus et *inpuno* est *rapister*".' Idem p. 167, 20 ex eodem 'Rapinatores pro raptoribus. . . . Lucilius lib. II "homo *inpudicus* et *inpune* est *rapinator*".' Dubitari nequit quin altero loco p. 167 glossae suppositae fuerint pro uerbis antiquis, pro *inpuratus inpudicus* pro *inpuno inpune* pro *rapister rapinator:* praeterea hexametrum finire uocabulo *rapister* admodum est probabile, uocabulum *est* recte traditum esse certum est, cum in codd bis traditum sit. Quae si recte statuimus, uerba *est rapister* lacunosa esse apparet: neque enim răpistri olus apud Colum. IX 4 med. huc potest pertinere et spondeiazon aegre poterit tolerari: accedit quod nomen a rapiendo aperte deductum sit. Illud uero *rapister* cum *magister minister sinister* tum *capistrum* uocabulum commendare debebunt. Nec poterit ambigi quin *inpuno* legerit reuera Nonius in uersu Lucilii: nos uero glossa illa *inpune* rectius explanari arbitramur *inpuno* uocabulum a multis multifariam temptatum quam glossa inepta *inpudens.* Sicuti enim pro *gracilis gracilus* lib. VIII u. 296 ita ab *inpunus* hoc posuisse aduerbium poetam statuendum erit. — inpuratus] uocabulum comoediae tritissimum: conf Plaut. Rud. 543. 751 Aul. 359. Ter. Phorm. 669. 962. — Versus fere talis '<moechus>, homo inpuratus: et inpuno est*ne* rapister?' quam bene conueniat Albucio repetundarum Mucium accusanti, facile cuiuis apparet: conf Afran. CRF^3 p. 201, 42 R 'Quos inpune depopulatur despoliatur dedecus'.

67. Priscian. GL II p. 483, 24 K 'Et multa . . . a uetustissimis similiter sunt prolata participia praeteriti a neutralibus uerbis, ut . . . discedo, discessus ὁ *ἀναχωρήσας*, intereo interitus ὁ *ἀναιρεθείς* obeo obitus ὁ *τεθνεώς* occido occasus ὁ *δύνας* . . . Sallustius in IIII historiarum (p. 167, 21 Maurenbr.) "Omnis quibus senecto corpore animus militaris erat". Caelius in IIII (HRF p. 104, 32 ed. 1883 Peter.) "Custodibus discessis multi interficiuntur". Claudius (l. s. p. 151, 96) "Pugna acriter commissa multis utrimque interitis". Laeuius in Protesilao (FPR p. 291, 19 Baehr.) "cupidius miserulo obito". Lucilius (ita R m. 2: *lucius* reliqui) in II "quae . . . occaso *ductoque*".' *Obductoque tenebris* quod proposuit I. Dousa ideo minus aptum uidetur, quod

non occasus, sed praesens tantummodo sol obduci potest aut caligine aut tenebris: tum grammaticus ablatiuum addidisset, si eo opus fuerat ad sententiam explendam. Agitur de furtis et rapinis clam noctu a Mucio in prouincia factis. Structuram duram et inde a Caesaris tempore repudiatam *sole occaso* quarto post Christum saeculo apud Paulinum Nolanum carm. XIX 160 'nomina mille deorum quae tamen ex obitis mortalibus et sibi sumpsit' XXVII 568 'ergo probant obiti quod damnauere magistri' docuit L. Muellerus d. r. m.^{2} p. 432. *Sole occaso* ex Lucilio sumpsit Claud. Quadrig. ap. Gell. XVII 2, 10 fragm. 3 Peteri.

69. Nonius p. 102, 20 'Exculpere est extorquere. . . . Lucilius satyrarum lib. I "nunc *nomen iamque* ex testibus ipse rogando exculpo haec dicam".' Accusatoris uerba sunt qui testes se interrogaturum esse pronuntiat: conf Cic. de orat. II 244 'Pusillus testis processit. "Licet, inquit, rogare?" Philippus. Tum quaesitor (quo de conf Mommseni de iure publ. p. R. II 1^3 p. 223, 4) properans: "Modo breuiter". Hic ille: "Non accusabis. Perpusillum rogabo":' conf in Verr. V 59, 155 pro Flacc. 10, 23. Testes cum de pecuniis repetundis respondere oporteat, *nomen* uocabulum ad pecuniae nomen in tabulas publicas relatum arbitratus sum pertinere qua de re disputauimus prolegg. p. XLII. *Nomentanum* quem et hoc loco et u. 56 deprehendere sibi uisi sunt et Horatii in saturis qui laeditur, eundem etiam a Lucilio notatum esse nemo adhuc potuit demonstrare. — quae ex testibus . . . exculpo] secutus est Lucilius Terentium qui scripsit Eun. 712 'possumne ego hodie ex te exculpere uerum?' Terentius Plautum Cist. 541 'in quaestione. uix exculpsi ut diceret', quem locum Nonius l. s. s. comparauit. — *nunciam* trisyllabon quod est apud comicos poeta separauit: conf Birtius Mus. Rhen. LI 1896 p. 88 seqq. *in* addidi: cuius usus exempla adferunt interpretes ad Cic. Brut. 160. 164. — iam *Quinte* antea proposui quod placuit Lindsayio ap. Nonium l. s. s.

71. Nonius p. 539, 17 '*Rica* est quod nos sudarium dicimus . . . Lucilius satyrarum lib. II "*hrodyty* aurati *ciceetoracia* mitrae".' Enumerantur uestes muliebres: eodem in simili nominum congerie uocabulo *mitrae* exit uersus Lucr. IV 1129 'et bene parta patrum fiunt anademata, mitrae' Vergil. Aen. IX 616 'et tunicae manicas et habent redimicula mitrae'. Manicatas tunicas hoc loco recte agnouit Bouterwekius quaest. Lucil. p. 7 idemque statuit Graecum uocabulum *χειριδωτός* latere in litteris *hrodyty* corruptis: quod uocabulum mutatis barbare syllabarum quantitatibus adhibuisse Lucilium arbitratur. At mutarunt Romani Lucilii aetate non syllabarum quantitatem, sed totum uocabulum. Nam Nouius (CRF^3 p. 322 IV R) cum scripserit teste Nonio l. s. s. 'móllicinam crocótam cheridótam ricam rícinum' tunicam chiri-

dotam dixit *χειριδωτὸν χιτῶνα* littera *o* producta legitime adhibuitque formam Graecae simillimam, qui uixerit post Caesaris Strabonis et Accii tempora. At Lucilius quid scripserit codd Nonii hoc loco demonstrant: nam in litteris *hrodyty* agnoscemus *chirodytoe* sicuti apud Gellium VI 12, 5, qui Scipionis Aemiliani uerba seruauerit 'cum chirodyta tunica', toto capite illo ter codd tradunt *chirodytis chirodytas chirodyta.* Quo loco eam quam tradunt codd scripturam id potissimum commendat, quod ipsum *χειριδωτός* uocabulum Graecum, si idem esse putasset grammaticus, quin attulisset, nullus equidem dubito. Accedit quod apud Iul. Capitol. Pertin. 8 in codd legitur 'chiroditas Dalmatarum': improbabile uero est librarios tot locis diuersis simili modo peccasse, immo genuinam hanc esse formam euincit codicum consensus. In Lucilii uersu idem uocabulum extitisse probat proximum illud *ricae* quod in *cice* latere lemmate rursus probatur Nonii: nam in Nouii uersu idem uocabulum sequitur *chiridotam* quam formam illic Graecanicam Nonii codd tribus locis testantur *ceridotam* qui exhibeant pp. 539, 22. 540, 24 et 548, 30 *uridotam.* Ioseph. antiq. Iud. VII 8, 1 § 171 editur *χειριδωτούς*, codd *χειριδότους* uel *χειροδέτους. Chirodytos* tamen reuera Graecum fuerit uocabulum ut *ἐνδυτός* an a barbaris detortum ex *χειριδωτός* non patet. Itaque Lucilius scripsit *chirodytoe* Graece potius quam Latine: nam supplendum est *χιτῶνες*, Scipio Gellius scriptor h. A. *chirodytam* tunicam appellauit, Nouius ad *χειριδωτός* Graecum posuit tunicam *cheridōtam.* — aurati] i. e. *χρυσόπαστοι*: Treb. Poll. Gallien. 16: 'Purpuream tunicam auratamque uirilem eandemque manicatam habuit'; Ouid. fast. II 310 'Maeonis aurato conspicienda sinu'; Tib. II 3, 53 'illa gerat uestes tenues, quas femina Coa texuit, auratas disposuitque uias'; Prop. IV 7, 40 'haec nunc aurata cyclade signat humum'. — ricae] cum mitris una nominantur Varro de l. L. V 130: sunt uero 'palliola ad usum capitis facta' Fest. p. 277. — toracia] neque schol. Iuu. V 143 thoraca] 'armilausiam prasinam ut simiae' neque Iuuenalis locus ipsius quicquam huc pertinet. Vocabulum *toracia* iure seruare ausus est Rothius: quod pertinet ad mundum muliebrem neque tamen alibi uidetur extare. Quid sit *toracia* aperitur Suet. Aug. 82. 'Hieme quaternis cum pingui toga tunicis et subuculae thorace laneo et feminalibus et tibialibus muniebatur'. Enumerantur igitur tunicae manicatae auratae, calauticae, subuculae, mitrae, quae comparantur omnia in usum meretricis: Iuuen. III 66 'ite quibus grata est picta lupa barbara mitra' ubi uide Friedlaenderi adnot. et AP V 198 *σάνδαλα καὶ μαλακαὶ μαστῶν ἐνδύματα μίτραι.*

72. Nonius p. 65, 29 'Natrices dicuntur angues natantes.... Lucilius satyrarum lib. II "si ... capitatam".' De obscenitate uersus dubitari non potest: *natricem* i. e. *ὄφιν* AP XI 22 ut *σαύρα*

A. P. XII 3, 5. 242, 1: paria duo uocabulorum eisdem incipere uoluit poeta litteris. *Capitatus* nouatum esse uidetur ad exemplar Graeci *κεφαλωτός.*

73. Nonius p. 187, 19 ex grammatico 'Vulga, capacitas uel sinus cum laxitate. Lucilius lib. II "in *uulgam* penetrare pilosam". . . .' De bulga conf ad lib. XXVI u. 623, est *ἀσκός* Archilochi (72 B); *pilosam* ut CIL IV 1830 add. p. 312 Buechelerus CLE I p. 109, 230, penetrare, ut Lucret. IV 1111.

74. Glossarium cod Vaticani CGL IV p. XVIIII Mus. Rhen. XL 1885 p. 326 'pedicum: uicium mollitiae. Lucilius in II satirarum "pedicum iam excoquit omne".' uitium, i. e. morbus sermone uulgari. Probabilius est propter bucolicam caesuram huic uersui deesse partem semiquinariam quam *κατὰ τρίτον τροχαῖον* heroum fuisse dissectum: unde *e* litteram productam fuisse statuemus in uocabulo *pedicum.* Quod pertinere arbitror ad pēdes id est *φθεῖρας*, quo significetur morbus peducularis quam pthiriasin uulgo dicunt Graece (Seru. ad Verg. Georg. III 564). Quo de agitur apud Plutarchum Alex. cap. 55 extr., ubi Callisthenem traditur *ἀποθανεῖν ὑπέρπαχυν γενόμενον καὶ φθειριάσαντα*, pluribus in uita Sullae cap. 36 cuius mollities his uerbis enarratur *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταύτην ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας συνῆν μίμοις γυναιξὶ καὶ κιθαριστρίαις καὶ θυμελικοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ στιβάδων ἀφ' ἡμέρας συμπίνων . . . Ὅθεν καὶ τὴν νόσον ἀπ' αἰτίας ἐλαφρᾶς ἀρξαμένην ἐξέθρεψε . . . ὑφ' ἧς καὶ τὴν σάρκα διαφθαρεῖσαν εἰς φθεῖρας μετέβαλε πᾶσαν . . . Διὸ πολλάκις τῆς ἡμέρας εἰς ὕδωρ ἐνέβαινεν ἐκκλύζων τὸ σῶμα καὶ ἀπορρυπτόμενος.* Quibus uerbis explicari apte illud *excoquit* existimo: conf Verg. Georg. I 88 'illis omne per ignem excoquitur uitium' quod imitatur Ouidius fast. IV 786. Nam de balneo agitur quo lauatur homo quidem impurus qui in libro II Lucilii ridebatur, sicuti Columella praefat. p. 17 ed. Bip. scribit similiter *cruditatem Laconicis excoquimus.* Quodsi recte demonstrauimus libro II saturarum Albucii accusatoris et Q. Mucii Scaeuolae Auguris repetundarum rei altercationes apud iudices narratas fuisse, uide ne huic sententiae suffragetur istud fragmentum comparatis eis quae apud Plutarchum l. s. leguntur *Λέγεται δὲ τῶν μὲν πάνυ παλαιῶν Ἄκαστον φθειριάσαντα . . τελευτῆσαι, τῶν δὲ ὑστέρων Ἀλκμᾶνα . . . καὶ Καλλισθένη . . . ἔτι δὲ Μούκιον τὸν νομικόν.* Omnes fere Mucios *νομικοὺς* fuisse sat constat: sed de Auguris ualetudine pessumdata multis locis refert Cicero qui *perditus morbo, mancus* dicatur pro Rab. perd. 7, 21 *perdita ualetudine* Philipp. VIII 10, 31, cuius et morbus et iuris prudentia memoratur de or. I 200 (ad Att. IV 16, 3). *Iure peritum* denique et hominem *impuratum* irrisum fuisse libro II e reliquiis satis apparet: conf uu. 57. 66. 81.

75. Non. p. 11, 8 'Lurcones dicti sunt a lurchando . . .

Lucilius satyrarum lib. *V* "uiuite . . . uentris".' Donatus ad Phormionem Terentii V 8, 95 'An uentrem totum parasitum dicit? ut Lucilius in secundo "uiuite (*ita V*: inuitus *reliqui*) *claucones* (glaucones *V*) comedones uiuite (uiuit et *RCO*) uentres (*ita V*: uentrem *reliqui*)".' Comparat Dousa uersum Graecum apud Paulum epist. ad Tit. I 12 *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί*, L. Muellerus Hesiod. theog. 26 *ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ᾽ ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον.* Similiter Aristoph. Au. 1604 *γάστρις εἶ*: conf Thesmoph. 816. Ad lib. II hunc uersum pertinere apparet Nonii rationibus propositis in tabula prolegg. p. LXXXVIII.

76. Nonius p. 25, 19 'Catax dicitur quem nunc coxonem uocant. Lucilius satyrarum lib. II "hostilibus . . . nobis".' Idem p. 218, 32 'Permities generis feminini. Lucilius satyrarum lib. II "pestem . . . *nouus*".' hostilibus contra pestem permitiemque] Posuerunt istud par uerborum eadem littera incipientium Catull. 76, 20 'eripite hanc pestem perniciemque mihi' quem locum adtulit F. Dousa, Cic. Catil. I 33 'cum tua peste ac pernicie' pro Rab. perd. 2 'contra pestem ac perniciem': conf Ter. Adelph. 188. 189. De forma permities conf Plaut. Pseudol. 364 Ennius TRF[3] p. 54, 229 R Accius l. s. p. 222, 434: quam testantur cum codicum tum Donati testimonium GL IV p. 392, 17 'permities pro pernicies'. Homer. ξ 184 *πόλλ᾽ ἄλγεα δυσμενέεσσιν, χάρματα δ᾽ εὐμενέτῃσι.* — catax] claudus Fest. p. 45. Quis fuerit hic Manlius, incertum est sicuti nemo poterit diuinare quis fuerit catax ille aut Postumius Hortensius Aemilius. Animaduertendum uero in hoc libro gentilicia posuisse poetam, alibi, ubi laedit, cognomina Tubulus Lupus Carbo Albinus Torquatus (incert. u. 1144) de cuius persona non magis constat quam de huius Manlii. — nobis] non *mouit* uel *intulit* supplendum esse uidetur sed *imprecantur*. Caue putes *catax* ad Manlium pertinere, sed est potius cognomen hominis alterius quem poeta nominare noluit sicuti lib. XXVIII u. 800 cum Maximo appellatur *uaricosus* quidam nomine subtracto.

78. Nonius p. 10, 31 'Lurcones dicti sunt a lurchando; lurchare est cum auiditate cibum sumere. Lucilius satyrarum lib. II "nam quid moetino *subiectoque . . . parum* conficeret". Pomponius Syris (169 R) "lapatium nullum utebatur, lardum lurcabat lubens".' moetino] uetustissima hoc loco uocabuli forma seruata est cuius affinia sunt *mutto* Lucil. lib. VIII u. 307 Hor. serm. I 2, 68 (glossa Leidensis Loewei prodrom. gloss. p. 304: muto Priapus), *muttonium προβασκάνιον Λουκ<ιλ>ιος* CGL II p. 131, 61. 132, 5 (incert. u. 959), *mutinium* auctor Priapei 72, 2 B, unde *mutuniatus* Priap. 52, 10 Martial. III 73, 1 XI 63, 2 CIL IV 1939. 1940: recentiorem formam exhibet Festus p. 154 'Mutini Titini sacellum' e. q. s. qui deus unde nomen duxerit intellegitur schol.

Pers. I 20 Titos] . . . a membri uirilis magnitudine dicti Titi: conf Buechelerus archiu. lexic. Lat. II 1885 p. 118. Agitur his uersibus Lucilii non de Priapi signo, quia deum Lampsacenum, quem memorat Afranius primus (Macrob. Sat. VI 5, 6), illo tempore cultum esse Romae parum constat, sed de signo phalli quo utebantur fascinum ut depellerent. Sed cum infantes constet et puerulos eiusmodi fascina gestasse (Plin. nat. hist. XXVIII 39 Varr. de l. L. VII 97) quae una cum bulla deposuerint, hunc quo de agitur hominem proprium suum sibi habuisse signum probabile est quod uel in anulo uel alibi gestauerit (Cic. ad Q. fr. I 1, 13 Plin. ep. ad Trai. 74): quod quam egregie Scaeuolae conueniat enarrauimus prolegg. p. XLV. — subrecto] recte Dousa et Scaliger posuerunt: conf Arnob. adu. gent. V 28 p. 199, 8 R "in Liberi honorem patris phallos subrigit Graecia", 29 p. 200, 13 "hi phalli, quos per rura per oppida mos subrigit", 39 p. 208, 28 "phallorum illa fascinorumque subrectio", IV 14 p. 152, 4 "genitalibus subrectis".' — opus] *erat* omissum: in interrogationibus eiusmodi uerbum substantiuum saepe omitti docet W. Olsenus Quaest. Plaut. de uerb. subst. p. 84 seqq. Propert. II 6, 25 'templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis' Tibull. I 6, 33 'Quid tenera tibi coniuge opus?' Cic. ad Att. VI 2, 9 'Sed iam quid opus equitatu?' Plaut. Pseud. 349 'Quid opus gladio?' Rud. 118 'quid opus adulescens?' — ut lurcaretur] uocabulum non nouit palliata Plauti et Terentii. Helluonem facit accusator reum, qui suillam deuorare solitus sit sicuti Gallus 'pingui tentus omaso' apud Horatium (serm. II 5, 40) aut 'pingui pastus taxea' apud Afranium in Prosa (284 R), cum Romanus sit pultiphagus laudetque lapathi uirtutes Laelius apud Lucilium incert. u. 1235. Tota carnaria ille conficere dicitur: nam carnarium est locus, in quo succidiae conduntur, conf Cato de agri cult. 162, 3 Varr. rer. rust. II 4, 3 'qui non audierit patres nostros dicere ignauum et sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario quam e domestico fundo?' Itaque carnaria idem fere significat quod lardum siue succidia. — fartim] aduerbium tractauit Skutschius Berl. Phil. Wochenschrift XIV 1894 p. 138 XV 1895 p. 1448: conf Leo ad Plaut. Mil. 8 Mostell. 169 Gloss. Plaut. Ritschl. opusc. II p. 252 Apul. metam. II 7 Auson. Mosell. 86. Sed plane singulari hoc Lucilii loco positum est fartim significatione: significat enim inferciendo siue deuorando neque pertinet ad coci artem sed ad comedonis auiditatem: *porro* temptaui: conficeret ut lib. XXX u. 1091 'conficit ipse comestque'.

81. Charisius GL I p. 82, 5 K 'Iuris consultus dici debet, non iure consultus; licet Cicero pro Murena (27) ita dixerit, et Lucilius II "ut iure peritus".' Lachmannus Lucilium 'ut iure peritus' arbitratur scripsisse, L. Muellerus 'iure Consultus'. Sed

numeri suadent rectius iudicasse Lachmannum: accedit quod ueteri poetae merito tribuas uetustiorem formam 'iure peritus'. Dicebant enim Lucilii tempore et 'iuris peritus' et 'iure peritus': uocabulis duobus in unum coalescentibus -is mutatum est in -e sicuti *potis magis uteris* similia (conf Skutschius Vollmoellers Rom. Jahresbericht IV 1898 p. I 81) et Titinius cum fabulam suam uocaret Iurisperitam, hoc uocabulum illo tempore sollemne fuisse statuendum est, non illud iure consultus. Quod Laberius postea uidetur adhibuisse (Cic. epist. VII 11, 2) factumque est huius ad similitudinem locutionis 'iure peritus' qua praeter Lucilium utitur Cic. Cluent. 107. Appellatur hoc uocabulo Scaeuola: uide quae enarrauimus ad u. 74.

82. Nonius p. 10, 15 'Inlex et exlex est qui sine lege uiuat. ... Lucilius satyrarum lib. II "non ... exlex".' Facile in his uerbis *πάθος* oratoris agnoscitur accusantis: conf [Antiph.] tetral. Αβ 9 *ἐὰν δὲ νῦν καταληφθεὶς ἀποθάνω, ἀνόσια ὀνείδη τοῖς παισὶν ὑπολείψω, ἢ φυγὼν γέρων καὶ ἄπολις ὢν ἐπὶ ξενίας πτωχεύσω.* Senec. Med. 20 'uiuat. per urbes erret ignotas egens exul pauens inuisus incerti laris'. Franckenus adtulit Cic. pro Cluent. 175 'Cum uagus et exsul erraret atque undique exclusus'. 'Non dico' initio sententiae positum est sicuti ad Her. IV 27, 37 initio 'Non dico te ab sociis pecunias cepisse, non sum in eo occupatus' e. q. s. Et paulo ante: 'Horum nihil dico: reuertor ad illud' e. q. s. — uincat] absolute positum ut Cic. in Verr. III 40 ... 'sui quaestus causa constituisse uincam' pro Cluent. 64; ad Her. IV 5, 7 init. 'uincerem unius oportere'. — Orator igitur profitetur se non eum esse qui dicat: licet uincat reus sese pecunias non cepisse, tamen exilio multetur, sed omnia sese demonstraturum esse crimina pollicetur. *Et* aduersatiuum est quo de conf Draegeri synt. l. L. hist. II^2 p. 22. Verba esse Albucii accusatoris patet: exilio enim puniuntur rei repetundarum: conf prolegg. p. XLIII.

84—86. Cicero de oratore III 43, 171 'Conlocationis est componere et struere uerba sic, ut neue asper eorum concursus neue hiulcus sit, sed quodam modo coagmentatus et leuis. in quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius: "quam lepide lexis (*ex is* cod Abrincensis: *in aliis aliter erratum*) compostae (codd fere *compositae*) ... uermiculato". quae cum dixisset in Albucium inludens, ne a me quidem abstinuit: "Crassum ... rhetoricoterus tu seis (*rhetorico te rustus eis* cod Abrincensis: in aliis alia uitia)".' Nonius p. 188, 24 'Vermiculatim pro minuto. Cicero *in* oratore lib. IIII "lexis *conposui et ut tessurulae* ... uermiculato".' Cicero in oratore 44, 149 '... quod apud Lucilium scite exagitat in Albucio Scaeuola, "quam ... compositae ... uermiculato".' Idem in Bruto 79, 274 'nullum nisi loco positum et tamquam in uermiculato emblemate,

ut ait Lucilius, structum uerbum uideres'. Plinius nat. hist. XXXVI 185 'Frequentata uero pauimenta ante Cimbricum (bellum) magna gratia animorum indicio est Lucilianus ille uersus "arte *pauimenti* (sic cod Bambergensis aliique: alii *pauimenta*) ... uermiculato (*uermiculatos* Bambergensis: sequitur Subdialia".' Quintilianus IX 4, 113 '... si quidem relicto rerum pondere ac nitore contempto tesserulas, ut ait Lucilius, struet et uermiculate (*uermiculata* Ambrosianus) in⟨*ter*⟩ se lexis committet (*inter* Regius, *in* codd)'. Ludit aperte Scaeuola his uerbis Albucii adulescentis orationem diligenter elucubratam uerborumque collocatione inusitata pueriliter numerosam. Is T. Albucius 'fuit Athenis adulescens, perfectus Epicureus euaserat: minime aptum ad dicendum genus' (Cic. Brut. 131) et orator Epicuri magistri malam dicendi consuetudinem uidetur esse secutus de qua Theo RG I p. 169 W II 71, 7 Sp.: *ἐπιμελητέον δὲ καὶ τῆς συνθέσεως τῶν ὀνομάτων, πάντα διδάσκοντα ἐξ ὧν διαφεύξονται τὸ κακῶς συντιθέναι καὶ μάλιστα δὲ τὴν ἔμμετρον καὶ ἔνρυθμον λέξιν ὡς τὰ πολλὰ τῶν Ἡγησίου τοῦ ῥήτορος καὶ τῶν Ἀσιανῶν καλουμένων ῥητόρων καί τινα τῶν Ἐπικούρου* (fragm. 105. 131 Vsen.): Epicuri doctoris enim elocutionem solebant imitari discipuli et discipulae (conf Wilhelmius Oesterr. Jahresh. II 1899 p. 270 seqq.). Similis uidetur fuisse locutio Albucii illi quam Caelius Antipater in deliciis habuit: conf Cic. or. 230. Irridet Albucium Mucius ut Graecum hominem cum ponat Graecorum grammaticorum uocabulum *lexis* lepideque comparat uocabula artificiose composita tesserulis artificum musiuarii qui dicuntur. Operis musiui uetustissimum Lucilii istos uersus esse testimonium et Plinius intellexit l. s. s. qui *pauimenti* male pro pauimento uideatur posuisse, modo ne peccarit librarius, et omnes qui hoc saeculo de hac arte egerunt ueluti Marquardtius Mauius de uita priuata p. R. p. 627: quae ars Pergamo modo inducta esse uidetur et Romam et in Campaniam: sunt enim clarissima illa lithostrota domus Fauni quae dicitur Pompeianae aetate fere Lucilii senis uel paulo post mortem poetae concinnata. — compostae] deest uerbum substantiuum, conf ind. gramm. s. u. ellipsis. — 85. arte] ita Verg. Georg. IV 56 'hinc arte recentes excudunt ceras' eadem uersus sede Aen. I 639 'arte laboratae uestes ostroque superbo' Ouid. a. a. I 3 'arte citae ueloque rates remoque mouentur' e. q. s. Cic. de or. III 196 'uerbis arte positis mouentur omnes'. — pauimento atque emblemate uermiculato] Ablatiuus est loci sicuti libro I 'concilio antiquo (30) priore concilio (28): uide ind. gramm. s. u. ablatiuus. *Pauimentum* uermiculatum quod dicitur Latine Graece dicitur accuratius *emblema* uermiculatum, quae tamquam lapide facta sunt aulaea Attalica humi prostrata: tessellae singulae cum uermiculis sint simillimae, opus totum dicitur uermiculatum unde aduerbium *uer-*

miculate deduxit Quintilianus l. s. s. Qui uetustioris cuiusdam scriptoris secutus esse uidetur exemplum, quod Nonius, cum poneret *uermiculatim,* addere est oblitus. Similiter dicitur *tessellatim:* de uermiculatis conf Marquardtius Mauius l. s. s. p. 626. 627, 3. 6 ubi adfertur Augustini locus de ordine I cap. 2 (uol. I p. 235 a ed. Bened. Antwerp. 1700) ‘Sed hoc pacto si quis tam minutum cerneret, ut *in uermiculato pauimento* nihil ultra unius tessellae modulum acies eius ualeret ambire, uituperaret artificem uelut ordinationis et compositionis ignarum, eo quod uarietatem lapillorum perturbatam putaret, a quo illa *emblemata* in unius pulchritudinis faciem congruentia simul cerni collustrarique non possent’. Vnde apparet *emblema* idem esse atque *pauimentum* uermiculatum, cum proprie illud pertineat ad picturas uermiculatas medio pauimento collocatas uel immissas: conf Varro rer. rust. III 2, 4 ‘Num quod emblema aut lithostrotum?’ Hendiadyoin figura saepenumero utitur poeta: uide ind. gramm. s. u. Est enim emblema proprie caelatura quaedam poculis uel pateris superaddita aeneis qua de re egerunt Marquardtius Mauius l. s. s. p. 683. Vermiculato denique a pauimento diuersum est et contrarium illius *scutulatum* ap. Plin. XXXVI 185. — 86. Crassum habeo generum] L. Licinium oratorem clarissimum. Qui cum natus fuerit Q. Caepione C. Laelio coss. 614/140, ‘accusauit C. Carbonem . . . admodum adulescens’ (Cic. Brut. 159) anno 635/119. Qua de causa ipse Crassus apud Cic. de or. III 74: ‘quippe qui’, inquit, ‘omnium maturrime ad publicas causas accesserim annosque natus unum et uiginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium uocarim’. Vnde apparet causas priuatas eum antea egisse admodum adulescentulum nec probabile est primam eius fuisse causam publicam Papirii illam accusationem. Diiudicari cum nequeat neque accurate expediri quaestio de anno praeturae Scaeuolae neque de anno quo iudicium repetundarum idem sustinuerit (conf prolegg. p. XLI) sed ita ut aut 634/120 aut 635/119, quo ipso anno causa Papiriana gloriam sibi gener peperit Crassus, actum illud fuisse statuendum sit, ne hoc quidem ex Lucilii uersu certo poterimus efficere, illo tempore Scaeuolam iam gloria generi ipsa causa Papiriana parta fuisse elatum quo tempore reus repetundarum responderit his uerbis Albucio accusatori item adulescenti. Verba Lucilii egregie seruarunt cod Abrincensis litterae quae *seis* formam aperte testantur et in rhetoricoterus barbaram terminationem: conf lib. XVII u. 545 *eupatereiam* et Palladae A. P. X 48 *μήτε δίκην δικάσειεν ἀνὴρ γεγονὼς δικολέκτης μηδ' ὅταν Ἰσοκράτους ῥητορικώτερος ᾖ.*

87. Nonius p. 268, 5 ex grammatico ‘Coicere, furari, auferre . . . Lucilius lib. II “quid . . . istuc”.’ Nonium falso uocabulum coicis interpretari nemo non intellegit neque tamen uideo cur

Scaliger scripserit ‘cur est factum? quo conicis istuc?’ Ribbeckius CLF[2] p. LXXII ‘cur est furtum? quor conicis istuc?’ Nam structura uerborum explicatur exemplis multis in Draegeri syntaxi l. L. histor. II[2] p. 227 congestis ueluti Cic. Tusc. IV 64 ‘percommode factum est, quod eis de rebus . . . primo et proxumo die disputatum est’. ad Att. XVI 15, 1 ‘Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu scribam’. Conicere quid sit Afranii indicat uersus (CRF[3] p. 243 VI VII R) ‘nam ut signa indicant, Hi conicere uerba inter sese acrius — Noli mea mater me praesente cum patre conicere’. Hor. serm. I 4, 79 ‘unde petitum hoc in me iacis?’

88. Cicero de fin. bon. et mal. I 3, 8 ‘Res uero bonas, uerbis electis grauiter ornateque dictas, quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici uelit, ut a Scaeuola est praetore salutatus Athenis Albucius. quem quidem locum cum multa uenustate et omni sale idem Lucilius, apud quem praeclare Scaeuola “Graecum . . . inimicus”.’ Exponit his uersibus Scaeuola reus iudicibus quare factum sit ut Albucius se accusarit causamque aperit omnem inimicitiarum accusatoris. Qui haec fere enarrat ‘praetor cum Athenas urbem ingrederer, obuiam it me salutatum qui ibi degebat T. Albucius perfectus Epicureus et Graeculus, pallio amictus et crepidis indutus. Is aut dixerat quondam per colloquium aut scripserat in chartis suis philosophicis (de quibus conf Fronto p. 114, 1 N) sese malle Graecum dici quam ciuem Romanum aut municipem Latinum centurionum crassorum et indoctorum quorum Vlubris aut Formiis summa erat potestas et auctoritas. Itaque cum me salutasset aduenientem Latine, ego, ‘tu’, inquam, ‘Albuci, quia patris Latini et laris oblitus Graecum te dici maluisti, quam Romanum aut Latinum, Athenis Graece, te cum ad me salutatum accedis, saluto: chaere, inquam, Tite’. Tum VI mei lictores, cohors praetoria omnis et reliqua quae comitabatur me praetorem corona quasi chorus audito endosimo coryphaei ‘chaere Tite’ conclamarunt. Hinc, iudices, hostis mihi est iste, hinc inimicus.’ Graecum] fuit T. Albucius perfectus Epicureus: quare mirum non est eum et Graecum dici malle quam Romanum et Athenis se commorari quam Romae, si memineris quanta religione Epicurei magistri et patriam et domus hortique reliquias uenerati sint (Lucr. VI 1—8 Cic. epist. XIII 1): idem eadem de causa postea fecit T. Pomponius Atticus Epicureus. Nempe docuerat siue Epicurus siue Epicurei uel deos *τὴν Ἑλληνίδα . . . ἔχειν διάλεκτον* fragm. 356 Vseneri. — Romanum atque Sabinum] lepide duo coniunxit nomina quo ciuem Romanum significet moribus Sabinis (Hor. epod. 2, 41 Lucan. II 368) Numaeque institutis qui utatur: conf Mommsenus Die Tatiuslegende Herm. XXI 1886 p. 570 seqq. —

89. municipem Ponti, Tritani centurionum praeclarorum

hominum ac primorum signiferumque] id est quam incolam municipii aut coloniae Latini (Mommsenus de iure publico p. R. III 1, 1887 p. 232, 3): Caesium Sassinatem Martialis appellat VII 97, 3 'Auli municipem mei Pudentis' centurionis de quo agitur I 31. Pontius ille et Tritanus fuerant signiferi, post centuriones: missione facta honesta habitabant in municipio aliquo Latino sicuti M. Caesius Blandus centurio Pompeis (Overbeckius Mauius de Pompeis edit. IV p. 282) summaque erant auctoritate summoque honore inter municipes suos sicuti Venusiae magni . . . pueri magnis ex centurionibus orti (Hor. serm. I 6, 72). Cato Censorius apud Cic. de sen. 33 'ne uos quidem, inquit, T. Ponti centurionis uires habetis': itaque anno 604/150 iste centurio etiamtunc stipendia merebat qui anno fere 630/124 senex habitabat in municipio quodam Latino. Praeclarum hominem cum appellet poeta Pontium omisso praenomine, sat notum illum popularibus fuisse manifestum est eundemque arbitror Pontium describi a Cicerone apud Macrob. Saturn. III 16, 3 '. . . accipite . . . in quo honore fuerit hic piscis apud P. Scipionem . . . Numantinum. Haec sunt in dialogo de fato uerba Ciceronis (fragm. 5 C.F.W.M.) "Nam cum esset apud se ad Lauernium Scipio unaque Pontius, adlatus est forte Scipioni acupenser, qui admodum raro capitur . . . Cum autem Scipio unum et alterum ex iis, qui salutatum uenerant, inuitauisset, pluresque etiam inuitaturus uideretur, in aurem Pontius: ‚Scipio‘, inquit, ‚uide, quid agas: acupenser iste paucorum hominum est‘".' Vnde suspiceris Pontium tertio bello Punico stipendia meruisse: Formiisque, opinor, quae proxime sunt sitae (Cic. ad Att. VII 8, 4) anno fere 624/130 ad Lauernium salutatum uenerat ueteranus imperatorem. De Tritano multo difficilior est quaestio. Nomen recte fere seruatum esse in cod Erlangensi recteque correctorem cod Palatini idem restituisse *tritanii*, qui m. 1 habeat *tiranii*, credibile est et admodum probabile. Sed Plinius nat. hist. VII 81 quo loco centurionem quendam Vinnium Valentem incredibili corporis robore praeditum fuisse commemorat Varrone auctore haec tradit 'Corpore uesco sed eximiis uiribus Tritanum in gladiatorio ludo, Samnitium armatura celebrem, filiumque eius militem Magni Pompei . . . auctor est Varro in prodigiosarum uirium relatione': quem locum exscripserunt Solin. I 75 Fl. Vopisc. Firm. 4, 2. Atque Vopisci loco s. duo codd similiter praebent atque Palatinus Ciceronis m. 1 *trianum*, m. 2 aut *tritannum*, quod habent codd Solini, aut *tritanum* quod apud Plinium solus seruauit Parisinus correctus habentque Ciceronis codices quos supra nominaui. Praeterea in Naeuii uersu apud Priscian. GL II p. 198, 16 K pro Titani cod Parisinus m. 1 praebet *tritani*, Bernensis *tytanii*, *titanii* Leidensis m. 2, quod stud. Lucil. p. 69 apud Lucilium restituendum esse posui, quia gladiatorem aetate

Lucilii centurionatum gessisse credi omnino nequeat, licet aliter de hac re sentiat Huebnerus Ephem. Epigr. II 1875 p. 48. Sed Varro quem memorat Tritanus robustissimus cum Pontii in uirium magnitudine plane similis sit codicumque Ciceronis menda apte explicent similia in codd Vopisci commissa, eundem esse hunc Tritanum centurionem Lucilii atque gladiatorem Varronis admodum probabile est statuendumque erit centurionem Tritanum in municipio aut male conturbasse aut non tulisse pacem oppiduli uitamque otiosam exauctoratumque depressum fuisse in ludum: conf leg. repet. CIL I 198, 16 Manil. IV 225 'nunc caput in mortem uendunt et funus arenae atque hostem sibi quisque parat cum bella quiescunt'. Poterat Lucilius scribere *Ponti et Tritani*, quod non fecit, quia asyndeto etiam plures magnanimos se enumerare posse uiros apte potuit indicare. Centuriones immani corporis robore praeditos Albucius nominarat ut rusticos illitteratos stupidos, Graecorum doctrinae infensos: similiter Persius V 189 ingentem eiusdem generis producit centurionem: 'dixeris haec inter uaricosos centuriones continuo crassum ridet Pulfennius ingens et centum Graecos curto centusse licetur'; ubi scholiasta 'uarices sunt uenae mixtae neruis in pedibus nimio labore tumentes (conf Varro apud Plinium l. s. s. de Tritano: 'Tritanum . . filiumque eius et rectos et trauersos cancellatim toto corpore habuisse neruos, in bracchiis etiam manibusque). Tum apud Pers. III 77 'hic aliquis de gente hircosa centurionum dicat: quod sapio, satis est mihi' qui deinde ridet philosophos Graecos. —

90. uiri praeclari et *primores* appellantur ut L. Muellerus statuit, non *primi* ut Maduigius uoluit intellegi ad Cic. de fin. l. s. s. Primores sunt qui acie prima pugnantes praeclara facta gessere: Liu. I 12, 7 'ipse ad primores Romulus prouolat' Curt. IV 6, 17 'dum inter primores promptius dimicat' *praeclari* et *primores* parhomoeon. —

91. maluisti trisyllabum bis posuit poeta ut *adfuissemus* lib. I u. 28, *fuit* monosyllabon XIV u. 468, fuisse XVII u. 542; uide ind. gramm. s. u. *synizesis* (L. Muellerus de re metr.[2] p. 298) Damasi quod fertur carmen 33, 5 Ihmii 'contemptis opibus malui cognoscere Christum'. — *praetor:* quo anno praeturam gesserit Mucius, non constat. Cic. de or. II 269 cum tradat: 'Noster Scaeuola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite (633/121) erat aurum repensum, roganti ut se in Asiam praefectum duceret e. q. s.', anno 633/121 aut 634/120 Athenas praetorem uenisse Mucium probabile est: conf P. Wehrmanni fasti praet. p. 13. —

93. turma omnis, id est cohors praetoria: conf quae exposuimus ad I 10 et Sallust. Iug. 98, 1 'Marius . . cum turma sua, quam ex fortissumis magis quam familiarissumis parauerat,

uagari passim' e. q. s. (conf Mommsenus de iure publ. p. R. III 1 (1887) p. 541, 2). Itaque non opus est quod P. Manutius posuit pro *chorusque: cohorsque*; chorus est corona reliqua uel caterua pertinetque omnis et ad turma et ad chorus: Vergil. Georg. I 345 'circum felix eat hostia fruges omnis quam chorus et socii comitentur ouantes' Cic. Mur. 49 'Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuuentutis, uallatum indicibus atque sicariis' e. q. s. uide ind. gramm. s. u. hendiadyoin. —

94. hostis . . . inimicus] pedestris sermonis scriptores inuerso ordine (Cic. de inuent. I 105 in Verr. act. II II 58 de fin. V 29 Liu. XXXIX 28, 13 Suet. Aug. 69), uide ad incert. u. 1334. — Simili ioco usus 'Q. Lucienus senator, homo quamuis humanus ac iocosus, introiens, familiaris omnium nostrum, "Synepirotae", inquit "chaerete"' ap. Varr. rer. rust. II 5, 1.

95. Iocus ita breuiter et exiliter narratur a Cicerone ut lectores omnes Ciceronis aequales gnaros fuisse fabulae illius putandum sit quae uix aliunde potuit innotescere nisi e Lucilii saturis. Rem ipsam ita enarrat Ellendtius in commentario p. 310 'Albucius Scaeuolam de repetundis accusauit, ad probanda uero ea quae Scaeuolae obiecerat Albii tabulas protulit. Scaeuola iudicum sententiis absolutus est: Albii igitur tabulas falsas fuisse iisdem sententiis iudicatum est. Granius igitur, quidam ex iis qui aderant, obiurgauit Albium, qui et gauderet Scaeuolam absolutum esse et non uideret contra suas tabulas iudicatum esse'. Granius Crassi erat familiaris (Cic. Brut. 43, 160) qui gener erat Scaeuolae, Albius ineptus fauebat uictori, Albucium amicum ut uictum contempsit. Granii in Albium aliquod facete dictum in uersus coniecerat poeta (uide lib. XI u. 411) qui periere.

III.

96. Porphyrio ad Hor. serm. I 5, 1: 'Lucilio ha[e]c satyra aemulatur Horatius iter suum a Roma Brundesium usque describens quod et ille in tertio libro fecit, primo a Roma Capuam usque, et inde fretum Siciliense.' Lucilii poema, qui geographorum Graecorum uidetur esse secutus exemplum, ante Horatium imitatus est Caesar poemate 'quod inscribitur Iter . . . dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et uicesimo die peruenit' (Suet. Caes. 56), singulorumque dierum XXIV spatia et opera Caesar ipse eodem modo uersibus exsecutus erat quo Horatius XV dierum. Eodem tempore Valgius in elegiis (FPR p. 343, 4 Baehr.) iter descripsisse uidetur factum in Gallia cisalpina. Post Horatium

Persius composuit hodoeporicon librum unum (uita Persii p. 59, 20 ed. Buecheleri), quo libro peregrinationem cum Paeto Thrasea factam aliquando (l. s. p. 59, 3) et Lucilii et Horatii imitator descripserat. Nihil huc pertinet Cornelii Balbi praetexta de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum lacrimosa (Cic. epist. X 32, 3. 5), qua ille potius Iliadis librum IX *πρεσβεία* qui nominatur imitatus esse uidetur. Seruatum simile est hodie Rutilii Namatiani de reditu suo poema in Galliam quod sicuti omnia quae enumeraui poemata initium capit ab urbe. Ante Rutilium Lactantius composuerat 'hodoeporicum Africa usque Nicomediam hexametris scriptum uersibus' (Hieronym. d. uir. ill. cap. 80 Lactant. ed. Brandt. uol. II p. 161), inter utrumque positum est Ausonii breue itinerarium Mosellae praepositum uu. 1—22, qui Treueris Bincum uenerat noua ad Rhenum munimenta uisurus. Denique Constantinus Manasses traditur Odoeporicum scripsisse senariis (Krumbacheri histor. litt. Byzant. edit. II p. 380). — Lucilium non animi delectandi causa et uoluptatum sed praedia sua Sicula qui uisurus sit peregrinatum esse intellegemus e u. 105. Roma qui Regium iter faciunt Capuam primum petunt omnes uia Appia: deinde duabus possunt uiis ingredi, aut Popilia itinere terrestri aut Puteolis maritimo (Cic. in Verr. II 39, 96). Capuam quin uia Appia petierit Lucilius dubitari nequit (uide ad u. 112): at uidebimus dubium eum fuisse utrum terrestri itinere per Lucaniam uia Popilia Capua Valentiam commearet, an Puteolis profectus nauigio urbem illam peteret: (uide ad u. 107). Veluti Cicero exul Siciliam et Melitam cum peteret, uia Popilia profectus est Valentiam (ad Att. III 2. 3. 4 pro Planc. 95), ubi consilium mutauit: scripsit ille ad Nares Lucaniae ad Att. III 2 'iter esse molestum scio, sed tanta calamitas omnes molestias habet' et pro Planc. l. s. 96 'tum consilio repente mutato iter a Vibone Brundisium terra petere contendi: nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo'. Quae uerba pertinent non solum ad illam quam dicit partem itineris, sed ad totum itineris cursum Capuae ab illo excogitatum. At longe plerique maritimo cursu iter inter Regium et Capuam, cuius portus Puteoli sunt habendi (Plaut. Rud. 631), conficiebant, Capua Romam Appia petebant. Veluti Paulus apostolus peruenit (acta apost. XXVIII 13 seqq.) . . . *εἰς Ῥήγιον. καὶ μετὰ μίαν ἡμέραν ἐπιγενομένου νότου δευτεραῖοι ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους . . . καὶ οὕτως εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθαμεν* i. e. uia Appia ut ex sequentibus apparet. Recte Procopius bell. Goth. I 14 *ἔστι δ' ἡ Ἀππία ὁδὸς ἡμερῶν πέντε ἀνδρὶ εὐζώνῳ*, i. e. altius succincto quam Horatius erat, qui serm. I 5, 5 se iter primum, quod erat Roma ad Appii forum, ignauum diuisisse refert tardusque non V sed VI consumpsit dies a Roma usque ad Capuam. Quod act. apost. l. s. Lucas refert *οἱ ἀδελφοὶ*

uagari passim' e. q. s. (conf Mommsenus de iure publ. p. R. III 1 (1887) p. 541, 2). Itaque non opus est quod P. Manutius posuit pro *chorusque: cohorsque;* chorus est corona reliqua uel caterua pertinetque omnis et ad turma et ad chorus: Vergil. Georg. I 345 'circum felix eat hostia fruges omnis quam chorus et socii comitentur ouantes' Cic. Mur. 49 'Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuuentutis, uallatum indicibus atque sicariis' e. q. s. uide ind. gramm. s. u. hendiadyoin. —

94. hostis . . . inimicus] pedestris sermonis scriptores inuerso ordine (Cic. de inuent. I 105 in Verr. act. II II 58 de fin. V 29 Liu. XXXIX 28, 13 Suet. Aug. 69), uide ad incert. u. 1334. — Simili ioco usus 'Q. Lucienus senator, homo quamuis humanus ac iocosus, introiens, familiaris omnium nostrum, "Synepirotae", inquit "chaerete"' ap. Varr. rer. rust. II 5, 1.

95. Iocus ita breuiter et exiliter narratur a Cicerone ut lectores omnes Ciceronis aequales gnaros fuisse fabulae illius putandum sit quae uix aliunde potuit innotescere nisi e Lucilii saturis. Rem ipsam ita enarrat Ellendtius in commentario p. 310 'Albucius Scaeuolam de repetundis accusauit, ad probanda uero ea quae Scaeuolae obiecerat Albii tabulas protulit. Scaeuola iudicum sententiis absolutus est: Albii igitur tabulas falsas fuisse iisdem sententiis iudicatum est. Granius igitur, quidam ex iis qui aderant, obiurgauit Albium, qui et gauderet Scaeuolam absolutum esse et non uideret contra suas tabulas iudicatum esse'. Granius Crassi erat familiaris (Cic. Brut. 43, 160) qui gener erat Scaeuolae, Albius ineptus fauebat uictori, Albucium amicum ut uictum contempsit. Granii in Albium aliquod facete dictum in uersus coniecerat poeta (uide lib. XI u. 411) qui periere.

III.

96. Porphyrio ad Hor. serm. I 5, 1: 'Lucilio ha[e]c satyra aemulatur Horatius iter suum a Roma Brundesium usque describens quod et ille in tertio libro fecit, primo a Roma Capuam usque, et inde fretum Siciliense.' Lucilii poema, qui geographorum Graecorum uidetur esse secutus exemplum, ante Horatium imitatus est Caesar poemate 'quod inscribitur Iter . . . dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et uicesimo die peruenit' (Suet. Caes. 56), singulorumque dierum XXIV spatia et opera Caesar ipse eodem modo uersibus exsecutus erat quo Horatius XV dierum. Eodem tempore Valgius in elegiis (FPR p. 343, 4 Baehr.) iter descripsisse uidetur factum in Gallia cisalpina. Post Horatium

Persius composuit hodoeporicon librum unum (uita Persii p. 59, 20 ed. Buecheleri), quo libro peregrinationem cum Paeto Thrasea factam aliquando (l. s. p. 59, 3) et Lucilii et Horatii imitator descripserat. Nihil huc pertinet Cornelii Balbi praetexta de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum lacrimosa (Cic. epist. X 32, 3. 5), qua ille potius Iliadis librum IX *πρεσβεία* qui nominatur imitatus esse uidetur. Seruatum simile est hodie Rutilii Namatiani de reditu suo poema in Galliam quod sicuti omnia quae enumeraui poemata initium capit ab urbe. Ante Rutilium Lactantius composuerat 'hodoeporicum Africa usque Nicomediam hexametris scriptum uersibus' (Hieronym. d. uir. ill. cap. 80 Lactant. ed. Brandt. uol. II p. 161), inter utrumque positum est Ausonii breue itinerarium Mosellae praepositum uu. 1—22, qui Treueris Bincum uenerat noua ad Rhenum munimenta uisurus. Denique Constantinus Manasses traditur Odoeporicum scripsisse senariis (Krumbacheri histor. litt. Byzant. edit. II p. 380). — Lucilium non animi delectandi causa et uoluptatum sed praedia sua Sicula qui uisurus sit peregrinatum esse intellegemus e u. 105. Roma qui Regium iter faciunt Capuam primum petunt omnes uia Appia: deinde duabus possunt uiis ingredi, aut Popilia itinere terrestri aut Puteolis maritimo (Cic. in Verr. II 39, 96). Capuam quin uia Appia petierit Lucilius dubitari nequit (uide ad u. 112): at uidebimus dubium eum fuisse utrum terrestri itinere per Lucaniam uia Popilia Capua Valentiam commearet, an Puteolis profectus nauigio urbem illam peteret: (uide ad u. 107). Veluti Cicero exul Siciliam et Melitam cum peteret, uia Popilia profectus est Valentiam (ad Att. III 2. 3. 4 pro Planc. 95), ubi consilium mutauit: scripsit ille ad Nares Lucaniae ad Att. III 2 'iter esse molestum scio, sed tanta calamitas omnes molestias habet' et pro Planc. l. s. 96 'tum consilio repente mutato iter a Vibone Brundisium terra petere contendi: nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo'. Quae uerba pertinent non solum ad illam quam dicit partem itineris, sed ad totum itineris cursum Capuae ab illo excogitatum. At longe plerique maritimo cursu iter inter Regium et Capuam, cuius portus Puteoli sunt habendi (Plaut. Rud. 631), conficiebant, Capua Romam Appia petebant. Veluti Paulus apostolus peruenit (acta apost. XXVIII 13 seqq.) . . . *εἰς Ῥήγιον. καὶ μετὰ μίαν ἡμέραν ἐπιγενομένου νότου δευτεραῖοι ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους . . . καὶ οὕτως εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθαμεν* i. e. uia Appia ut ex sequentibus apparet. Recte Procopius bell. Goth. I 14 *ἔστι δ' ἡ Ἀππία ὁδὸς ἡμερῶν πέντε ἀνδρὶ εὐζώνῳ*, i. e. altius succincto quam Horatius erat, qui serm. I 5, 5 se iter primum, quod erat Roma ad Appii forum, ignauum diuisisse refert tardusque non V sed VI consumpsit dies a Roma usque ad Capuam. Quod act. apost. l. s. Lucas refert *οἱ ἀδελφοὶ*

ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν ἦλθαν εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρι Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν, cum VII dies manserit omnino apostolus Puteolis, inde intellegas spatium VII dierum tabellarium fere consumpsisse ad nuntium de Pauli aduentu Romam perferendum. Totum igitur iter Regio Romam celerrime conficitur diebus II + V = VII: gloriatur P. Clodius Pulcher ap. Cic. ad Att. II 1, 5 'se ... septimo die uenisse a freto'. 'Carthaginiensium legatos de pace ad senatum uenientis Puteolis uisos, inde terra uenturos' tradit Liu. XXX 21, 11 et de Tito imperatore Sueton. Tit. 5 ... 'cum Regium, dein Puteolos oneraria naue appulisset, Romam inde contendit expeditissimus' e. q. s. (conf Cic. pro Planc. 65). Itaque Puteolis Lucilius iter fecit duorum uel trium dierum in Siciliam: oram Campaniae et Lucaniae eum legisse primo die dum Palinurum perueniat (u. 127) apparet, reliqua sunt incerta: uide ad u. 104. 144 quae adnotauimus. Cicero (ad Att. XVI 3, 6) soluit e Pompeiano, octauo demum die appellit Valentiam unde scribit ad Att. XVI 6, 1: 'Ego adhuc — perueni enim Vibonem ad Siccam — magis commode quam strenue nauigaui: remis enim magnam partem, prodromi nulli. Illud satis opportune, duo sinus fuerunt, quos tramitti oporteret, Paestanus et Vibonensis: utrumque pedibus aequis tramisimus. Veni igitur ad Siccam octauo die e Pompeiano, cum unum diem Veliae constitissem ... VIIII Kal. igitur ad Siccam: ibi tamquam domi meae scilicet: itaque obduxi posterum diem'. V Kal. Sextil. Regio cum scribat epist. VII 19, duobus huc nauigasse eum diebus planum est, ut nouem fere dies in tota nauigatione consumpserit. In tempore itineris statuendo id monendum est, aliquamdiu post bellum seruile Siculum i. e. post annum 622/132 Lucilium demum ausum esse prope ad insulam accedere. Neque eum hoc uoluptatis causa ausum esse probabile est neque sine armatorum et seruorum (uide u. 143) comitatu commodo. Nam infestissima antea erat peregrinatio illis regionibus auctore Diodoro excerpt. XXXIV et XXXV cap. 2, 28 Dind. *τὸ γὰρ πρῶτον ἐν τοῖς ἐπιφανεστάτοις τόποις τοὺς καθ' ἕνα καὶ δύο τὰς ὁδοιπορίας ποιουμένους ἐφόνευον* fugitiui et serui: conf CIL I 551 'praetor in Sicilia fugiteiuos Italicorum conquaeisiuei': sequebantur anno fere 650/104 Tryphonis et Athenionis tumultus seruiles de quibus Diodorus egit libro XXXVI cap. 1—11 Dind. Cicero denique Verr. II 99 'non ego a Vibone Veliam paruulo nauigio inter fugitiuorum ac praedonum ac tua tela uenissem' (conf V 39. 40. 87 seqq.). Vnde apparet etiam Ciceronis tempore illa pericula post Spartaci tumultum nondum plane sublata fuisse. Post annum autem 634/120 Lucilium iter Siculum ingressum esse ex libri II tempore licet statuere, ante annum 638/116 deducemur eis quae exposuimus ad lib. V u. 210 seq. Peculiarem quo 'C. Lucilii satirarum quae ex lib. III supersunt'

tractantur libellum scripsit W. A. Varges Sedini 1836. Libri III primi singulas unusquisque continuisse uidentur, non plures argumenti diuersi saturas.

97. Non. p. 475, 20 e grammatico' Partiret pro partiretur ... Lucilius lib. III "tu ... partisses".' Verba sunt prohoemii quo amico ad quem librum III misit de utilissimo itinere sese narraturum esse exponit: 'utinam tu', inquit, 'mecum fuisses, qui nunc partem laudis (conf ad Her. II 28, 45 "aliquam alteris partem laudis adtribuas" Cic. in Verr. V 2, 5 "ex eo bello partem aliquam laudis appetere") caperes, olim gaudia mecum in itinere partisses.' Per iocum poetam de laude itinere illo sibi parta, non serio dixisse consentaneum est, sicuti per iocum iter per montes Setinos comparat tamquam Alpium transitui u. 113.

99. Nonius p. 63, 5 e grammatico 'Est autem gruma mensura quaedam, qua fixa uiae ad lineam diriguntur, ut est agri mensorum et talium. Ennius lib. XVIII gruma derigere dixit degrumari ferrum. Lucilius lib. III "uiam *quae degrumauis ut* castris mensor facit olim".' De gruma siue groma agrimensorum instrumento uide Blumei Lachmanni Rudorffii Die Schriften der röm. Feldmesser II p. 336 CIL V 6786 H. Schoeneum Jahrb. d. arch. Inst. XVI 1901 p. 127 seqq. Profatur haec uerba poeta idem, qui uu. 103. 107 ut ex futuris *uidebis* apparet pertinentque omnia ista ad itineris praeparationem. Nam consilia comiti dantur a poeta, qui eum ut iter secum faciat, impellit: simili modo nescioquis Scipioni lib. XIV u. 466 'Carpathium mare transuectus cenabis Rhodi —' ubi uide quae adnotauimus. Quare *degrumabis* alia ratione intellegi nequit atque ea quae omnium est promptissima: nempe amicum illum poeta hortatur, ut mensoris functurus officio secum eat in Siciliam uiamque gruma aut publicam aut in praediis suis priuatam derigeret sternendam. Ipsum illud simile 'uti castris mensor facit olim' non patitur alio modo uerba poetae accipi. Neque enim *degrumabis* idem potest esse atque 'qua uia eatur indicabis', quia per auia non erat iturus poeta sed uiis stratis et factis; et ad mare quominus referamus *degrumabis* simili apposito castrensi impedimur. Itaque quae uu. 102 seqq. enumerantur itineris commoda, ea quasi parergon sunt itineris alia de causa suscipiendi. Viarum structurae populum Romanum Lucilii aetate operam inprimis dedisse indicat cum lapis uiae Popiliae CIL I 551 anni 622/132 tum Plutarchus in uita C. Gracchi capp. 6. 7, quem uias ille rectas egisse *διὰ τῶν χωρίων* et tr. pl. 631/123 *σπουδάσαι μάλιστα περὶ τὴν ὁδοποιίαν* refert; denique uia Domitia facta esse uidetur anno fere 634/120 (Cuntzius Polybius u. s. Werk p. 26), uia Caecilia facta a L. Caecilio cos. 637/117 (Huelsenus Notizie d. scavi 1896 p. 98), uia Aemilia strata a M. Aemilio cens. 645/109 (Strab. V

p. 217 auctore de uir. illustr. 72, 8), uiam Pompeiam incerti auctoris, in Sicilia prope fretum et Messanam urbem quae duxerit, Cicero memorat Verr. V 169, Valeriam quae Messana Lilybaeum uersus tendat Strabo VI p. 266. Fuit uia illa quam Lucilii comes iussus est degrumare aut in praediis prope fretum positis ut inde a Messana principium ceperit aut prope Dianae templum: qua de re certiora statuere non licebit. — castris] ablatiuus loci potius quam datiuus: uide ind. gramm. s. u. ablatiuus. — mensor] Polyb. VI 41 Marquardtii Mommseni enchirid. antiq. Rom. V² (1884) p. 418. — De *olim* uide ad lib. IV u. 168. VII u. 284.

101. Nonius p. 123, 25 'Incitas dicitur egestas. . . . Lucilius satyrarum lib. III "illud . . . *rediit* atque internecionem".' Quid sit illud quod ad internecionem redactum esse dicitur erui nequit: fortasse de bello fugitiuorum agitur quod cum plane confectum sit, nihil obstare exponit amico poeta quin ad fretum proficiscatur. Incita et internecio parhomoeon: uide ind. gramm. s. u. allitteratio.

102. Probus ad bucolica Vergilii p. 326, 17 H 'Facelitis autem Dianae Lucilius quoque in tertio satyrarum meminit sic "et . . . freta *messanam* (sic Parisinus Monacensis Vaticanus, hic in margine *messanae*) . . . facelinae (*fascelinae* Vaticanus) . . . dianae".' Loquitur poeta ipse, comiti suo qui exponat tamquam parerga itineris quod suscepturus sit secum amicus uiae faciendae causa ut exposuimus ad u. 99. Iuuat conferre Senec. consol. ad Marc. XVII 'si quis Syracusas petenti diceret "omnia incommoda, omnes uoluptates futurae peregrinationis tuae ante cognosce, deinde ita nauiga. haec sunt quae mirari possis: uidebis primum ipsam insulam ab Italia angusto interscissam freto . . . deinde uidebis . . . illam fabulosam Charybdim . . . uidebis celebratissimum carminibus fontem Arethusam"' e. q. s. Enumerat poeta quos locos ille secum uisurus sit ponitque primo *freta*, i. e. *fretum* quod petisse Lucilium Porphyrio (96) tradit: pluralem quod posuit id comparandum est cum *templa* u. 104 ('templa dei saxo uenerabar structa uetusto' Vergil. Aen. III 84; conf Ouid. fast. I 70). Neque enim ullo loco Vergilius adhibuit *fretum* singulare sed ubique pluraliter posuit *freta*. Etiam in miliario Popilii fretum est fretum Siculum CIL I 551 'ad fretum ad statuam'). Secuntur duo oppida ad fretum sita. 'Messanam . . . Regina moenia': conf Ouid. metam. XIV 8 seqq. de Glauco Siciliam relinquente: 'liquerat et Zanclen, aduersaque moenia Regi nauifragumque fretum' et u. 17 'litore in Italico Messenia moenia contra': de *moenia* docet Seru. auctus ad Aen. II 234 'urbis tecta uel aedes accipiendum'. Addit deinde Liparas, quas utrum adierit, incertum an tantummodo contemplatus sit e naui. Sed apparet, Liparis cum peteret Siciliam, hac uia Facelinae templa Dianae

posita prope Mylas Lucilium adiisse, quia ex Sicilia in illas insulas etiam hodie Mylis traiectus est commodissimus XIX fere m. p. (Strab. VI p. 277). De Dianae Facelinae templo Schneidewinus egit in libro 'Diana Phacelitis et Orestes apud Rheginos et Siculos' Gottingae 1832 Studniczka Mitteilungen d. d. arch. Inst. zu Rom III 1888 p. 295 seqq. Vibius Sequester in fluuiorum catalogo Geogr. Lat. min. p. 150, 24 Riesei '*Phaetelinus* (ita cod) Siciliae iuxta Peloridem confinis templo Dianae'. Quod templum prope *Ἀστεμίσιον πολίχνην βραχυτάτην* situm fuisse Appian. b. c. V 116 extr. edocemur: locum neque fama celebrem neque aliqua re memorabilem non memorasset poeta, nisi praedia eius prope hoc templum posita fuissent inter Facelinum flumen et Messanam. Eundem locum Silius XIV 260 spectat cum enumerans populos Siculos 'dedit . . . mille Thoanteae sedes Facelina Dianae' (conf Holmii hist. Sicil. I p. 345). Venisse igitur poeta uidetur maritimo itinere primo die Palinurum Puteolis, altero ad Vibonensem sinum, inde prope Liparas nauigando Artemisium petiit: inde rediturus Romam petiit Messanam, ubi commodius quam Artemisii nauem omni tempore potuit inuenire. In re incerta nos utemur itinerario quod Ouidius metam. XV 706 seqq. commode exhibet, dum nauis illius cursum describit, quae cauto et anxio remigio Aesculapii serpentem Epidauro Romam deuehat 'euincitque *fretum* Siculique angusta Pelori *Hippotadaeque* domos regis (i. e. Aeolias insulas siue Liparas), *Temesesque* metalla, *Leucosiam*que petit tepidique rosaria *Paesti*. inde legit Capreas *promunturiumque Mineruae*. De situ locorum uide Ricardi Kieperti form. orb. antiqui tab. XIX Berol. 1901.

105. Nonius p. 279, 18 e poeta ipso 'Deponere est desperare; unde et depositi desperati dicuntur. Lucilius satyrarum lib. III "Symmachus . . . *depositus* bubulcus *exalans* . . . agebat".' Idem p. 38, 26 ex grammatico 'Expirare dictum est uel ab spiritu effuso uel ab spiraminibus. Lucilius lib. III "exspirans . . . agebat".' In editione Lucilii qua utitur Nonius p. 279 glossa *exalans* expulerat genuinam lectionem quam auctor Nonii grammaticus seruauit p. 38: conf prolegg. p. CXII. Poeta meditatur de necessitate itineris futuri: bubulcum suum pthisicum et decrepitum esse animamque agere per litteras acceperat. Quare fundum suum se uisere debere quo rectius omnia fiant. Symmachi mortui successor fuisse uidetur ille bubulcus, quem memorat libro XV u. 512. Nomina Graeca indicant praedium poetae in regione Graeca, i. e. in Sicilia (uide ad XXVI u. 667) situm fuisse.

107. Nonius e grammatico p. 266, 26 'Conmodum, integrum, totum. Lucilius "bis quin *actogena* . . . atque CC".' Versum a Scaligero emendatum uerissime hic posuit I. Dousa. Quem ut intellegas, considerandum est non stadia, sed milia passuum dici

neque de itinere maritimo agi, quia Capua urbs est mediterranea neque uiam Appiam ueterem urbemue Romam his uersibus spectari posse, quia Capua abest Roma m. p. CXXXII: agitur igitur de uia Popilia et de itinere terrestri. Sed cum constet Lucilium Puteolis Palinurum nauigasse, pertineat oportet hoc fragmentum ad colloquium illud quod cum amico suo habuit, de quo exposuimus ad uu. 97—104: quo certiorem facit amicum quaerentem de cursu itineris et ratione. Quid deliberet, planum est uersu sequenti: satiusne sit terra an mari Capua petere fretum quaeritur (uide ad 96) monetque interlocutor, quot milia passuum inde a Capua sint dimetienda. Miliario Popilii (CIL I 551) adiuti facile locum inueniemus quem Capua m. p. CCL abesse dicit: nam punctum ponendum esse post hunc numerum sententiamque integram exire ideo statuendum est, quod Nonii auctor non debebat alterum istius uersus hemistichium addere, poterat contentus esse uerbis 'bis — te'. Quod si addidit, ea de causa addidit, quia sententiam uoluit praebere integram. Capua Cosentia abest m. p. CCVII, Vibo Valentia CCLXIV: significat igitur poeta locum m. p. XIV qui abest a Vibone uersus septentrionem, ubi uia Popilia primum mare tetigit, ubi angustissima Bruttia est terra, ubi sinu medio Vibonensi Sila mons incipiat: nempe inde potuit facile fieri traiectus Mylas (uide ad u. 104). Vibone cum absit forum Popilii m. p. CLXXX, ab eo quem modo significaui loco Bruttii abest m. p. CLXVI. Vt fiant CLXX i. e. *bis quina octogena*, m. p. IV septentrionem uersus progrediendum est a foro Popilii uia Popilia et adueniemus fere *Acerroniam* quem locum m. p. V abesse a Foro Popilii nuntiat tabula Peutingeriana: prope abest locus qui dicitur ad *Nares Lucanas* unde Cicero uia Popilia Vibonem et Siciliam cum peteret scripsit ad Att. III 2: uide Ricardi Kieperti formae orbis antiqui tab. XIX Berol. 1901. Dehortatur igitur Lucilius ne cursu terrestri fretum petatur a Capua: nam si uia Popilia iter facies, primum Capua ad Nares Lucanas uidebis esse m. p. LXXX, inde ad sinum Vibonensem ⟨confecisse ibi⟩ 'bis quina octogena uidebis commoda te, Capua CCL'. Aliam porro causam qua mari iter melius sit facere uersu exponit sequenti. — Signum CC, non litteras posui cum codd sicuti u. 114 et CIL I 34 in Saturnio 'annos gnatus XX' 1011 in pentametro 'XXXX annos nata necis potior'.

109. Nonius p. 489, 11 'Ab eo quod est labos labosum facit, non laboriosum, Lucilius satyrarum lib. III "praeterea . . . atque lutosum".' Delirat grammaticus: quantitates syllabarum eum ignorasse non mirabitur qui meminerit Aelium Donatum ad Vergil. Aen. II 798 pro *exilio* posuisse *ex Ilio* (Seru. l. s.) et 'contra metrum' III 636 'solum sub fronte latebat' intellexisse tamquam sit 'late patebat'. Labem et lutum pedestris itineris



Lucilii rell. ed. Marx. II.

dedignatur poeta: duo uocabula parhomoeo consociauit ut Cic. de domo 53 'labem atque eluuiem ciuitatis' (pro Sest. 20 'labi illi atque caeno'). A labes labosus ut a rabies rabiosus similia. Antea causas enumerauit Lucilius interlocutori, quare Capua uia Popilia fretum petere incommodum sit; quarum erat grauissima itineris longitudo dierum XII uel XIII cum multo breuior sit cursus maritimus possitque esse dierum tantummodo II (uide supra p. 46). Addit deinde iter labosum et lutosum esse. Similiter Rutilius Namat. I 35 'Iamiam laxatis carae complexibus urbis Vincimur et serum uix toleramus iter. Electum pelagus: quoniam terrena uiarum plana madent fluuiis, cautibus alta rigent.' Quodsi recte uu. 97. 98 interpretati sumus, maritimi quod maluit suscipere poeta itineris molestiis et periculis deterritus amicus ad quem scripsit librum noluit eum comitari.

110. Gellius XVI 9, 1 'Susque deque fero (conf Laber. CRF^3 p. 344, 29 R ''nunc tu susque deque fers'') ⟨*aut susque deque sum*⟩ (Lucilius l. i. s. Varro Sisenna p. 256 Riesei) aut susque deque habeo (Plaut. Amphitr. 886 ''atque id me susque deque esse habiturum putat'') . . . uerbum est ex hominum doctorum sermonibus. In poematis quoque et in epistulis ueterum (Cic. ad Att. XIV 6, 1 ''nam de Octauio susque deque'') scriptum est plurifariam . . . 3 Significat autem ''susque deque ferre'' animo aequo esse et quod accidit non magni pendere atque interdum neglegere et contemnere (Fest. p. 291 ''susque deque significat plus minusue'') . . . Laberius . . . M. Varro . . . Lucilius in tertio: ''uerum . . . Athones''.' — ibi] in cliuo Aricino. Agitur his uu. de itinere primi diei quod Lucilius non diuisit ut tardus Horatius (serm. I 5, 5). Immo altius succinctus milia confecit die primo inde a porta Capena usque ad Appii Forum XLIII uia Appia, quae prope Ariciam ascendens in altum grauis (Hor. l. s. 6) est iter facientibus. Cliuus Aricinus memoratur Val. Max. VIII 2, 4 '. . . quidam furti damnatus est, qui equo, cuius usus illi Ariciam conmodatus fuerat, ulteriore eius municipii cliuo uectus esset.' Peregrinantes illo loco cum tardiuscule iter facere cogerentur comitabantur mendici molestissimi (Iuuen. IV 117 'dignus Aricinos qui mendicaret ad axes blandaque deuexae iactaret basia raedae' ubi scholiasta ad *deuexae*] 'inclinatae, per cliuum descendenti': conf Martial. II 19, 3 XII 32, 10). Longe grauior uero uia erat euntibus 'ut Setinum accessimus finem'. Poeta satis iocose nimium extollit itineris duritiem montiumque asperitatem uersibus suis. Errant autem, qui arbitrentur uiam Appiam antiquitus non in campo et planitie, sed per montes ductam esse per Norbam Setiam Priuernum Fundos: quae sententia redarguitur cum nomine Fori Appii tum lapide uetustissimo miliario inuento ad Medias (Huelsenus Mitteilungen

des arch. Inst. in Rom IV 1889 p. 83. 84). — *Setinum* (112) id est Setinorum finem, ut Liu. XXXV 27, 9 'Laconici agri qui proximus finem Megalopolitarum est' quem locum Hertzius ad l. s. s. Gellii attulit: nam iocosius ita et gratius dictum esse uidetur quam si accusatiuum esse Setinum statuerimus licet Liu. XXXIV 56, 2 scripserit 'Lunensem primum agrum depopulatos, Pisanum deinde finem transgressos'. Aduenerat Lucilius uesperi ad Forum Appii quod situm est prope agrum Setinum: Plin. nat. hist. XIV 61 (uinum) 'Setinum . . . nascitur supra Forum Appi'; Martial. XIII 112 (IV 64, 33) 'Pendula Pomptinos quae spectat Setia campos'. Foro Appii Horatius serm. I 5, 7 'propter aquam quod erat deterrima uentri indicat bellum': ubi Porphyrio adnotat 'hodieque Foro Appi uiatores propter aquam quae ibi deterrima est manere uitant'. Item Lucilius uitans hospitium insalubre pendulam Setiam accessit ubi maneret noctem. Porro opus magis arduum et durum fuisse pendulam accedere Setiam quam cliuum Aricinum superare uersibus lepidissimus exponit uiator. Postridie in uiam Appiam reuersus iter perrexit sicuti Rutilius Namat. I 560 narrat sese in portu puppi relicta Pisas uectum esse, tum reuersum (615) iter maritimum continuasse. — ludus ibi susque omnia deque fuere susque et deque fuere inquam omnia ludus iocusque] rhetorum et Homeri imitator est hoc loco poeta qui climaca laudauerit incert. u. 1133. Alexander RG VIII p. 445 W III p. 20 Sp Tiberius l. s. p. 555 W p. 71 Sp eiusmodi figuram epanalempsin nominant Caecilium secuti addito exemplo Homeri Y 371 *τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν, εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ*: conf X 127 *τῷ ὀαριζέμεναι, ἅ τε παρθένος ἠίθεός τε, παρθένος ἠίθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιιν.* Susque deque fuere uulgaris locutio comparari potest Graecae illi quae est apud Platonem Theaet. p. 153 D *καὶ γένοιτ' ἂν τὸ λεγόμενον ἄνω κάτω πάντα* ubi scholiasta Menandri uerba affert CAF III p. 147, 514 K. Quamquam Graeci prouerbium adhibent *ἐπὶ τῶν τὴν τάξιν μεταστρεφόντων* (Naberus Mnemosyn. XXVIII 1900 p. 357 seqq.), Latini de eis, quae quia parum refert susque sint an deque nulloque detrimento possint misceri et commutari parui sint pendenda uel nihili: Graecorum usui propius est exemplum ex Plauti Amphitruone l. s. s. allatum. Susque deque asyndeton est ut *ἄνω κάτω* neque eodem modo accipiendum quo *populusque patresque:* qua in locutione *que* idem est atque *que* illud in quis*que* uter*que* abs*que,* ita ut Lucilius potuerit scribere *susque et deque* sicuti *hodieque* inde a Vellei aetate (Draegeri syntax. l. L. hist. II^2 p. 46) usurpatur scripsitque Plinius nat. hist. VIII 176 'praegrandes itaque fuere et hodieque reliquiae stirpium durant'. — 111. ludus iocusque] Plaut. Merc. 846 uersus exit in 'laetitiam ludum iocum (Capt. 770); Terent. Eun. 299 'hic uerost qui si

occeperit ludum iocumque dicet fuisse illum alterum' ubi Fabia affert Liu. XXVIII 42, 2 'ne tibi, P. Corneli, cum ex alto Africam conspexeris, ludus et iocus fuisse Hispaniae tuae uidebuntur'. Grammaticus qui Plauti epitaphium confecit Lucilii heroum aemulatus esse uidetur (Gell. I 24, 3) 'dein risus ludus iocusque et numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt'. 112. illud opus durum] uerbum substantiuum omissum (uide ind. gramm. s. u. ellipsis) cum subiectum sit pronomen ut saepe. Item omittitur uerbum substantiuum in u. sequenti. 113. aigilipes] ita recte scripsit Franckenus, neque enim probabile est poetam uocabulum Homericum soloece detorsisse. Tradita defendit Loeweus, qui prodr. glossarum p. 337 affert glossam Amplonianam CGL V p. 339, 16 'aegilipon saxum eminens ingens quo nec capellae possunt ascendere'. Sed glossam hanc ad Lucilium spectare ne potuit quidem Loeweus probare. Quam si contuleris cum Apollonii lex. Homer. p. 14, 31 *αἰγίλιπος πέτρης* (Hom. I 15) *τῆς οὕτως ὑψηλῆς ὥστε καὶ αἶγα μὴ ἐπιβαίνειν* et Orionis (in EM s. u.) *εἰς ἣν καὶ αἶξ οὐ δύναται ἀναβῆναι*, ad Homerica studia potius quam ad Luciliana eam pertinere concedes. Gellii librarii saepe Graecis litteris exprimere sese studuerunt Graeca poetamque male lacerarunt: conf quae scripsimus ad lib. I u. 15 V u. 186. — asperi Athones] creticum uocabulum contra leges *τῶν νεωτέρων* elisum: conf L. Muelleri d. r. m.^{2} p. 342. Athonem ut montem ingentis magnitudinis celebrat Sophoclis uersus (TGF^{2} p. 299, 708 N) qui prouerbi loco habebatur *Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός*. Sed Aetnam ut montis ingentis exemplum memorat iam Plautus Mil. u. 1065 corrupto in codd 'tum argenti montis, non massas, habet (Aetna [mons] ⟨*est*⟩ non aeque) altos'.

114. Iulius Romanus apud Charisium GL I p. 203, 20 K 'Longe pro longitudine. Lucilius saturarum III "longe III mil. passuum". Coelius historiarum I (HRF edit. Lips. 1883 Peteri p. 101, 15) "duodeciens C milia passuum longe".' Quae uerba Coelii intelleguntur comparato Polyb. III 39, 11 *ὥστ' εἶναι τοὺς πάντας ἐκ Καινῆς πόλεως σταδίους περὶ ἐννακισχιλίους οὓς ἔδει διελθεῖν αὐτόν*. *Longe* aduerbio simili modo utitur Caesar b. G. V 47, 5 'copias Treuerorum tria milia passuum longe a suis castris consedisse'; VII 16, 1 'locum castris deligit paludibus siluisque munitum ab Auarico longe milia passuum XVI'; b. c. II 37, 3 'comperit minus V et XX milibus longe ab Vtica eius copias abesse'. Rettulit ad hunc locum Lucilii I. Beckerus Philol. IV 1849 p. 82 seqq. [Asconium] ad Cic. Verr. act. II lib. I 125 p. 193 Bait. 'C. Sulpicius Olympus fuit] uetus locutio "eminus est Vulturnus Capua tria millia passuum".' Quod scholion illo loco Tullii quid sibi uelit, quo spectet, satis intellegi nequit. Atque Lucilii uersum contineri uetusta ista locutione probabile non est si hemistichium Charisii comparatur. Nam et deest illud *longe* et deleto *est* aut uerbis transpositis legitimus exit herous hic 'Vulturnus Capua eminus est tria millia passum'. At probabile est Lucilium illo hemistichio narrasse sese Casilino Capuam usque III milia passuum longe uectum esse uia Appia: abest enim tot milia Casilinum ad Vulturnum situm Capua urbe: conf Huelsenus in Paulyi Wissowae encyclop. s. u. Appia uia.

115. Nonius p. 396, 12 'Sumere etiam significat eligere. Lucilius satyrarum lib. III "et . . . sumemus".' *corpori* recte Dousa: i elisa ut asperi u. 113; conf Plaut. Stich. 70 'exorando haud aduersando sumendam operam censeo'. Capuam cum aduenisset, ibi poetam aliquot dies mansisse ubi corpus curaret probabile est eis quae Porphyrio refert (96) et quae exposuimus ad u. 117. — honestum] pulchrum, magnum, bonum, amplum: uide ad u. incert. u. 1161.

117. Nonius p, 25, 27 '*Bronci* sunt producto ore et dentibus prominentibus. Lucilius satyrarum lib. III "*broncus nouit lanus* . . . rinoceros".' Priscianus GL II p. 217, 8 K 'Lucilius in IIII Aethiopus dixit pro Aethiops, "rinocerus uelut Aethiopus".' 'Recte haec coniunxit Fr. Dousa. hinc Horatius duxit illud [serm. I 5, 56] *equi te Esse feri similem dico. Bronchus* Graecum est, guttur. *Bouillanus* egregie Turnebus in aduersariis XVII 24'. Haec Lachmannus: quem id recte statuisse statuendum erit aut scurrarum aut quod probabilius gladiatorum certamen maledicorum simile Horatiani illius de quo nuper egit A. Dieterichius Pulcinella p. 94. 237 narrasse Lucilium hoc libro: similem de hoc fragmento Vargesius protulerat sententiam de Lucil. lib. III p. 7. Sed recte coniunxisse Dousam hoc Nonii fragmentum cum illo Prisciani aegre credas. Nam et potuit bis Lucilius rinocerotem memorare et in simili qui item conuicia sibi ingerant gladiatorum certamine libri IV (u. 153 seqq.) potuit sane esse locus illius fragmenti. Codd Prisciani denique omnes librum IIII testantur: nam quod *L* Hertzii VII, *K* VIIII praebent soli, hi numeri quomodo nati sint ex IIII non difficile est cognoscere. Itaque suo iure dixerit quispiam non Priscianum, sed Nonium esse corruptum illis locis et esse duo ea fragmenta libri IV, neutrum libri III. Neque *Bouillanus* quod Turnebus inuenit in litteris corruptis *nouit lanus* possumus tantopere admirari, quod neque credibile est Bouillis i. e. X m. p. ab urbe poetam pausam fecisse itineris neque Bouillanum quendam gladiatorem uel scurram alio uenisse qui conuiciis certaret. Immo Capuae apud hospitem hanc pugnam gladiatorum esse actam multo est ueri similius et uidetur latere in *nouit lanus* Campani nominis *Nouius* (CIL I 571 Liu. IX 26, 7) genetiuus casus ita ut gladiatoris nominetur dominus Campanus sicuti fieri uidemus in inscriptionibus

(Dessauii inscr. sel. 5161 a seqq.). Veluti potuit scribere poeta 'broccus Noui ⟨*Ae*⟩clanus: "dente aduerso eminulo hic est rinoceros!"' *Aeclanus* ut eodem modo et dictum et in codd corruptum sit quo *Aeserninus* lib. IV u. 149. — *broncus,* quod Graeco βρόγχος comparat Lachmannus, errore Nonii natum esse arbitror: neque enim alias extat hoc uocabulum in litteris Latinis et melius quam Nonii codd seruauit ueram lectionem glossarium CGL V p. 443, 28 'brocci sunt producto ore et (*orei* codd) dentibus prominentibus' 40 'brocca labrosa' p. 272, 28 'broccus qui labrum superius tumidum habet' II p. 31, 20 'brochus ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ᾠδηκώς'. De dentibus *eminulis* canum Varro rer. rust. II 9, 3 idem adhibet adiectiuum '... debent esse ... mento suppresso et ex eo enatis duobus dentibus dextra et sinistra paulo eminu*lis*, superioribus derectis potius quam brocchis'; idem II 7, 3 de dentibus equorum 'praeterquam cum dentes sint facti brocchi' quem locum exscripsit Plin. nat. hist. XI 169 'senectus in equis ... intellegitur dentium brocchitate', cum Columella VI 29, 5 equorum senescentium dicat 'dentes prominere'; uide Keilii commentar. p. 186. Foersteri Script. Physiogn. I p. 427, 8 *Φιλολοιδόρου σημεῖα· τὸ ἄνω χεῖλος μετέωρον καὶ τὸ κάτω προπετές ... ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς κύνας· ἴδοι δ' ἄν τις καὶ ἐπὶ τῶν γεγηρακότων ἵππων* p. 36, 11 *Φιλολοίδοροι· οἷς τὸ ἄνω χεῖλος μετέωρον καὶ τὰ εἴδη προπετεῖς*, quibus locis agitur de ringentibus. Sed recte glossaria illa quae broccus uocabulum ad labra pertinere edocent: ita enim Plinius refert nat. hist. XI 159 'labra, a quibus Brocchi, Labeones' et significat proprie brocchus *productus* uel *eminens labro superiore,* transfertur a Varrone a labris ad dentes, cum nusquam id adhibeat omisso substantiuo *dens:* brocchus igitur est qui labrum superius tumidum habet ponitur que hoc adiectiuum solum apud Plautum Sitellitergo (Fest. p. 375) Lucilium l. s., ut cognomen apponitur gentibus Romanis. Quid cognomen sibi uelit gladiatoris Luciliani, Scriptor Physiognomicus I p. 64, 14 F explicat *οἵ δὲ τὰ χείλη παχέα ἔχοντες καὶ τὸ ἄνω τοῦ κάτω προκρεμάμενον μωροί· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ὄνους* (conf quae adnotauimus ad incert. u. 1299) *τε καὶ πιθήκους* = II p. 228, 7 *χείλη παχέα καὶ μάλιστα τὰ ἄνω μωρίας σημεῖον.* Cuius aduersarius apud Lucilium non brocchos habet omnes dentes, sed unum tantummodo aduersum eminulum (conf lib. IX u. 337 XVII u. 546): quare rinocerota eum dixit aduersarius a cornus similitudine quod habet istud animal naso superimpositum. — Animaduertendum est Lucilium uetustissimum esse scriptorem Latinum qui de hoc animali mentionem fecerit: inter Graecos primus nonnulla de hac bestia uidetur tradidisse Artemidorus Ephesius Lucilii senis aequalis apud Strab. XVI p. 774. Artemidori narrationes exhibent Aelianus hist. an. XVII 44 Plin. nat. hist. VIII 71. Inprimis illa aetate

bestiae Aegyptiacae Romae inter Lucilii amicos innotuere Scipionis Aemiliani itinere Aegyptiaco de quo egimus ad lib. XIV u. 464. Praeterea memorabile est Lucilii fere tempore Campanos picturas Africanarum multum habuisse in deliciis sicuti ex lithostrotis domus Fauni Pompeianae intellegitur. In quibus Aegypti portenta depicta exstant hippopotamus crocodilus ichneumon aelurus alia: rhinocerotis imago exstat in anaglypho quod exhibetur Mus. Borbon. XIII tab. XXII et in nummo Domitiani Imhoof Blumeri O. Kelleri Tier- und Pflanzenbilder auf Muenzen tab. IV 8 (conf XIX 46), denique elephantocamellos commemoratur incert. u. 1126 cercopithocos 1321. — hic est] idem heroi exitus Pers. I 28 dicier 'hic est': hominis istiusmodi effigiem exhibet statua apud Wieselerum monum. theatr. tab. XII 11.

119. Nonius p. 217, 14 'Posticam feminino genere consuetudine appellamus. Lucilius satyrarum lib. III "non ... *uirum ... protundit*"' (profundit *deteriores*, profudit *Bentinus*). Recte hunc u. cum superiore conuicio scurrae attribuit Lachmannus comparatque Dousa Sulpiciae u. 36 qui est de Domitiano 'non trabe sed tergo prolapsus': similiter Eubulus in aenigmate CAF II p. 202 K *ἀνθρώπους τίκτον κατὰ τὴν πυγὴν ἕν' ἕκαστον.* Profundere uerbum iam in codd nonnullis Nonii recte restitutum explicat Seru. Aen. VIII 139: 'fudit autem non iniuriose dictum est, ut in Pisonem "quae te beluam ex utero, non hominem fudit' (Cic. in Pis. fragm. 14 ... mater pecudem ex aluo, non hominem effuderit), sed celeritatem parientis ostendit".' Lucr. V 225 'cum primum in luminis oras nixibus ex aluo matris natura profudit'.

120. Priscianus GL II p. 501, 10 H 'Deponentia in rior desinentia, orior et morior, tam secundum tertiam quam secundum quartam coniugationem declinauerunt auctores. ...: Lucilius in III "conturbare ... adoritur".' Contulit cum hoc uersu Gerlachius Lucretii III 515 'commutare animum quicumque adoritur et infit' neque tamen recte L. Muellerus hunc Lucretii uersum apud Priscianum censet exstare male a librariis uexatum: longe enim inter se differunt 'potis est' illud et hoc 'et infit'. Audimus alterum gladiatorum uociferantem 'ego incipiam, nam quicumque adoritur, is potest, dum se minus timidum praestat quam aduersarius qui exspectet pugnae exordium segnior, facile conturbare animam inimici impetu ualido. 'Conturbatus animus non est aptus ad exsequendum munus suum' Cic. Tusc. III 15: idem de offic. III 40 'Incidunt multae saepe causae, quae conturbent animos' Lucret. III 499 'desipientia fit qua uis animi atque animai conturbatur (IV 943)'. Imitatus denique esse uidetur Lucretius III 483 hemistichium Lucilii his uu. 'uemens uiolentia uini conturbare animam consueuit corpore in ipso'.

121. Donatus ad Terentii Phormionem I 3, 11 'Amore abundas Antipho. Abundare dicitur qui successu prospero affluit. Lucilius libro tertio "ille alter (autem *RCO*) . . . septem in *locum his pinnis* r. a. r. *p*".' Scholiasta Iuuenalis III 158 'inter Pinnirapi cultos iuuenes'. 'Aut ideo pinnirapos, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucilius "cum septem . . . se".' Describi patet pugna gladiatoria sicuti lib. IV u. 149 seqq. Hanc quoque Capuae commissam esse probatur eis quae Strabo V p. 250 extr. de Campanis refert *ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐξετρύφησαν ὥστ' ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν τῶν* ⟨*συν*⟩*δείπνων ἀξίαν* (Liu. IX 40, 17 Sil. XI 51—54): idem de Romanorum moribus tradit Nicolaus Damascenus ap. Athen. IV p. 153 F. Pinnis galeas ornare Samnitium morem uetustissimum esse picturae tradunt uetustae Paesti repertae (Monum. del. inst. VIII tab. XXI 1) ubi ducis galea quinque pennis est exornata, quae pictura in ridiculum est detorta in uasculo apud Tischbeinium Vases of Hamilton II tab. LVII Dieterichium Pulcinella p. 239; tribus pennis praedita est galea militum Samnitium in picturis Paestanis Bullet. archeol. Nap. n. s. IV tab. IV—VI eodemque modo Romanorum militum galeam ornatam fuisse auctor est Polybius VI 23, 12; duabus pennis ornata est Martis galea teste Valer. Maxim. I 8, 6 extr. et Enyalii in uasculo Graeciae exoticae apud Baumeisterum Monum. antiqu. class. 1828, item uexillariorum in pictura Paestana illa duorum; Herculis furentis denique in Assteae uasculo apud Baumeisterum l. s. 732. Quinque pinnis modo ita intellegendus sit uersus, galeae gladiatorum ornatae esse uidentur etiam hic apud Lucilium. Samnites proprie ita exornatos fuisse tradit Varro de l. L. V 142: '. . . moerus. Eius summa pinnae, ab his, quas insigniti milites in galeis habere solent et in gladiatoribus Samnites'. (P. I. Meieri de gladiatura Romana p. 8. 15.) Monet Gerlachius apud Apuleium de magia cap. 103 extr. tangi uersum Lucilii his uerbis 'si philosophiae honorem, qui mihi salute mea antiquior est, nusquam minui, immo contra ubique si cum septem pennis eum tenui'. Rapiuntur igitur alteri Samnitium pennae nonnullae, alter non solum suas seruat incolumis, sed ut pinnirapus pennis abundans exit e scaena. Abundans igitur non est gaudio abundans et exsultans, sed abundans pennis: nam si alteri rapuit; ille minus pennarum gestans, hic plures exit. Quinque igitur et uictum et uictorem pennas primitus habuisse, duas illi ereptas, ut uictor incolumis cum septem pennis abiret, probabiliter statuemus; conf Cic. Verr. III 9 'hoc cuiquam ferendum putas esse, nos ita uiuere in pecunia tenui . . . istum rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere atque abundare?'

123. Paulus ex Festo p. 122 M 'Minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit

totius orbis terrarum; cui successit postea Puteolanum, quod municipium Graecum antea *Dikiarchia* uocitatum est. unde Lucilius "inde *diciarchicū* . . . minorem".' ¦ Capua proficiscitur Puteolos quod uocabulum uersus herous non capit uia Campana consulari (Plin. nat. hist. XVIII 111) iter facturus m. p. XXI. Puteolos nomen herous non capit: quare nomine Graeco urbem appellat: quod nomen cum metrum non respuat — potuit enim scribere 'inde Dicaearchitum urbem Delumque minorem' — alia causa commotus uidetur mutasse, ut urbem non *Δικαιαρχίαν* sed *Δικαρχίαν* diceret. Qui secuti sunt Lucilium hanc breuiorem formam ponentes in carminibus Statius Neapolitanus (silu. II 2, 3 ubi uide Vollmeri adnot.) Silius VIII 533 alibi, qui teste Plinio epist. III 7 in Neapolitano suo obiit, ut Lucilius, Petronius 120, 68 qui Cumis mortuus est, isti poetae omnes illis regionibus domicilium habebant ut Lucilius senex: quare uulgarem quandam formam illis regionibus tritam eos credas consulto adhibuisse. Corripitur *αι* in *δίκαιος* adiectiuo ita ut *δικαίαν* sit pro anapaesto in epigrammate Attico apud Kaibelium Epigr. Gr. 95, 3: conf E. Hoffmannum Syllog. epigr. Gr. 148 ad u. 3 et Plaut. Mil. 436. Genetiuum Diciarchitum praebet uetus editio glossarii Salomonis apud Loeweum gloss. nom. p. 232: breuiorem formam Dicarchitum commendarunt R. Vngerus L. Muellerus. Qui genetiuus par est illorum Phaselitum Cic. de leg. agr. II 50 Metropolitum Caes. b. c. III 81, 2 (conf Neueus de formis l. L. I^3 p. 34): *Δικαιαρχῖται* audiunt Puteolani apud Polybium Lucilii aequalem III 91, 4. Egregie poeta emporii multitudinem et turbas expressit uocabulo populos: epicum uersus charactera esse monet Gerlachius qui comparat Vergil. Aen. VI 588 'per Graium populos mediaeque per Elidis urbem ibat ouans'. Quem uersum secutus suppleas ueluti 'transimus': conf Cic. Att. IX 3, 1: 'Domiti filius transiit Formias VIII Idus currens ad matrem Neapolim'. Puteoli Hannibalicum 'per bellum coeptum frequentari emporium' (Liu. XXIV 7, 10), illo tempore Capuae tamquam portus est (Plaut. Rud. 631 'eamque euenturam exagogam Capuam saluam et sospitem' i. e. Cyrenis). Strabonis aetate *ἡ δὲ πόλις ἐμπόριον γεγένηται μέγιστον* (V p. 245 extr.) quod scite Lucilius appellauit Delum minorem: nam Delos *ἐμπόριον μέγα καὶ πολυχρήματον* (Strab. XIV p. 668 extr.) quod *ἔτι μᾶλλον ηὔξησε κατασκαφεῖσα ὑπὸ Ῥωμαίων Κόρινθος· ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι* (Strabo X p. 486 init.). Minorem dixit secundum dicendi consuetudinem Latinorum, cum Graeci dicant *ἡ μικρὰ Ἰλιάς ἡ μεγάλη Ἑλλάς*, sicuti dicitur Scipio Africanus minor primusque Orosius I 2, 26 scripsisse uidetur Asia minor, Plinius nat. hist. IV 67 quem locum adfert Vargesius Naxum insulam 'Siciliam minorem' refert esse appellatam quam Graece Agathemerus (Muelleri Geogr. Gr. Min. II p. 486, 4) dicit

Σικελίαν μικράν. Puteolis profectus una die uoluit peruenire Palinurum, altera inde petere regionem Vibonensem, tertia fretum: Palinurum reuera media nocte peruenit mari tranquillo (u. 127).

124. Gellius I 16, 2 et ex eo Macrobius Saturn. I 5, 6 '. . . Lucilius in tertio satyrarum "ad portam . . . exinde (*sex inde* Macrobius) Salernum (*salternum* codd Gellii). mille, inquit, est, non mille sunt".' Innumeros criticorum emendandi conatus huic uersui adactos sedulo ut adsolet enumerat Hertzius Gellii l. s. s. At mirandum est temptasse uiros doctos *portam* et *porta* quae testantur utriusque scriptoris codd: *sex inde* Macrobius ipse peruerse scripsit caecuttiens oculis uel dormitans. Mille enim passuum non distat oppidum ab oppido: una tantummodo Marcina prope Salernum posita (Strab. V p. 251 med.) poterat memorari a poeta, sed ne hanc quidem memorari credibile est, quia remis promontorium Mineruae superat petitque Salernum mari non terra poeta u. 125. Itaque cum u. antecedenti uiderimus transire Lucilium Puteolos, par est hoc uersu eum dixisse mille passuum esse iter per urbem a porta Capuana ad portam marinam (*τὴν κατὰ τὸ ἐμπόριον πύλην* FHG II p. 261, 2) neque uideo quomodo huic interpretationi aduersetur aut regio Puteolana ipsa aut Pompeiorum oppidi minoris mensurae angustiores quod oppidum transire solebant a porta Herculanea intrantes, exeuntes per Stabianam. Scripsit igitur poeta 'inde Puteolos transimus et homines et oppidum quod iter est mille passuum, cum porta Capuana ingressi eximus porta marina. Exinde Salernum. Supplendum est *sumus profecti* quo de genere ellipsis conf Draegeri syntax. hist. l. L. I² p. 200. Soluerunt mari tranquillo tempestate serena uento nullo: qua de re uide u. 125.

125. Seruius auctus ad Aeneidos I 244 'fontem superare Timaui'. 'Superare nauticus sermo est. Lucilius "promontorium … Mineruae".' Soluerat poeta Puteolis: iam inter Capreas et oram nauigans Surrentini litoris flectit Mineruae promontorium, *τὸ Ἀθήναιον, ὅ τινες Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον καλοῦσιν· ἔστι δὲ ἐπ' ἄκρῳ μὲν Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἵδρυμα Ὀδυσσέως· διάπλους δ' ἐνθένδε βραχὺς εἰς Καπρέας νῆσον* (Strab. V p. 247). Confert Gerlachius Ouid. met. XV 709 'inde legit Capreas promontoriumque Mineruae'. De mensura et etymologia uocabuli *promontorium* uide L. Muellerum d. r. m.² p. 302. Idem iter nauium Alexandrinarum Puteolos quae petant describunt Statius silu. III 2, 22 'prima Dicarcheis Pharium grauis intulit annum, prima salutauit Capreas et margine dextro sparsit Tyrrhenae Mareotica uina Mineruae' et Seneca epist. 77, 2 'cum intrauere Capreas et promontorium ex quo "alta procelloso speculatur uertice Pallas"' (Baehrensii FPR p. 359, 24). Mari tranquillo malacia inuitante Lucilium Puteolis profectum cognoscitur uocabulo *remis:* neque iniquiore poetam tempestate postea usum

esse uersu efficitur 127, quo media nocte eum Palinurum remis uenisse se testatur: *ὁ δεύτερος πλοῦς ἐστι δήπου λεγόμενος ἂν ἀποτύχῃ τις οὐρίου κώπαισι πλεῖν* Menander CAF III p. 69, 241 K. Similiter Cicero ad Att. XVI 6, 1 'magis commode quam strenue nauigaui; remis enim magnam partem, prodromi nulli . . . duo sinus fuerunt, quos tramitti oporteret, Paestanus et Vibonensis' e. q. s. Petere poetam Salernum intelleximus u. 124: hinc tendit ad Silari ostium.

126. Probus ad Vergilii georg. III 146 p. 381, 15 H 'Silarus flumen est Lucaniae. portus Alburnus et eiusdem nominis mons ad sextum a Primis (*parmis* Parisinus) tabernis. mentionem facit Lucilius hoc uersu "quattuor hinc *ad Silari flumen* portumque Alburnum".' Hinc, i. e. Salerno remigando nauis ad ostium Silari fluuii, cui proximus est portus Alburnus, quattuor horis peruenit: nam diei aliquod spatium *quattuor* numero indicari colligemus u. 127 ubi legitur 'media nox'. De portu Alburno Cluuerus in Ital. antiq. II p. 1254 (quem locum adfert Gerlachius) 'portus Alburnus haud dubie eodem fuit situ ubi nunc est traiectus inferior fluminis III circiter milia a mari: quippe in laeua amnis ripa ueteris siue templi siue castelli ruinae etiam nunc uulgari uocabulo incolis dicuntur *Alfurno*': conf Nissenus Ital. Landeskunde II 2 p. 892. Gratum fecit quod hanc famam solus nobis seruauit geographus cui auctoritatem et fidem derogare par non est. *Silari ad flumen,* ut Pind. Olymp. IX 27 *Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον*: non est genetiuus epexegeticus neque hic neque eis locis, quos Draegerus synt. l. L. hist. I² p. 466 congessit; quibus ubique *flumen* Himellae (Vergil. Aen. VII 714) uel *amnis* similia inuenitur scriptum, nusquam *fluuius.* Spondeiazonta excusat nomen proprium sicuti incert. u. 1260.

127. Seruius auctus ad Aeneidos X 244 'Alii more antiquo lux pro luce accipiunt. Lucilius in tertio "hinc . . . nox", pro nocte".' Mari tranquillo et tempestate serena inde a portu Puteolano usque ad Palinuri promontorium procellosum usum esse poetam inde cognoscitur, quod remis ex parte potuit nauigare et usque ad mediam noctem. Quod non fecisset, nisi aequore tranquillo fuisset et placido securus; etenim *ὠδῖνα τίκτει νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ.* Neque tamen ausus est procedere in altum: sed primum legit oram Campaniae usque ad Silari ostia, deinde Lucaniae: postquam ad Leucosiam promontorium superauit, Veliam peruenit, *hinc* media nocte remis Palinurum. De hoc promontorio procellis periculoso uide interpretes ad Horat. carm. III 4, 28 et Vellei. II 79, 3: fuit portus (Dionys. Halic. archaeol. I 53, 2 *κατὰ λιμένα τὸν Παλίνουρον*) memorabilis ea re, quod ex eo 'sinu recedente traiectus ad Columnam Regiam C m. p.' (Plin. nat. hist. III 71). Prope portum oppidulum fuisse consentaneum est et

testatur Mela II 69 'Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen'. Mansit opinor poeta in portu Palinuri neque post mediam noctem fatigatus cursum perrexit: quae de hospitio sordido et pauperculo uu. 131—135 enarrauit, ea optime conueniunt oppidulo modico, Lucaniae horridis et desertis regionibus posito. *Media nox* pro *nocte* scripsit imitatus per iocum XII tabularum legem (uide ad lib. XVII u. 552), in qua legebatur illud 'si nox furtum factum sit' (Macrob. Sat. I 4, 19) neque tamen cum hac dicendi consuetudine potest comparari *pernox* adiectiuum simili ratione adhibitum aetate posteriore. De monosyllabo posito in exitu hexametri uide indic. gramm. s. u. monosyllabon.

128. Priscianus GL II p. 209, 6 K 'Et sciendum quod quinque inueniuntur in o terminantia quae faciunt in a feminina, ut leo leaena uel lea, draco dracaena, leno lena, caupo caupona, quod significat tam ipsam tabernam quam mulierem. Lucilius in III "caupona . . . syra".' Omnia Palinuri media nocte somno et sopore erant sepulta atque desperantes hospitium casulas oppiduli accedunt. Copa tamen una Syra audierat remorum sonitum nauticumque clamorem: experrecta soleas induit aperitque fores tabernae. Iure clamasse Iuuenalem III 62 '*iam pridem* Syrus in Tiberim defluxit Orontes et . . . tympana secum uexit et ad circum iussas prostare puellas' hic uersus testatur: copa Syrisca Palinuri inuitat Lucilium poetam sicuti Vergilium clarissimo illo carmine cuius memor fuit Dousa cum hunc u. ederet: adde titulum Syracusanum in Dittenbergeri syllog. ed. II 901 Δεκομία Συρίσκα πανδόκια χρηστὰ χαῖρε. Syrum et mastigiam memorat Lucilius lib. XXVI u. 669, Syrophoenicem et faeneratorem XV u. 497: Puteolis Syrorum tabernas et horrea fuisse inscriptiones testantur (Mommsenus nuntiis societ. Saxon. class. philol. hist. 1850 p. 57 seqq.), testatur Trimalchio Trimalchionisque amici (Petron. 75. 44): duces belli seruilis in Sicilia Syri fuere Eunus, Syrus eiusque uxor quam reginam appellabat, et Sarapio, Tauromenii proditor (Diodor. excerpt. libri XXXIV. XXXV 2, 5. 16. 21). Caupo Syrophoenix memoratur ap. Iuuen. VIII 159. 160: 'cauponum dolo Iudaicorum miscent aquam uino' Gaudentius Mignei Patrol. Lat. Ser. I tom. XX p. 985 C.

129. Nonius p. 21, 1 'Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat. Lucilius satyrarum lib. III "cernuus . . . honestas".' Paulus ex Festo p. 55 M '*Cernuus, calciamenti genus*'. Isidorus orig. XIX 34, 13 '*Cernui socci sunt sine solo*'. 'hoc quod Scaliger a Verrio Flacco ex uersu Lucilii male intellecto detortum censet, non debuit aliis credibile uideri. facilius dicam Nonium in uersu Lucilii exponendo peccasse, ut peccauit alio eiusdem poetae uersu ex libro XXVII (703) huc relato. sed cum Paulus et Isidorus Lucilii nomen non habeant, hic noster uersus quo-

modo intellegendus sit dici non potest'. Haec Lachmannus, quem de Nonii errore in Lucilii uersibus duobus commisso recte arbitror iudicare. Qui cum afferat Vergilii u. Aen. X 894 'eiectoque incumbit cernuus armo', ubi Seruius similem atque Nonius adnotauit interpretationem, male duos illos Lucilii uersus, in quibus *cernuus* uocabulum extabat, in eundem locum redegit. Illud Vergilii uocabulum, cuius dubito an affinis sit glossa CGL II p. 100, 2 cernulus πεταυριστής, longe aliud est atque illud quod bis posuit Lucilius; quamquam si recte grammatici explicant cernuum esse equum, qui cadit in faciem uel qui terram cernat, similis de socco uel calceo, qui terram calcat, explicatio admissa idem uerbum duas res diuersas significasse poterit suadere. Sed quod Verrius et Suetonius in libro περὶ . . . ἰδέας ἐσθημάτων καὶ ὑποδημάτων quem sequitur Isidorus, non sequitur Nonius (Sueton. p. 453. 454 R) *cernuus* docent esse genus calciamenti, ea re efficitur Ciceronis aetate grammaticos censuisse Lucilii uersu memorari calciamentum tale recteque eos iudicasse probat Lucilii ipse ille uersus. Nam quod plantas *honestas* i. e. pulchras dixit poeta, id demonstrat agi de muliere, non de masculo homine: qua re *cernuus* masculinum stare nequit nisi de calceo accipitur sicuti lib. XXVII u. 703 alia ratione uix poterit intellegi. Itaque copa illa Syrisca media nocte, ubi audiit hospites appropinquantes, surrexit de lecto et extemplo soccus conuestit pulchras eius pedes: uestire eodem modo adhibetur Hor. carm. II 16, 37 Iuuen. XI 155 Vergil. eclog. IV 45 'sponte sua sandyx pascentes uestiet agnos' scripsitque Sappho illud (19 B) πόδας δὲ ποικίλος μάσλης ἐκάλυπτε. Est uero *cernuus* genus socci: 'socci non ligantur sed tantum intromittuntur' (Isid. l. s. s. 12); solo caret sicuti cothurni lanei qui nostra aetate pedem calceis distinere solent.

130. Nonius ex grammatico p. 150, 15 'Praecox et praecoca quod est inmatura. Ennius . . . Lucilius lib. III "anicula (annicula *alii codd*) aspera atque praecox est fuga".' Verba inde ab *atque* ad Varronis uerba Non. p. 157, 2 quae leguntur 'Cum tempus reuocat, ea praecox est fuga' (sat. Menipp. 514 B) pertinere constat: in Lucilii uersu recte concludendo nil deest nisi id quod Nonius enarrat uocabulum *praecox:* 'annicula aspera praecox'. Agitur de equa annicula i. e. unius anni: quod adiectiuum cum apud pedestris sermonis scriptores saepissime exstet, apud poetas dubito an praeterquam in hoc uersu Lucilii nusquam inueniatur. Veluti Varro rer. rust. II 7, 12 de equis 'anniculis iam factis', inquit, 'dandum hordeum et furfures'; Columell. VI 37 extr. 'annicula mula recte a matre depellitur' (= Pallad. IV 14, 4) Varro rer. rust. II 5, 12 'habeo tauros . . . unum anniculum, alterum bimum'. Item *asper* uocabulum aptissimum est iumento indomito: Sil. III 387 'sonipes . . . asper frena pati aut iussis

parere magistri' Pallad. IV 12, 2 de bubus: 'si nimia fuerit asperitas' . . . 4 'asperum bouem mansueto . . . coniungas'. Comparat poeta eques equorum amantissimus et peritissimus copam equae indomitae sicuti similiter fecit lib. XXX u. 1041 seq. ubi uide quae adnotauimus. CAF II p. 285, 9 K: *τελέως μ' ὑπῆλθεν ἡ κατάρατος μαστροπός ἐπομνύουσα τὰν Κόραν τὰν Ἄρτεμιν, τὰν Φερρέφατταν ὡς δάμαλις, ὡς παρθένος, ὡς πῶλος ἀδμής* et interpp. ad Hor. carm. I 23 II 5. Praecox, ut *ὄμφαξ* AP V 19, 3. — Praecedebat *ut equa*.

131. Charisius GL I p. 72, 6 K. 'Lignum singulariter dici semper debet in multitudine. Cato Originum I . . . Lucilius III . . . idem in eodem ligna pluraliter dicit "*student* hi ligna uidete".' Vulgatam lectionem 'student hi ligna uidere' quam recepit Lachmannus non repudiarem, si codex non haberet illud *uidete*. Nam uocabulum *uidere* egregie appositum est ad cenae apparatum describendum: Cic. Att. V 1, 3 'ut prandium nobis uideret' Tuscul. III 46 'potionis aliquid uideamus et cibi' Terent. Heaut. 459 'aliud lenius sodes uide' (uinum) quem usum uocabuli *uidere* agnoscunt in traditis apud Horat. carm. I 20, 10 ubi uide quae Hertzius adnotauit. Tamen *uidete* codex, uersus durior breui syllaba ante *student* tolerata (uide lib. IX u. 375 L. Muelleri d. r. m.[2] p. 386): quare Buechelerum Mus. Rhen. XLII 1887 p. 473 locum emendasse arbitror qui comparat Hor. serm. I 5, 46 'uillula tectum praebuit et parochi quae debent ligna salemque' Cic. Att. V 16, 3 'scito non modo nos faenum aut quod e lege Iulia dari solet non accipere, sed ne ligna quidem'.

132. Nonius p. 216, 5 'Ostrea generis feminini. Lucilius satyrarum lib. III "ostrea . . . peloris".' Gradationem in uersu elegantissime composito inesse patet, incipit a pretiosissimis conchyliis, exit in uilissimum genus: conf Martial. VI 11, 5 'tu Lucrina uoras, me pascit aquosa peloris' X 37, 5 'An . . . satius . . . credis . . . fatuam summa cenare pelorida mensa . . . ostrea Baianis quam non liuentia testis . . .?' (Athen. I p. 4 C Alciphr. I 2, 2). Media est *purpura* quae Graece *πορφύρα* uocatur uel *pelagia* teste Plinio nat. hist. IX 131 qui purpuras a murice, qui Latine etiam bucinum, Graece *κῆρυξ* dicitur, distinguit (l. s. 125. 130). Latini poetae simili modo non uidentur distinxisse: nam aperte eadem tria haec genera conchyliorum enumerat Horatius serm. II 4, 32 'murice Baiano melior Lucrina peloris, ostrea Circeis' ubi scholiasta murice] '*τῷ πορφυρίῳ* (Aristot. hist. an. V 15 p. 546 b 32) quod apud Baias nascitur'. Abstinent enim scriptores Latini praeter Ennium (heduphag. 44 V) Lucilium Plinium *purpura* conchae nomine propter ambiguitatem. De *murice* uide ad incert. u. 1210. *Peloris* e Graeca lingua ductum esse Varro auctor est de l. Lat. V 77, dubitat de etymologia Pollux VI 63, Nicander et Archestratus *πελωριάδα* appellant ap. Athen. III p. 92 D, cum enumerat hic *ὄστρεια δ' Ἄβυδος . . . Μεσσήνη δὲ πελωριάδας στενοπορθμίδι κόγχας . . . τοὺς κήρυκας* (i. e. bucina murices) *δ' ἐπιτρίψαι ὁ Ζεὺς* e. q. s. *Ostrea* hic ut *ostrias* Plaut. Rud. 297, *ostrea* neutri generis et pluraliter scripsit poeta lib. IX u. 328 XIII u. 440 incert. u. 1201.

133. Charisius GL I p. 72, 6 K 'Lignum singulariter dici semper debet in multitudine. Cato originum I "uehes" ait "ligni"; sicut et fasces dicuntur asparagi, quamuis asparagos pluraliter dicamus, ut Lucilius III "asparagi nulli".' Plin. nat. hist. XIX 145 'Omnium in hortis rerum lautissima cura asparagis' . . . 147 'Nihil diligentius comprehendit Cato (de agri cult. 161), nouissimumque libri est, ut appareat ⟨*rem*⟩ repentem ac nouiciam fuisse'. Agi uu. 131—135 de cena sordida in Lucaniae regionibus horridis et incultis commissa planum est: Strabo VI p. 252 de agro Velino: . . . *κρείττους ἀπήεσαν καίπερ ἐνδεέστεροι καὶ χώρᾳ καὶ πλήθει σωμάτων ὄντες. ἀναγκάζονται γοῦν διὰ τὴν λυπρότητα τῆς γῆς τὰ πολλὰ θαλαττουργεῖν καὶ ταριχείας συνίστασθαι καὶ ἄλλας τοιαύτας ἐργασίας . . . μετὰ δὲ ταύτην ἀκρωτήριον Παλίνουρος*, ubi cenam illam quam stomachatur Lucilius sordide apparatam fuisse suspicamur. Senec. de tranq. an. 2, 13 'Nunc Campaniam petamus. Iam delicata fastidio sunt: inculta uideantur, Bruttios et Lucaniae saltus persequamur. Aliquid tamen inter deserta amoeni requiritur, in quo luxuriosi oculi longo locorum horrentium squalore releuentur'.

134. Scholiastae ad Horatii serm. I 3, 56 sincerum cupimus uas incrustare] 'incrustari autem uas dicitur, cum aliquo uitioso suco inlinitur atque inquinatur, secundum quod et Lucilius in III (ita Porphyrio: *quarto* [Acronis] codices) satyrarum ait: 'nam mel . . . calix *ruta* (ita codd Porphyrionis, *rutia* [Acronis] codices) caulis habetur (caulis habetur *om* [*Acronis*] *codd*)".' Genetiuum in *ai* desinentem recte Lachmannus agnouit; *rutai caulis* quasi unum est uocabulum sicuti *rutae folium* in prouerbio tritissimo 'in rutae folium conicere' (Petron. 37. 58 Martial. XI 31, 17) semper hoc ordine dicebatur: duo genetiui non magis offendunt quam lib. XVIII u. 555. Dixit igitur poeta: 'nam deliciae habentur illis regionibus catinus rutae caulis immundus. Genetiuus, ut apud Horatium serm. I 6, 115 'me ad porri et ciceris refero laganique catinum'; *calix* uilis suppellex ap. Ouid. fast. V 509 'stant calices, minor inde fabas, olus alter habebat'. — incrustatus, i. e. oblitus deinceps reliquiis cenarum priorum: aliter apud Horatium l. s. Scribonium Largum cap. 135 'calices quoque eis incrustentur . . . ex his qui uinum . . . praebiberit' e. q. s. Varronem rer. rust. III 14, 5 'ut ollam . . . incrustent sapa et farri'. Neque enim incrustatus esse calix caule

dicitur ipso, ut Petron. 66 similiter dixit catillum concacatum, sed incrustatus idem est atque immundus et sordidus. — regionibus illis] Lucaniae: nam Pythagoras cuius disciplinam Veliae multi antiquitus sectabantur operam fertur dedisse rutae (Plin. nat. hist. XX 134) quam ῥυτήν dicit Nicander, πήγανον Theophrastus alii. De ruta Pallad. IV 9, 13 'hoc mense (i. e. Martio) ruta seritur locis apricis . . . loca desiderat altiora . . . caules eius, qui inclusis seminibus nati fuerint fortiores erunt'. Plin. nat. hist. XIX 156 refert condiri eius folia seruarique fasciculis.

136. Nonius p. 164, 32 'Ructus a ructando dictus. . . . Lucilius satyrarum lib. III "exhalas . . . ructus".' Potest hic u. intellegi de uini hesterni odore fragrantibus: conf Plin. nat. hist. XIV 142 'postero die ex ore halitus cadi' Alciphr. III 32 τρίτην ταύτην ἡμέραν ἔτι σοι καρηβαρῶ καὶ τὴν κραιπάλην ἀπερυγγάνω. Sed probabilius de rutae acidae incommodis intellegitur, cum rem nouam et singularem narrari appareat.

137. Nonius p. 455, 32 'Rictum ferarum dici uolunt, cum Titinius auctor sit etiam hominis dici debere. . . . Lucilius satyrarum lib. III "malas . . . utimur rictu".' Fame exhausti utuntur maxillis et dentibus uiatores: οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον. Malas tollere ut Seru. in Donat. GL IV p. 421, 17 K 'o productum quando est ore sublato uox sonat, ut Roma: quando correptum, de labris uox exprimitur, ut rosa'.

138. Seruius auctus ad Vergilii ecl. VI 53 'Fultus hyacintho. Apud ueteres unus quisque eo super quod iacebat fultus dicebatur. Lucilius in tertio "et puluino fultus".' Propert. III 7, 50 'et fultum pluma uersicolore caput' Pers. V 146 'tibi torta cannabe fulto cena sit in transtro'.

139. Nonius p. 173, 14 'Sententia, sensibilitas. . . . Lucilius satyrarum lib. III "uertitur oenoforis . . . nobis".' Scholion Persii sat. V 140 'Oenophorum, uas uinum ferens: οἶνος enim uinum est. de quo est illud, "uertitur *enophori* f. s. n.".' Isidorus orig. I 35, 3 'Zeugma est clausula, dum plures sensus uno uerbo clauduntur; quae fit tribus modis: nam aut in primo aut in postremo aut in medio unum uerbum ponitur quod sententias iungit. in primo, ut "uertitur *oenophoris* . . . nobis".' Idem libro XX 6, 1 'Oenophorum, uas ferens uinum: οἶνος enim uinum est. de quo est illud, "uertitur *enofori* . . . nobis".' Consentius GL V p. 345, 10 K 'Simile est fundus: Lucilius dicit "uertitur *enofori* . . . nobis".' Duas antiquitus hoc uersu traditas fuisse apparet lectiones *oenophori* et *oenophoris*. Vocabulum *oenophorus* quattuor usurparunt satyrici, accedit quintus Martialis. Est oenophorus magnum uas uinarium et pretiosum quod peregrinantes secum portare solebant sicuti noster Lucilius: ueluti Horatius serm. I 6, 109 'cum Tiburte uia praetorem quinque secuntur te

pueri lasanum portantes oenophorumque' et Persius V 140 'iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas, ocius ad nauem, nihil obstat quin trabe uasta Aegaeum rapias'. Quid inquam probabilius quam oenophori singulariter dictum apud Lucilium ueram esse lectionem, quam concinniorem reddere ita uolebant grammatici, ut datiuum pluralis, qui Lucilio peregrinanti multo minus aptus est restituerent? Etiam Iuuenalis cum dicit VII 10 'et uendas potius commissa quod auctio uendit stantibus oenophorum tripedes armaria cistas' non quamuis lagonam esse oenophorum declarat, sed peculiare quoddam unius cuiusque laris uas uinarium continens cenae omni quantum destinatum est et uini et aquae. Quod indicat praeterea iocus Martialis VI 89 'cum peteret seram media iam nocte matellam arguto madidus pollice Panaretus Spoletina data est, sed quam siccauerat ipse nec fuerat soli tota lagona satis. ille fide summa testae sua uina remensus reddidit oenophori pondera plena sui. miraris quantum biberat cepisse lagonam? desine mirari, Rufe: merum biberat': quare factum est nimirum ut et lagona et oenophorus eandem habuerint mensuram. *Vertitur* quid sit intellegitur Hor. serm. II 8, 39 'inuertunt Allifanis uinaria tota Vibidius Balatroque' ubi scholiasta recte uinaria] oenophora (*ceneforia* cod γ, em. Hauthalius) et commentator Cruquianus 'inuertunt uinaria, i. e. οἰνοφόρα κατὰ κεφαλῆς τρέπονται, i. e. uasa uinaria in caput uertunt, ita ut ore terram tangerent' CIL IV 1819 'Suauis uinaria sitit, rogo uos et ualde sitit' Iuuenal. VI 425 'tandem illa uenit rubicundula, totum oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna'. Similiter Iuuenal. III 108 'si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo' Hor. carm. III 29, 2 'non ante uerso . . . cado' Vergilii (Aen. IX 165) et Ennii hemistichium 'uertunt crateras aenos' (annal. 511 V). Interesse tamen uidetur inter cratera et oenophorum, quod ex cratere nonnumquam cyatho exhauritur uinum, ex oenophoro defunditur sensim magis magisque inclinato. Narrat igitur poeta inter potandum cum exsiccant fundum oenophori sententiam sibi uersam esse et mutatam ut Homerus dicit τρέπεται νόος (γ 147). — Mari tranquillo et serena nocte utendum esse decreuerant statimque soluendum cena peracta: sed una cum uinario conuersa est sententia et manserunt noctem Palinuri.

140. Nonius p. 489, 14 'Nefantia pro nefanda. Lucilius satyrarum lib. III "tantalus . . . nefantia *poenas* (omittunt olim impressi, Iunius, Mercerus) pendit".' Poenas alterum tollere non ausus sum quod commendetur accentu legitime mutato: usus est poeta garrulus conduplicatione more rhetorum, sicuti in eodem libro supra u. 110. Comparat se ipsum Tantalo aut propter famem aut propter sitim, aut propter alius cuiusdam rei cupidinem: Hor. serm. I 1, 68 'Tantalus a labris sitiens fugientia ca-

ptat flumina' Ouid am. II 2, 43 'Quaerit aquas in aquis et poma fugacia captat Tantalus'; Hor. epod. XVII 66 'egens benignae Tantalus semper dapis' (Teles p. 25 Hensei). Forsitan salax poeta expectarit stultissimus mendacem puellam sicuti eius in hac satura imitator Horatius serm. I 5, 82: conf incert. u. 1248 AP V 235 *ἐπὶ κόρῃ ἀπειθεῖ: Ναὶ τάχα Ταντελέης Ἀχερόντια πήματα ποινῆς ἡμετέρων ἀχέων ἐστὶν ἐλαφρότερα. οὐ γὰρ ἰδὼν σέο κάλλος ἀπείργετο χείλεα μῖξαι χείλεϊ σῷ ῥοδέων ἁβροτέρῳ καλύκων Τάνταλος ἀκριτόδακρυς· ὑπερτέλλοντα δὲ πέτρον δείδιεν, ἀλλὰ θανεῖν δεύτερον οὐ δύναται. αὐτὰρ ἐγὼ ζωὸς μὲν ἐὼν κατατήκομαι οἴστρῳ· ἐκ δ' ὀλιγοδρανίης καὶ μόρον ἐγγὺς ἔχω* 245 *καὶ τίς ὑποτλαίη; τάχα τις, τάχα τοῦτο ταλάσσας δίψαν Ταντελέην τλήσεται εὐμαρέως.*

142. Diomedes GL I p. 376, 12 K 'Sed expergitus dicitur qui satiatus somno sponte euigilat. unde et Lucilius ait "*ego* . . . clamo".' Priscianus GL II p. 512, 24 K 'Quamuis uetustissimi etiam expergitus dicebant. Lucilius in III "e somno . . . *clamas*".' Delerunt multi Keilium secuti *ego* quasi natum sequentibus litteris *e somno:* unde factum esse ut *clamas,* quod recte tradat Priscianus, apud Diomedem mutatum sit in *clamo.* At prima persona tantum non flagitatur: quis enim poterat pueros e somno experrectus mane clamare nisi qui iter suum facete narrauit in hoc libro? Alterius personae ne locum quidem esse patet neque *ego* dittographia natum esse probabilius est quam *ergo* particula corrupta. Pueros clamat poeta mane ut Vergil. eclog. VI 43 scripsit 'Hylan nautae quo fonte relictum clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret' lepideque hunc u. Lucilii explanant Ausonii ephemeridis carmina prima (p. 3 Schenkl. p. 5 Peip.) 'Mane iam clarum reserat fenestras, iam strepit nidis uigilax hirundo: tu uelut primam mediamque noctem Parmeno dormis . . . surge nugator lacerande uirgis, surge, ne longus tibi somnus unde non times detur, rape membra molli Parmeno lecto . . . Puer eia surge et calceos et linteam da sindonem' e. q. s. Magno cum comitatu seruorum armatumque iter fecisse poetam supra exposui p. 46.

144. Nonius p. 21, 15 'Stricturae dicuntur proprie scintillae quae de ferro feruenti eunt. . . . Lucilius satyrarum lib. III "crebrae . . . ferro".' Similem explicationem uocabuli *stricturae* exhibet secundo loco CGL II p. 189, 15 'stricturae *λελιπαμμένον, ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ σιδήρου πῖπτον ὥσπερ σπινθῆρες*', cum sequatur glossa 'stricturae *μέταλλον*' quae similis est explicationi alteri illi priore loco prolatae. Vergilii locum Aen. VIII 419 'ualidique incudibus ictus auditi referunt gemitum striduntque cauernis stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat' Nonius l. s. s. attulit unde *strictura* quid sit secundum Vergilii sententiam facile est intellectu comparatis uu. 449 seqq. 'alii uentosis follibus auras accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt aera lacu, gemit impositis incudibus antrum'. *stridentes stricturae* sunt igitur ferri massa aut ea quae lacu feruida tinguitur aut ea quae e camino candida exit sicuti Callim. scripsit hymn. Dian. 60 *ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν ἠὲ σίδηρον ἀμβολαδὶς τετυπόντες.* Seruius ad Vergil. l. s. 'strictura est terra ferri in massam coacta', idem ad X 174 de Ilua insula 'Varro et aliud dicit, nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam non posse cogi nisi transuectum in Populoniam' quae Graece ita dixit Strabo V p. 223 *οὐ γὰρ δύναται (ὁ σίδηρος) συλλιπαίνεσθαι καμινευόμενος ἐν τῇ νήσῳ, κομίζεται δ' εὐθὺς ἐκ τῶν μετάλλων εἰς τὴν ἤπειρον.* Item de Ilua Rutil. Namat. I 352 'qua nihil uberius Norica gleba tulit non Biturix largo potior strictura camino nec quae Sardonico caespite massa fluit'. Vnde uocabulum ductum sit dubium est: refert de diuersis generibus ferri Plinius nat. hist. XXXIV 143 'stricturae uocantur hae omnes, quod non in aliis metallis, a stringenda acie uocabulo imposito': strictos incude Catones appellat Manil. V 106. Inde apparet, ea, quae Nonius et glossarium de scintillis referunt, ex Lucilii uersu praue intellecto tracta esse cum in eo uersu *stricturae* idem sit atque quod sequitur *feruens ferrum.* Comparauit post Nonium Vargesius locum Vergilii s. s. 416 seqq. 'insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis: quam subter specus et Cyclopum exesa caminis antra Aetnaea tonant, ualidique incudibus ictus auditi referunt gemitum striduntque cauernis stricturae Chalybum et fornacibus ignis anhelat' Lipararumque ille statuit describi a poeta unam, quae Hiera dicitur: maluit credere Franckenus Aetnae miracula libro III descripta esse a Lucilio comparauitque uterque quae dicitur minoris Lucilii Aetnam uu. 562 seqq. Sed probabilius Vargesius. Nam Liparas memorat poeta u. 104: quas si non uidisset, non memorasset illo uersu, Aetnam si uidisset, lubenter opinor l. s. in libro post iter factum composito memorasset. Ad *scintillae* uocabulum conf Lucret. VI 644 de Aetna 'fumida cum caeli scintillare omnia templa cernentes pauida complebant pectora cura' et carmen de Aetna u. 505 'emicat examen plagis: ardentia saxa (scintillas procul esse fides, procul esse ru⟨*b*⟩entes) incolumi feruore cadunt'. Lucilii uerba quomodo sententiam iustam effecerint non patet. Videtur dixisse poeta: uisus est uapor igneus in summo uertice montis qui fuit crebrae ut scintillae quales in stricturis, in feruenti ferro exiliunt cum faber ferrarius massam candidam e camino prolatam in incude collocat: exiliunt enim scintillae e ferro candido etiamsi malleo non feriatur. De *quod genus* conf Woelfflinus archiu. lexic. Lat. V 1888 p. 392 'feruenti caput ustulare ferro' Priap. XLV 2 B. Quodsi recte Vargesius ad Lipararum crateras igniuomos rettulit fragmentum, insulam quae Hiera nominabatur praeteruectus est poeta. Nam Palinurum eum tem-

pestate serena media nocte peruenisse uidimus u. 127, a quo auctore Plinio nat. hist. III 71 sinu recedente traiectus est ad Columnam Regiam C m. p. Sed Lucilium altum petisse Palinuro minime est probabile ideo quia ne a Mineruae quidem promontorio petiit altum sed anxie ut solebant antiqui litora radens remis penetrauit sinum oppidumque Salernum tetigit. Statuendum est igitur poetam Palinuro profectum Lucaniae et Bruttiorum litora praeteruectum esse dum perueniret medium ad sinum Vibonensem: quem locum significat uu. 107. 108. Inde praeteruectus Hieram insulam Artemisium uenit (uide ad u. 104). De Liparis Strabo VI p. 275 *εἰσὶ δ' ἑπτά . . . μεγίστη δ' ἡ Λιπάρα . . . ταύτης δὲ μεταξύ πώς ἐστι καὶ τῆς Σικελίας ἣν νῦν ἱερὰν Ἡφαίστου καλοῦσι . . . ἔχει δὲ ἀναπνοὰς τρεῖς ὡς ἂν ἐκ τριῶν κρατήρων. ἐκ δὲ τοῦ μεγίστου καὶ μύδρους αἱ φλόγες ἀναφέρουσιν . . . Πολύβιος δὲ τῶν τριῶν κρατήρων τὸν μὲν κατερρυηκέναι φησὶν ἐκ μέρους, τοὺς δὲ συμμένειν, τὸν δὲ μέγιστον τὸ χεῖλος ἔχειν περιφερὲς ὂν πέντε σταδίων . . . ἐὰν μὲν οὖν νότος μέλλῃ πνεῖν, ἀχλὺν ὁμιχλώδη καταχεῖσθαι . . . ὅταν δὲ βορέας, φλόγας καθαρὰς ἀπὸ τοῦ λεχθέντος κρατῆρος εἰς ὕψος ἐξαίρεσθαι καὶ βρόμους ἐκπέμπεσθαι μείζους:* conf praeterea Thucyd. III 88, 3 schol. Apollon. Rhod. III 41 IV 761 Diodor. V 7, 3 Plin. nat. hist. III 93. Potuit illuc peruenire poeta tantummodo uento a septentrione flante, non potuit austro. — Denique etiam Castorum igniculos descripsisse poetam suspicetur aliquis circum mali fastigia exsultantes ut scintillae in candido ferro (Doxogr. Gr. p. 347 D) quae miracula descripserunt Cinna apud Isidor. orig. XIX 2, 10 'lucida cum fulgent alti carchesia mali' Catullus apud Non. p. 546 'lucida qua splendent * carchesia mali' alii (Wilckenus Archiv f. Papyrusf. I 1901 p. 269 Lucian. nauig. 9 de merced. cond. 1 Charid. 3) de quibus Plinius nat. hist. II 101 fabulosa miscet ueris.

146. Nonius p. 206, 14 ex grammatico (Capro?) 'Forum generis neutri. masculini Lucilius lib. III "romanis . . . lucernis".' Charisius GL I p. 71, 29 K ex eodem "quamuis . . . Lucilius negotiorum forum masculine extulerit libro III, "forus . . . lucernis".' Latinorum uidetur haec forma esse, non urbani sermonis, qua usi sunt Pomponius 38 R Sallustius histor. I 124 Maurenbr.: denique *forus* plebeium pro *forum* Ptolemaeus habet in multis oppidorum nominibus ueluti *φόρος Βιβαλῶν* II 6, 42 similia. Aguntur ludi noctu more maiorum: conf acta ludorum saecularium u. 100 (Ephem. epigr. VIII p. 231. 268) 'ludique noctu sacrificio confecto sunt commissi in scaena quoi theatrum adiectum non fuit nullis positis sedilibus': ornatur forum ab aedilibus (Liu. IX 40, 16) 'signis et luminibus' (Cic. de nat. deor. I 9, 22: in Verr. act. II lib. I 141 'ludis ipsis Romanis, foro ornato') cuius rei testimonium Lucilii est uersus uetustissimum. Tiridates Parthus

cum a Nerone in urbe reciperetur *πᾶσα μὲν ἡ πόλις ἐκεκόσμητο καὶ φωσὶ καὶ στεφανώμασι* (Dio Cass. LXIII 4): Schol. Pers. V 180 'lucernas accensas et uiolis coronatas in fenestris ponunt'. Similitudinem induci a poeta indicatur uocabulo *olim* sollemni in comparationibus ubi Lucretius VI 109 Vergilius georg. III 99 IV 261 Aen. II 416 VII 378 ponunt *quondam:* idem Lucretius lib. IV 57 'ut olim cum teretis ponunt tunicas aestate cicadae' ueterem etiamtunc secutus est consuetudinem (VI 148). Quae res comparetur cum foro Romano lucernis collucente incertum est. Suspiceris tamen de igni nocturno ex insulae monte agi erumpente quo omnia collustrantur circumcirca siquidem Callias ap. schol. Apollon. Rhod. III 41 tradit de Hierae ignibus *κρατῆρές εἰσι δύο ὧν ὁ ἕτερός ἐστι τὴν περίμετρον τριστάδιος ἐξ οὗ πολὺ φέρεται φέγγος ὥστε ἐπὶ πολὺν τόπον παρασκευάζειν.*

147. Iulius Romanus apud Charisium GL I p. 223, 21 K 'Ut pote Lucilius III'. De utpote Brixius ad Plaut. Mil. 530 Sonnenscheinius ad Rud. 462 (Afran. CRF[3] p. 251, 349 R) Draegeri syntax. l. L. histor. II[2] p. 537. 538. Particula est uulgaris quam etiam Horatius adhibuit in itinere Brundisino serm. I 5, 94, repudiant scripturae grauioris stili et pedestres et poeticae: abstinent ea Caesar Vergilius tragoedia.

148. Quomodo Accium laeserit poeta libro III non potest accurate perspici. Vnum tantummodo iter Siculum hunc librum continuisse fragmentorum euincit simile ad unum omnium argumentum. Singulis itaque uersibus Accii passim et doctrinam et poesin carpsisse uidetur poeta, dum iocose et sale multo itineris labores et gaudia persequitur ueluti u. 140 'Tantalus qui poenas ob facta nefantia, poenas pendit'.

IV.

149. Nonius p. 393, 28 'Spurcum, saeuum uel sanguinarium. . . . Lucilius satyrarum lib. IIII "*aserninus* . . . flacchorum *unae* quidam . . . cum *pacedeiano* . . . *natus* . . . unus".' Idem p. 257, 16 'Conponere rursus significat conparare. . . . Lucilius satyrarum lib. IIII "Samnis spurcus homo uita *ista* dignus *homo se* cum *pacideiane* . . . unus".' Cicero de opt. genere orat. 6, 17 'A me autem, ut quom maxumis minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur, Aeschines tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, non spurcus homo, sed acer et doctus, quom *Pacidiano* hic componitur, optimus (Beierus *optimo*) *longe* post homines natos: nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse diuinius'.

Idem Tuscul. II 17, 41 'Quis mediocris gladiator ingemuit, quis uultum mutauit umquam? . . . ergo hoc poterit "Samnis . . . locoque"?' Idem in oratore 48, 161 'Quin etiam, quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae quae sunt in *optumus,* postremam litteram detrahebant, nisi uocalis insequebatur. ita non erat ea offensio in uersibus, quam nunc fugiunt poetae noui. sic enim loquebamur, . . . "uita illa dignu locoque", non dignus'. Quintilianus inst. IX 4, 38 'Nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit "*scrinus* (*Aeserninus* L. F. Schmidtius) fuit" et "dignus locoque".' Maxim. Victorinus GL VI 216, 13 K '*Ennius* quoque ait: "uita illa dignus locoque" quasi "dignu locoque" dixerit. similiter Lucilius (incert. u. 1314) ait "tum lateralis dolor certissimus nuntius mortis".' Cicero in epist. ad Q. fratrem III 4, 2 'Cum Aesernino Samnite Pacideianus comparatus uiderer: auriculam fortasse mordicus abstulisset, cum Clodio quidem certe redisset in gratiam'. Probabile est poetam in exordio uel saturae uel libri posuisse narrationem istam de gladiatorum pugna clarissimam apud antiquos scriptores: similia saturarum exordia leguntur lib. XI. Quae pugna in Flaccorum siue ut Nonius et hic et incert. u. 1104 scripsit *Flacchorum* munere commissa etiamtunc populo Romano satis nota erat, cum Lucilius anno fere 636/118 haec scribebat. Quo munere aut Fuluios aut Valerios litasse apparet manibus parentis defuncti (Metellorum munus memoratur lib. XXVI u. 676): ablatiuus *munere* quem Turnebus restituit defenditur *gladiatoribus* (lib. XXVI u. 677) et Iuuenal. II 148 'cuius tunc munere retia misit'. — 150. *spurcus homo,* i. e. dignus uita spurcissima quae est gladiatorum (CIL I 1418 quei quaestum spurcum professi essent) et minime fortis gladiator et strenuus. 'homines . . . digni uita illa conuiuiisque' Cic. in Verr. V 12, 30 'dignus illo loco ac nomine' III 68, 159. Pacideiani ut fortissimi gladiatoris nomen Horatii tempore ueterator aliquis sibi indidit (serm. II 7, 97). Aeserninus igitur *quidam* ut ignobilis cum Pacideiano non ita componitur 'uti non compositus melius cum Bitho Bacchius' (Hor. serm. I 7, 19): sed impar fuit ille optimo gladiatori post homines natos. Contulit ad haec uerba Dousa Cic. pro Mil. 26, 69 'unius post homines natos fortissimi uiri' Brut. 62, 224 'Longe autem post natos homines improbissimus': praeierat Plaut. Rud. 706 'natum quantumst hominum sacrilegissume' (Fronto p. 62 med. N).

153. Cicero Tuscul. IV 21, 48 'Sed in illo genere sit sane *Pacidianus* aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius, "occidam illam . . . in stomacho *suria* ac . . . nec longius quicquam *uobis* . . . ira".' Seruius auctus ad Aeneidos XII 646 'Et quidam hoc uerbum reprehendunt, usque adeone: melius dici usque eo. Lucilius *septimo*

"usque adeo studio atque odio illius *efferoris*".' Verba sunt Pacideiani ut Cicero indicat. Certamen gladiatorum qui gladios nondum strinxerant anteibat uerborum uelitatio et conuiciorum sicuti lib. III u. 117 seqq. Clamat Pacideianus se ita esse iratum, ut Aeserninum non tantum uicturus sit sed etiam occisurus. — si id quaeritis] uide ad lib. XV u. 515. Adloquitur coronam. — 154. uerum illud credo fore] Plaut. Mostell. 55 'quod credo fore' Pompon. 91 R 'dixi ego illud futurum' Xenoph. memor. II 3, 17 *ἀλλ' οὐδὲν οἶμαι τούτων ἔσεσθαι.* Dicit gladiator dicacule sese tamen uereri ne ante necem aduersarii ipse multum ab eo futurum sit ut uapulet. Rustice loquitur Samnis 'in os prius accipiam' sicuti Plaut. Rud. 710 dicit 'pugnum in os impinge'. — 155. *suria* tradunt esse in codd: *furia* scripsi quod aut nominatiuus aut pro ablatiuis *ira* uel *odio* positum est u. 158: *sura* nouo codice usus commendat Rossbachius Philol. LXIII 1904 p. 100. — 156. odi hominem, iratus pugno: imitatus est Cic. Philipp. XIII 7, 15 'odimus, irati pugnamus' ad Att. IX 12, 2 'odi hominem et odero'. — 157. nobis] mihi. accommodet] de gladio Vergil. Aen. II 393, qui Accii (256 R) praeterea utitur uerbis, alter] Aeserninus ut lib. III u. 121, qui gladium nondum eduxerat e uagina. — 158. tanta ira ecferor equidem quae ira conflata est studio atque odio illius. Ablatiuus *studio* aduerbii loco ponitur ut ad Her. IV 1, 1 studio facere (III 6, 11) Cic. pro Rosc. Am. 32, 91 Hor. serm. I 4, 79: cuius ad similitudinem *odio* appositum est. De *ecferor* forma uide indic. gramm. s. u. orthographia. Totam istam orationem habuit gladiator ideo, quo magis populus ueram pugnam iratos inter aduersarios commissam sese spectaturum esse confideret. Neque enim ad dictata pugnauit Pacideianus optimus gladiator sicuti Thraex ille apud Petronium 45. Verba Ciceronis ad Quint. fratr. III 4, 2 'auriculam fortasse mordicus abstulisset' ex Lucilii hoc loco sumpta esse suspicatus est Franckenus: quod improbabile.

159. Priscianus GL II p. 217, 8 K 'Lucilius in IIII Aethiopus dixit pro Aethiops: "rinocerus uelut Aethiopus".' quo de fragmento uide quae adnotauimus ad lib. III u. 118 ubi *rinoceros* Graeca forma tradita est. Hoc loco *rinocerus* scripsit poeta ut *rhetoricoterus* lib. II u. 86. Aethiopus ut Arabus lib. XXV u. 586.

160. Nonius p. 206, 27 'Fulmentum . . . feminino Lucilius . . . et lib. IIII "*sucit* huic *fuldum* fulmentas quattuor addit".' Versum emendauit Salmasius quo agitur aperte de opera fabri lectarii quem Graeci *κλινοποιόν* appellant. Qui spondae fulcrum (*ἐπίκλιντρον* siue *ἀνάκλιντρον* Pollux VI 9 X 34 CGL II 74, 8) dicitur subicere et quattuor fulmentas i. e. pedes: Nonius ex Varrone l. s. s. adfert prouerbium 'fulmenta lectum scandunt', Plinius nat. hist. XXXIV 9 cum scribit 'tricliniorum [pedibus fulcrisque

ibi prima aeris nobilitas' partes lectorum eodem modo quo Lucilius distinguit. De fulcris lectorum egit Mauius Nachrichten d. Goetting. Ges. d. W. Philol. Histor. Klasse 1896 p. 1 seqq. ubi testimonia ueterum ad monumenta Pompeiana diligenter sunt excussa et enarrata (Suet. Claud. 32 Calig. 26 Varro de ling. Lat. VIII 32 Dig. XLI 1, 26 Isid. or. XIX 26, 3 Verg. Aen. VI 604 Propert. II 13, 21). Fabri lectarii operam similitudinis loco adhibuit poeta secutus Platonem reip. X p. 596 E seqq.

161. Festus p. 371, 21 'Verticulas cum ait Lucilius, ita appellauit uertebras' (Paulus ex Festo p. 370 'Verticulas Lucilius cum dixit articulos intellegi uoluit'. Parum recte Paulus: uerticulae enim proprie sunt quibus uertitur corpus, articuli quibus coniungitur). Nonius p. 207, 26 'Genu neutri est generis. ... masculini Lucilius satyrarum lib. IIII "haeret ... ut *nouis* ... est".' Agitur de osse hominis in collo posito, quod corpori haeret adfixum uerticulis in posteriore parte id est a tergo atque articulis, ita ut quoquouersum caput possit flecti. Nam, ut nobis est talus genusque, ita os illud est: illorum enim opera et pedes et crura possunt flecti et moueri, ossis huius machina adiuti flectere possumus caput nostrum. Sententia igitur uersu altero plane est absoluta. Conf Celsus VIII cap. 1 p. 325, 15 Daremb. Arnob. adu. gent. III 13 p. 120, 16 R quem locum attulit F. Dousa 'caput deos gestare tereti rotunditate colli erectum, retinaculis neruorum dorso inligatum ac pectori et ad ceruicum necessarias flexiones consertionibus uerti*cular*um (ita Dousa: *uerticum* cod) atque ossea substructione fulciri?' Collum Lucilius masculino genere posuit.

163. Nonius e poeta ipso p. 16, 29 'Succussare est susum frequenter excutere. Accius Philocteta (568 R) ... Lucilius satyrarum lib. IIII "succussatoris (succusatoris *L m. 1*) *tardirarique* caballi".' Idem sed ex grammatico p. 86, 14 'Caballus. Lucilius lib. *II* "succusatori (succusator *L m. 1*) taetri (*ita L*: tetri *G*) tardique caballi (caballo *L m. 1* caballom *G m. 1*)".' Numerum libri recte traditum esse loco priore apparet: facilius enim decurtatur *IIII*, ut *II* euadat, quam duplicatur *II* ut *IIII* (conf Lindsayus Classical Review XVI 1902 p. 48.) Sed in ordine uerborum Nonii rectius sequemur auctorem grammaticum p. 86 sicuti in lectione ipsa quia hoc loco seruata est integra scriptura cum corrupta sit p. 16: uide ad lib. III u. 106 IV u. 173. De succussatore uel succussore equo uide ad lib. XV u. 507, tardum et pigrum ecum memorat poeta incert. u. 1109.

164. Nonius p. 457, 16 'Catuli non solum canum diminutiue, uerum omnium animalium appellantur. ... Lucilius satyrarum lib. IIII 'concursaret agros catulos fetumque *ferat*".' *Ferai* L. Muellerus quod posuit melius est quam illud *ferarum* quod uulgo ferebatur: uersus reliquus sanus est. Narrat poeta de homine

rustico, qui uenabulo ursam siue aliam feram bestiam sectabatur. Qui per montes et per siluas uenator per medios cum 'concursaret agros, catulos fetumque ferai' inuenit et in sinu recondit. Ouid. metam. XIII 836 'inueni geminos ... uillosae catulos in summis montibus ursae' (Theocr. XI 41 *σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων*) Aelian. hist. anim. VI 9 (ἄρκτος) *ἐὰν διώκηται μετὰ τῶν αὐτῆς σκυλακίων κτλ.* — catulos fetumque ferai; uide ind. gramm. s. u. hendiadyoin.

165. 166. Seruius auctus ad Aeneidos X 329 'Septem numero. Hoc est pro septem. et deest quia. ueteres enim ita enuntiabant: Lucilius in IV '*bi* (*hi* uulgo) prae se portant *mihi gentes* munere pisces triginta numero".' Neque datiui neque *gentes* uocabuli locus est unde recte *ingentes* Burmannus alii. Hominum agrestium patronus narrat de donis sibi oblatis a clientibus. Ita Persius in III satura quam ad huius libri exemplum scriptam esse refert scholiasta (165) u. 73 seqq. 'disce, nec inuideas, quod multa fidelia putet in locuplete penu defensis pinguibus Vmbris, et piper et pernae, Marsi monumenta clientis maenaque quod prima nondum defecerit orca'. Similiter Iuuenalis VII 119 seqq. 'quod uocis pretium? siccus petasunculus et uas pelamydum aut ueteres, Maurorum epimenia, bulbi, aut uinum Tiberi deuectum, quinque lagoenae' et Martialis IV 46 'Saturnalia diuitem Sabellum fecerunt: merito tumet Sabellus nec quemquam putat esse praedicatque inter causidicos beatiorem': deinde enumerantur singula clientium dona et munera ut X 87. Inde euenit ut 'multi cibi' esse causidicorum uxores tradantur apud Frontonem p. 32 extr. N. Triginta igitur pisces ingenti magnitudine quos ipse comesse nullo pacto poterit adferunt patrono officiose clientes: uide ad II u. 89. *Prae se portant*, ut Pomponius CLF[3] p. 270, 9 'tum prae se portant ascendibilem semitam quam scalam uocitant' qui locus a Muellero adhibitus est, et Varro sat. Menipp. 262 B 'lecto strato matellam, lucernam, ceteras res esui usuique prae se portant' quem locum iam Dousa attulit. *Munere* ablatiuus sumptus est ad similitudinem ablatiuorum ueluti *officio* studio odio necessitate ui uoluntate (ad Her. III 6, 11 uide supra ad u. 155. 158. Plaut. Rud. 292 ad Her. IV 9, 13 med.) Piscis dono datur AP V 300. Pisces e lacu Fucino petitos esse credideris si huc referas incert. u. 1150 (Plin. nat. hist. IX 73), praeterea arma uenatoria enumerantur incert. u. 1315 quae dona item apte tribuas Marso clienti (interprett. ad Hor. carm. I 1, 28).

168. Nonius p. 208, 17 ex grammatico 'Grues genere feminino. ... Lucilius lib. IIII "longior ... olim".' Agitur de pisce qui in cena apposita conuiuas commouet magnitudine. Versus ipse bene traditus est: *cum* uolat *olim* eandem abundantiam prodit

sermonis qua utitur lib. XIX u. 561 'aduersa hieme olim', qua luxuriatur Plautus cum scribit (Rud. 37) 'sed *dum* alios seruat se impediuit *interim*'. Piscis igitur ille immanis fuit sicuti *ingentes* pisces u. 166 et *acupenser decumanus* Gallonii (incert. u. 1240), longior quam grus incedens, immo corpore gruis porrecto in uolando porrectior.

169. Nonius p. 427, 11 'Sebum et unguentum hanc habent diuersitatem: sebum fit ex adipe ruminantium * * * Lucilius satyrarum lib. IIII ''tisifone *titene* pulmonibus atque *adirem unguem* excoctum *atuli eumenidibus* sanctissima erynis''.' De conuiua agitur cibum fastidiente. *Titini* quod posui (Ser. Samm. de med. 1037) nomen est helluonis et lurconis defuncti, cui *Furiarum maxima* sebum excoquere dicitur apud inferos: Euripid. Iphig. Taur. 963 de coryphaeo chori Eumenidum Aeschyli *τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἥπερ ἦν 'Ερινύων* Verg. Aen. III 251 'quae . . . mihi Phoebus Apollo praedixit, uobis Furiarum ego maxima pando' ubi Seruius 'adeo ipsae sunt Furiae . . . nam ait de Tisiphone (VI 605) ''Furiarum maxima iuxta accubat et manibus prohibet contingere mensas''.' *Pulmonibus* et *adipe* ablatiui sunt licet et datiuus qui potest restitui inueniatur coniunctus cum excoquendi uerbo de quo conf ad II u. 74 Plaut. Capt. 281 'Quid diuitiae? suntne opimae? unde excoquat sebum senex' quem locum L. Muellerus attulit. Vergilius Aen. VI 741 seq. 'aliis sub gurgite uasto infectum eluitur scelus aut *exuritur igni*' eandem poenam commemorat quam iam Lucilium cognouisse his uidemus uersibus. Qui addendi sunt eis quae exposuit A. Dieterich Nekyia Lipsiae 1893 p. 201.

171. Priscian. GL II p. 522, 8 K 'In do unum anomalum inuenitur: ''edo es est'' uetustissimi tamen etiam ''edo edis edit'' dicebant correpta prima syllaba . . . Lucilius in IIII ''qui . . . me''.' Decoctor et comedo comeso patrimonio comedit aliorum rem parasitus. Plaut. Trin. 102 'hostisne an ciuis comedis, parui pendere' Mostell. 12 'sine modo uenire saluom, quem absentem comes'. Comedere Graece est *κατεσθίειν*: Menand. 363 CAF III p. 105 K *κᾆθ' ὡς ἐκεῖνος κατέδομαι καὶ τοὺς λίθους ἁπαξάπαντας, οὐ γὰρ οὖν τὴν γῆν μόνην* 384 p. 110 *μακάριος ἐκεῖνος δέκα τάλαντα καταφαγών.*

172. Priscianus GL II p. 485, 19 K 'turgeo tursi . . . idem in IIII ''obtursi ebrius''.' Turgere dicuntur corpora uel cibis distenta (Enn. ann. IX 321 V) uel somno (Pers. V 56 'hic satur irriguo mauult turgescere somno') uel uino ut hoc uersu.

173. Nonius p. 158, 16 'Puellos, pueros. . . . Lucilius satyrarum lib. IIII ''cumque . . . formonsus *tibi* ac . . . puellus''.' Festus p. 249, 18 'Et Lucilius ''cumque . . . formosus *homo* ac . . . puellus''.' Priscianus GL II p. 231, 23 K ex Suetonio (p. 348 R) 'Lucilius in IIII ''cumque . . . formosus *homo* ac . . . puellus''.'

Etiam hoc loco cum Nonius legerit *tibi* in sua editione, Verrius et Priscianus *homo,* duplex illa de qua egimus ad lib. III u. 106 IV u. 163 Lucilii deprehenditur editio: Verrii Flacci editioni nos magis credemus quam Nonii Marcelli. De puerorum amore intellegi debet uersus quem ita fere in ordinem sententiae componas 'meretricem fetidam et turpem consectaris aut matronam cum periculo corporis et famae, concessa uenere uti cum possis cumque hic tam formonsus homo (uide lib. XI u. 419) ac te dignus (uide lib. XXVIIII u. 890) puellus sit praesto, impetus in quem fiat'.

174. Nonius p. 458, 5 'Sumen proprie a sugendo dictum: nam et mulieris mammam sumen ueteres dici uolunt. Lucilius satyrarum lib. IIII ''quod si . . . maneat*que* sucus lacerto *et manus uberi* . . . sidat''.' Comparantur mulieres cum pueris. Mulier non (de *nullus* pro *non* uide ad lib. XV u. 507) potest esse tam duro corpore quam pueri sunt (conf lib. VIII u. 297 'puero similis'): tamen illam dicit esse laudandam ideo, quod licet pepererit maneat sucus qui lacerto est tenero et quod manus pessum sidat (Lucan. III 674) lactanti in sumine: conf Martial. XIV 134. Itaque papillas et bracchii mollitiem praestare non poterunt pueri. Sumen lactans dicitur ideo quod lac potest praebere infantibus et praebuit, non ideo quod nunc praebet: comparat L. Muellerus Catull. LXIV 65 'non tereti strophio lactentis uincta papillas'. Sucus est *ὀπὸς ἥβης* AP V 257, 1: ita Terent. Eun. 318 'color uerus, corpus solidum et suci plenum'. Priap. 32 B: 'uuis aridior puella passis . . . quae suco caret usque putris pumex'. Ex coniunctiuis apparet sententiam non esse Lucilii qui puerorum fuit amator, sed alius cuiusdam. 'Nulla potest mulier': eadem eodem ordine uerba leguntur Catull. LXXXVII 1. — qui sucus lacerto: uide ind. gramm. s. u. ellipsis.

177. Nonius p. 231, 8 'Vectis generis masculini. Lucilius satyrarum lib. IIII ''ne *agitarem* manu tu *pessulus* et hunc uectem possis cuneis *ipso*''.' Loquitur non mulier e fenestris cum adultero neque seruolus cum ero qui amicae aedis expugnaturus sit, sed ut e uocabulo *pessulum* intellegitur homo qui ex aedibus clusis exire conatur. 'Vereor', inquit, 'ne agitare manu tu pessulum et hanc quam uidemus seram possis: cuneis opus erit'. Vectis idem est hoc loco atque sera sicuti in Vergilii loco (Aen. VII 609) quem Nonius l. s. s. adfert 'centum aerei claudunt uectes' belli portas. Prudentius contra Symmach. I 65 seqq. (p. 220 ed Dresselii) 'Nunc foribus surdis, sera quas uel pessulus artis firmarat cuneis, per tectum diues amator' e. q. s.

179. Nonius e poeta ipso p. 477, 8 'Manducatur pro manducat. . . . Lucilius satyrarum lib. IIII ''adsequitur *neque* . . . *conmanducatum* totum''.' Idem ex grammatico p. 478, 33 'Con-

manducatur. Lucilius lib. IIII 'adsequitur . . . *conplexum*".' Idem e poeta p. 81, 25 '*Comest* pro comedit. . . . Lucilius satyrarum lib. IIII "conmanducatur . . . *comisque*".' Non de muliere quae uirum osculetur immodice agi uidetur, sed sicuti lib. XV u. 513 de fera bestia, quae hominem necopinantem corripit et deuorat conplexa inermem. *Totum* pertinet non ad *conplexa* sed ad *conmanducatur:* conf Apul. metam. X 22 'artissime namque complexa totum me prorsus, sed totum recepit' VII 16 'ille (*ecus*) . . . totum me commorsicat'.

V.

181—188. Gellius XVIII 8 '*Ὁμοιοτέλευτα* . . . ceteraque huius modi scitamenta . . . quam sint insubida et inertia et puerilia, facetissime hercle significat in quinto saturarum Lucilius. Nam ubi est cum amico conquestus (conf Martial. VIII 25) quod ad se aegrotum non uiseret, haec ibidem addit festiuiter:

"Quo me habeam pacto, tam etsi non quaeris, docebo,
Quando in eo numero mansi quo in maxima non est
Pars hominum".'

Quae significant 'quando morbo grauissimo depressus nondum *abii ad plures,* sicuti uulgo dicitur apud Latinos et apud Graecos, sed mansi inter uiuos'. conf quae Friedlaenderus adnotat Petron. 42 et Crinag. AP XI 42. Baehrensius qui tradita seruauit ea non intellexisse sese demonstrauit supplementis suis: illam interpretationem commendant et *mansi* uocabulum et ea quae secuntur. Tradita hic recte seruauit Hauetus rev. d. phil. XIV 1890 p. 86 neque tamen meminit prouerbii illius, quo nititur omnis in hoc loco argumentatio. Maxima pars hominum, ut Lucret. IV 464 'quoniam pars horum maxima fallit' II 1017 'si non omnia sunt, at multo maxima pars est consimilis'. Hor. serm. II 3, 121 'eo quod maxima pars hominum morbo iactatur eodem'. Lucilium igitur si interrogaueris *ποτέροιν πλείους εἰσίν, οἱ ζῶντες ἢ οἱ νεκροί* (Diog. Laert. I 104), in numero uiuorum ille non esse responderit maximam partem hominum. Epistolae formam praebuerat saturarum liber V: scripserat poeta aegrotus modo se Orci ad limina morbo appulsum tamen mansisse inter uiuos nec abiisse ad plures ideoque posse se scribere quid agat, tam etsi non quaerat (Hor. epist. I 8, 3 'si quaeret quid agam, dic multa ac pulchra minantem uiuere nec recte nec suauiter'). Post 'pars hominum' plures desunt uersus: in Gellii codd continuo secuntur uersus hi: *(Tu enim tali es socordia)*

Vt periisse uelis, quem uisere nolueris cum
Debueris. Hoc 'nolueris' et 'debueris' te
Si minus delectat (quod atechnon) et Eissocratium hoc
Lerodesque simul totum ac si miraciodes,
Non operam perdo, si tu hic.

Bis ut solet Lucilius et Latini omnes omisit uerbum substantiuum cum subiectum sit pronomen: scripsit *si tu hic,* i. e. si tu talis es (Hor. epist. I 6, 40 'ne fueris hic tu'), et *quod ἄτεχνον*, i. e. quod non artis est, sed casu et sponte mihi in buccam uenit. Nihili est *τεχνίον* quod receperunt Lucilii editores a Scaligero excogitatum, qui recte *ληρῶδες* acceperunt ab eodem inuentum, male illud *συμμειρακιῶδες* quod caret ratione traditum in nonnullis codicibus tolerauerunt. *Eissocratium* (qua de mensura nominis conf W. Schulzei quaest. ep. p. 142 Pregeri Inscript. Graec. metr. 156. 157, de scriptura Baumeisteri monum. antiqu. class. s. u. Isocrates) habent recte omisso *est* codd QZX Hertzii (eisocratium X, eis socraticum Z), unde apparet subiectum fuisse pronomen quoddam. Quod agnosco in litteris *Ⱶοχληρωδες* quę, quod habuit X m. 1, cum m. 2 sicuti alii habeat absurdum hoc *οχληρωδες* quę. Nam librarius archetypi uerba *hoc ληρῶδεσque* non minus inepte fecerat Graeca ad unum omnia scribendo *δχληρωδες* quę, quam ea quae sequebantur corrupit ille librarius qui posuit ineptum istud *synmiratiodes,* cum Q recte seruet *si miratio des,* id est 'si *μειρακιῶδες* (similia uide in codd Apul. de mag. cap. 22 med. Non. p. 478, 15 ubi *εμεα φιλοφθονια* traditur pro *e mea φ.* p. 213, 24 eiusdem archetypus habuit *κανδικαντια*): etenim opus erat *si* iterato, quo magis *Eissocratium* recte intellegeretur. Dixit igitur poeta: Tu cessator malus, talis amicus, ut periisse uelis quem uisere nolueris cum debueris. Quod homoeoteleuton si culpas (quamquam casu non arte effectum est) quibus uerbis critici sententiolas Isocrateorum lacerant, ego non operam perdo neque stilum uertam, siquidem tu hic es, ut periisse me uelis potius quam me uisas aegrotum. *Eissocratium* nolui perdere scripturam ne in duplici quidem s littera. Plauti codd testantur bassilicus (Rud. 434 CIL IV 1779) ueisse (Rud. 567 Buecheleri Carmina Latina epigraph. I 46 p. 23); *detrussus* Lucilius lib. XXIX u. 825. Verba Graeca Latinis litteris scripsi ideo quia librario archetypi deberi formas, quas apographa seruarunt Graecas perspecta formarum *synmiraciodes* (conf ind. gramm. s. u. orthographia) et *δχληρῶδες* origine patet. Amicus Lucilii eorum fuit in numero, qui uituperarent oratorum artes pueriles nouitque poeta Isocratis homoeoteleuta ('nolueris cum debueris' ut Isocr. Euagor. 14 p. 195 *οὔτ' ἂν ὁ λόγος ἴσως τοῖς καιροῖς ἁρμόσειεν οὔτ' ἂν ὁ χρόνος τοῖς λεγομένοις ἀρκέσειεν*) ab aduersariis puerilia appellari et inepta. Clarum

fuit Licinii Crassi illud similiter desinens positum in suasione legis Seruiliae anni 106/648 'quibus et possumus et debemus' (ORF^2 p. 300 M rhet. ad Her. IV 3, 5 Cic. de or. I 52, 225). *Puerilem* eiusmodi elocutionem reprehendit rhet. ad Her. IV 23, 32: audiunt eiusmodi figurae *μειρακιώδεις σχηματισμοί* apud Dionys. Halic. ad Amm. de Thucyd. cap. 17 p. 437, 4 Vseneri Rad. carpsitque Theophrastus cuius iudicium secutus est Lucilius *τὸ παιδιῶδες* in talibus (Dionys. Halic. de Lys. cap. 14 p. 24, 7 Vs. R). De Isocratis homoeoteleutis agitur praeterea Cic. or. 12, 38 Demetr. de eloc. cap. 26 RG IX p. 16, 5 W. III p. 267, 6 Sp. Alexand. et Tiber. RG VIII p. 475, 10. 562 W. III p. 36, 1. 74, 29 Sp. — 184. ut periisse uelis] Cic. in Verr. III 77, 180 'uide . . . siquis est . . . qui te nolit perisse' (interpp. ad Hor. serm. II 3, 187). — 185. te si minus delectat] ita Caelius apud Cic. epist. VIII 1, 1: 'Quod exemplum si forte minus te delectarit' . . . De interpunctione huius fragmenti, quod sine grammatici opera intellegi uix potuerit, conf quae V. Wilckenus exposuit Herm. XXXII 1897 p. 482.

189. Non. p. 173, 17 'Sententia, sensibilitas . . . idem lib. V "si . . . *scriptores* quam . . . cordi".' Post scriptoris recte distinxit Onionsius. Scripserat Lucilius in eis, qui hos antecesserunt uersibus 'fortasse tu non credes me esse tantopere affectum miserrima corporis infirmitate meque dices de ualetudine non uera profiteri. Sed, crede mihi, ego gauderem 'si tam corpus Lucilii ualidum maneret tamquam miles loco ac regione, quam ueritas ei semper manet cordi in dicendo'. Poetae ueritatem laudat Horatius serm. II 1, 31. Loco ac regione ut Plaut. Pseud. 595 'hi loci sunt atque hae regiones' Rud. 227 'haec sunt loca atque hae regiones' Lucr. II 534 'at regione locoque alio terrisque remotis multa licet genere esse in eo' (IV 786): uide ind. gramm. s. u. *hendiadyoin* et *castrensis* sermo. *ueritas* creticum uocabulum uersus non capit unde uera sententia Lucilius, uera ratio Lucretius dixerunt.

191. Nonius p. 13, 25 'Crepera res proprie dicitur dubia. . . . Lucilius satyrarum lib. V "*sannunt solis* mihi in magno *merore* tristitia in *summo crepera* inuentus salutis".' Verbum substantiuum cum sit omissum, iure nostro nos *sol is* duo constituerimus uerba: sol is mihi inuentus in crepera re, id est in tenebris maeroris datorque salutis: conf CIL I 34 'is hic situs quei numquam uictus est nirtutei'. Artemid. II 36 p. 133, 25 *H ἡλίους . . . τὰ ἀρρενικὰ τέκνα οἱ γονεῖς ὑποκοριζόμενοι καλοῦσι . . . ἥλιον . . . καὶ τὴν ἐλευθερίαν καλοῦσιν ἄνθρωποι* Hor. serm. I 7, 24 'solem Asiae Brutum appellat' ubi Kiesslingius quod comparat epigramma Kaibelianae sylloges 906 *γαίης Ἰλλυρίδος δεύτερον ἠέλιον* comparetur oportet cum Cic. de nat. deor. II 5, 14 'quo quidem anno P. Africanus sol alter extinctus est'. *i* pro *is* ponere

potuisse poetam et hic et lib. XV u. 494 non uideo quare negetur: *in* pro *isne* recte Palatini Plaut. Mercat. 598: scaenicos *is* corripuisse probari nequit nisi quod *isquidem* anapaestum constituunt editt Plaut. Pers. 179. In litteris *sannunt nunc* recte agnorat Corpetus: *sed* Muellerus: uide ad incert. u. 1228.

193. Charisius GL I p. 100, 26 K 'Intiba neutro genere Vergilius (georg. I 120) dixit, "et amaris intiba fibris", et sic multi eruditorum. sed et masculino genere frequenter a ueteribus dictum est: nam Lucilius in V *derident* (impressi *deridens*) rusticam cenam enumeratis multis herbis "intibus . . . *perserpsit* (*perserpit* cod Dousae) equinis", et Aemilius Macer "*quale seges* intubus herbas".' Nonius p. 209, 1 'Intiba generis neutri. Vergilius georgicorum lib. IIII (120) "quoque modo potis gauderent intiba riuis". masculini Lucilius satyrarum lib. V "intubus . . . *praetensus* equinis".' Scholiasta in Vergilii georgica I 120 (uol. III 2 p. 226, 4 H) 'intyba. pluralis numerus neutri generis, singularis uero generis masculini ut Luci⟨*li*⟩us in V "intybus (intybus herba *G*, intyba *P* ut tiba *N*) praeterea pedibus *presus* (p̄ssus *cod G*) equinis".' Cenam modestam aegroto poetae apposuit familiaris quidam legis sumptuariae obseruans: conf Philemo CAF II p. 509, 98 K *ἐγὼ τὸν ἀγρὸν ἰατρὸν ἐλελήθειν ἔχων· τρέφει γὰρ οὗτος ὥσπερ ἀρρωστοῦντά με, σιτάρια μικρὰ προσφέρων οἴνου θ' ὅσον ὀσμήν, λαχάνου τ' ἀεί τι καὶ νὴ τὸν Δία τὰ πετραῖα ταῦτ' ὀψάρια, κάππαριν, θύμον, ἀσπάραγον, αὐτὰ ταῦτα· καὶ δέδοικα μὴ λίαν ἀπισχναίνων με ποιήσῃ νεκρόν.* Similem cenam deridet poeta AP XI 413 *ὡς κῆπον τεθυκὼς δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπελλῆς οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα. ἦν ῥαφανίς, σέρις ἦν, τῆλις, θρίδακες, πράσα, βολβοί, ὤκιμον, ἡδύοσμον, πήγανον, ἀσπάραγος. δείσας δ' ἐκ τούτων μὴ καὶ χόρτον παραθῇ μοι δειπνήσας θέρμους ἡμιβρεχεῖς ἔφυγον* — et cocus in Plauti Pseudolo 810 seqq. 'non ego item cenam condio ut alii coqui, qui mihi condita prata in patinis proferunt, boues qui conuiuas faciunt herbasque oggerunt, eas herbas herbis aliis porro condiunt: indunt coriandrum, feniculum, alium, atrum holus, apponunt rumicem, brassicam betam blitum': conf Horat. epod. III. Veram lectionem *praetensus* Nonius seruauit: eandem lectionem praebuerat archetypus scholiastae Vergiliani ubi hodie legitur *presus* una syllaba expulsa; *praetensus* forma legitur AL 127, 5 I p. 136 ed Riesei Lips. 1894. Charisii auctor legisse uidetur *proserpsit*: 'quod sata in lucem proserpant' Arnob. III 33 p. 133, 23 R. Adponitur conuiuis intubus, id est cichorea (Seru. ad Vergil. georg. I 120) quae in uiarum margine pedibus equorum et mulorum est praetenta i. e. obtenta uel oblata ungulae praetereuntis iumenti: quod participium ut interpretaretur grammaticus quidam adscripserat *proserpsit* cum intellegeret 'intubus praeterea:

natus est tantummodo equorum ungulis' *οἴαν τὰν ὑάκινθον ἐν οὔρεσι ποίμενες ἄνδρες πόσσι καταστείβοισι* Sapph. 94 B. Loquitur conuiua frugi qui conqueritur intubum pedibus equinis esse oblatum et neglectum iacere sicuti ille incert. u. 1235 de lapatho. Videtur denique cenae dominus legem sumptuariam religiose obseruasse. Nam lege Fannia sumptus cohibebatur 'praeter olus et far et uinum' (Gell. II 24, 2): etiam lex Licinia 'quidquid esset e terra, uite, arbore promisce atque indefinite largita est' (Gell. l. s. 7 Macrob. Saturn. III 17, 9 Cic. ep. VII 26, 2 Athen. VI p. 274 D). Meminerunt huius legis et Lucilius (incert. u. 1200 Gell. l. s. 10) et Laeuius poetae (l. s. 9): 'Verba Laeuii haec sunt, quibus significat haedum, qui ad epulas fuerat adlatus, dimissum, cenamque, ita ut lex Licinia sanxisset, pomis oleribusque constructam' e. q. s. Similem igitur cenam Laeuius descripserat eius qualem hoc libro Lucilius narrauit herbosam. Legem Liciniam tulit P. Licinius Crassus Diues, qui consul fuit anno 657/97, censor anno 665/89 unguenta exotica et uina Graeca Romae eodem studio frugalitatis coercuit (Plin. nat. hist. XIII 24 XIV 95). Quo anno lex Licinia fuerit lata, non constat. At Stoici tres Q. Aelius Tubero Q. Mucius Scaeuola P. Rutilius Rufus legem se obseruare Fanniam solos iactabant auctore Athenaeo VI p. 274 C—F: quod factum esse suspicor anno fere 625/129, quo tempore Q. Aelium constat Stoicum in sumptu cenarum rigorem egregie publice esse professum (Cic. pro Mur. 75 uide ad lib. XIII u. 445). Itaque Licinia lex uidetur lata esse annos inter 625/129 et 649/105, quo anno Lucilius saturas scribere desiit. Lata fuisse a Licinio uidetur cum ille tribunus plebis erat: aedilis enim erat paulo ante L. Crassi oratoris et Q. Mucii Scaeuolae aedilitatem, quos fuisse aediles anno 651/103 uulgo tradunt, quamquam certum auctorem, qui de hac re tradiderit, proferre non possunt (uide interpp. ad Cic. de off. II 57). Quod si hi aediles consules facti sunt anno 659/95, tribuni pl. fuere annis 647/107 et 648/106, probabile est anno fere 645/109 uel 646/108 P. Crassum tribunum legem Liciniam rogasse. Itaque cum liber Lucilii V spectet annum fere 638/116 (uide ad u. 210), probabilius est libro V de lege Fannia actum esse.

194. Nonius p. 201, 2 'Cepe generis neutri. Lucilius satyrarum (s. *om G*) lib. V "flebile ... *talpae*".' *tallae* Scaliger. CGL II p. 195, 17 'talla *κρομμύου λέπυρον*' Paulus ex Fest. p. 358 'tal*l*a (*talia* codd) folliculum cepae, Fest. p. 359, 11 'tallam (*taliam* apogr.) alii folliculum cepae'... Hoc loco non folliculum uel tunica cepae (Pers. IV 30) intellegitur, sed porrum id est *πράσον* quod uocatur Philemonis uersibus ad u. 193 allatis: ad *ordine* supplendum ponuntur ut dub. u. 1370 'ponuntur tenues porri' Naeu. b. Poen. 3 B 'sacra in mensa penatum ordine ponuntur'. Flebile cepe ex Lucilio petiit Varro sat. Menipp. 250 B 'dulcem aquam bibat salubrem et flebile esitet cepe'.

195. Nonius p. 201, 9 'Cepe *(Cepa)* feminini. Lucilius satyrarum lib. V "lippus ... assiduo ceparius cepa *lacrimosa*".' Priscianus GL II p. 203, 15 K 'Hae cepae, harum ceparum. quamuis antiquissimi in a quoque singulare feminino genere hoc recte protulisse inueniuntur.... Lucilius in saturarum VI "lippus ... *assidue* ... cepa".' Lacrimosa est scholion a Nonii operis ex Lucilii editione translatum. Ceparius (CIL VIII 790 CGL V p. 565, 8) lippus est cepe comedenda cuius naturam describit [Aristoteles] problem. K 22 p. 925 a 27: Diphilus apud Athen. II p. 64 B: *οἱ βολβοὶ ... ἀμβλυντικοὶ ὄψεως*. Ablatiuum gerundiui addas exemplis in Draegeri syntaxi II (Lips. 1881) p. 849 congestis. De *assiduo* et *assidue* aduerbiis conf Neuei de formis l. L. II (1892) p. 617. Plautus semper *assiduo* habet (Amphitr. 168 Capt. 178 Cist. 185 Most. 976 Mil. 50 Truc. 422), primus *assidue* scriptor ad Her. IV 56, 69: nam de Terentii dubites consuetudine. Adelph. prol. 16 codd omnes *adsidue*, sed Heautont. prol. 39 Bembinus alii *adsidue*, Victorianus *adsiduo:* eadem duorum Lucilii codicum discrepantia hoc loco erit statuenda. Describitur conuiuii sordidi minister sordidus et deformis qui dicitur fuisse aspectu turpis oculisque sicuti ceparius lippus. Comparat Muellerus lib. XXVIII u. 793 'tepido glutinator glutino'.

196. Charisius GL I p. 94, 16 K 'Similiter et opus pistorium quod adipe conficitur, omni genere dici potest, et "hic adipatus", quo intellegitur panis aut aliud quid, et "haec adipata", hoc est pars (*puls* Lachmannus), et "hoc adipatum", opus scilicet. nam et Lucilius V adipatam dicit feminino genere, sed ubi iungit *pluten*." Praeter olus (Hor. epist. I 17, 13) puls in olla cocta modestorum hominum fuit cibus (Marquardtius Mauius de uita priuata p. R. Lips. 1886 p. 298 Martial. V 78, 6 seqq.). Pultem oleo ungi iubet Apicius V 185 Schuchii.

198. Nonius ex grammatico p. 154, 27 'Primiter pro prime, et primitus pro primo.... Lucilius lib. V "*sicuti ... protuli item* pretio ingenti *ad* primitus *paucos*".' Idem ex eodem p. 281, 16 'Dare, petere. Lucilius lib. V "*sicuti* cum *primus ... pirotulit* et ... *paucos*".' De sententia conf Martial. IV 29, 3 'rara iuuant: primis sic maior gratia pomis'. AP XII 197 *Καιρὸν γνῶθι σοφῶν τῶν ἑπτά τις εἶπε, Φίλιππε· πάντα γὰρ ἀκμάζοντ' ἐστὶν ἐραστότερα. καὶ σίκυος πρῶτός που ἐπ' ἀνδήροισιν ὁραθεὶς τίμιος, εἶτα συῶν βρῶμα πεπαινόμενος* (schol. Aristoph. Pac. 1001). X 103, 3 *καὶ σῦκον δραχμῆς ἓν γίγνεται· ἢν δ' ἀναμείνῃς, χίλια. τοῖς πτωχοῖς ὁ χρόνος ἐστὶ θεός.* Praecoces ficus *προδρόμους* uocari Athenis Plinius refert nat. hist. XVI 113 (Theophr. de caus. plant. V 1, 7), *σῦκον χειμῶνος ζητεῖν μαινομένου* esse

M. Aurel. XI 33. Itaque recentis ficos quos propola uenum dat apparet gratiores esse quam siccas et pressas (Bluemnerus ad edictum Diocletiani VI 84 p. 102): gratissimas et in deliciis habitas primas quasque recentium oblatas. Prōpola ut prōlogus prōpino: *pr* litterarum obserua homoeoprophoron. *sicuti* bis traditum ap. Nonium noli euertere: esse uocabulum Lucilio pro dactylo hic locus euincit duplici nisus testimonio, accedit lib. XXX u. 1029 et incert. u. 1298 ubi Festi apographa idem testantur: seruauit *sicuti* traditum Lucret. III 814 Bernaysius, quem mireris II 536 cum Lachmanno scripsisse *sicut* (ad Lucret. p. 106) pro *sicuti* quod traditur.

200. Priscianus GL II p. 502, 20 K 'Lucilius uero in V "deficit . . . potitur", secundum quartam coniugationem producta paenultima protulit'. Sermo est conuiuae rustici. Petron. 44 'nemo curat quid annona mordet. Non mehercules hodie buccam panis inuenire potui. Et quomodo siccitas perseuerat. Iam annum esuritio fuit'. Liber et alma Ceres Vergil. georg. I 7.

201. Seruius auctus ad Vergilii georg. I 266 'Fiscina genus est uasis, id est corbulae breuis quas perferunt qui arbusta uindemiant. Lucilius in quinto "fiscina fallaci cumulo".' Fiscina fallaci cumulo frustratur agrestes, cum nimius umor imbribus delatus luxuriari fecit uites innumerabiles uuas procreans sed neque dulces neque ad uinum utiles. De uocabulo *fallax* conf Seru. ad Verg. georg. I 195 '*grandior* ut fetus siliquis fallacibus esset'] 'fallacibus, quae fallere plerumque consuerunt: interdum enim folliculi, cum inanes sint, maiores uidentur'. Cic. Lael. 19, 68 'ut tamquam in herbis non fallacibus fructus adpareat'. Tibull. II 1, 19 'neu seges eludat messem fallacibus herbis'. De cumulo Paul. ex Festo p. 14 'auctarium dicebant antiqui quod super mensuram uel pondus iustum adiciebatur, ut cumulus uocatur in modio'.

202. Nonius p. 497, 11 'Accusatiuus positus pro ablatiuo. . . . idem lib. V 'Laeuius . . . fungi".' *Laeuius* Leidensis habet neque est quod ab eius recedamus scriptura. Nam *Laelius* quem alii codd exhibent hoc loco non pauper fuit sed mediocri re praeditus (Apuleius de mag. cap. 20) neque *Aelius* cuius familia incluta erat paupertate sua hoc loco poterit inferri (Val. Max. IV 4, 8. 9) neque *Naeuius* sordidus (incert. u. 1212). Laeuius poeta clarissimus num idem atque hic fuerit nescimus: uidetur memorari conuiua ignobilis Lucilii.

203. Nonius ex grammatico p. 445, 27 'Multum et satis eo distant . . . Lucilius lib. V "nam . . . satis esse *potis esse* (*potis sesse* Leidensis m. 1) potisset . . . *mihi* explere potisse (ita Guelferbytanus: *posse* Leidensis)".' *Potis esse* ad *potisse* u. 205 cum in margine scriptum fuerit glossa in archetypo, per errorem ea illata est in uersu 203. De forma *potisse potisset* uide indicem uerborum et Neuei de formis l. L. III (1897) p. 611. Auarum aliquem facete sub philosophi persona appellat poeta his uerbis 'tu animum tuum insatiabilem castigato his uerbis: nihil ago, cum omnia studeo rapere et congerere auarus. Nam si id quod homini satis est legi naturae oboedienti, id mihi satis esse posset, id ipsum quod nunc habeo, satis sane esset. Sed cum hoc non est, qui possum credere diuitias ullas animum mihi posse explere?' Obsoletas uerbi posse formas in exitu ponit uersuum sicuti scaenici poetae. Dousa in commentario suo adfert Ausonii uerba ex oratione in ephemeride posita (u. 59 p. 6 Schenkl. 10 Peiperi): 'satis hoc rear esse Quod satis est' et Senecae epist. 15, 9: 'quam tu nunc uitam dici existimas stultam? (conf Lucil. lib. XIX u. 558 XXIX u. 807). Babae et Isionis? non ita est: nostra dicitur, quos caeca cupiditas in nocitura, certe numquam satiatura praecipitat, quibus si quid satis esse posset, fuisset'. Clarum fuit Scipionis Aemiliani dictum in Ser. Galbam et L. Cottam: 'alter nihil habet, alteri nihil est satis' (Val Max. VI 4, 2). Senec. epist. 119, 8 'quod naturae satis est, homini non est'. Epicurum illis locis sequitur Seneca sicuti hic Lucilius. Nam Epicuri illud est (473 p. 302 Vseneri): *ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, ἀλλὰ τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν* (Aelian. uar. hist. IV 13). Eandem eodem tempore in scaena protulit sententiam Turpilius Lindia (142 seqq. R): 'Profecto ut quisque minimo contentus fuit Ita fortunatam uitam uixit maxime, Vt philosophi aiunt isti, quibus quiduis sat est' conf Apul. de mag. cap. 20. — Animum explere, ut Terent. Andr. 339 'expleam animum gaudio' 188 'animum ut expleret suum' Hecyr. 755. 785. Senec. dial. XII (XI) 11, 3 'ista congerantur licet: numquam explebunt inexplebilem animum'. In *satis* aduerbii iteratione luserat Plaut. Poen. 288. Verba sunt fortasse Mucii: uide ad incert. u. 1235 seqq.

206. Interpres Veronensis ad Verg. Aen. VIII 106 p. 440 H '. . . nius "absterge lacrimas et diuos ture precemur".' Nonius ex grammatico p. 133, 13 'lupari ut scortari uel prostitui . . . Lucilius lib. V "et diuos . . . tu*ne* inpune *superbis*".' *luperis* et certa et uetusta emendatio est Scaligeri aliorum ex lemmate facta: recte iidem metrum secuti *ne* eiecerunt. Reliqua sana sunt neque emendatione egent sed interpretatione. Adloquitur nescioquis mulierem (quod apparet uocabulo *lupari*) eisdem uerbis quibus in Babrii fabula 78 *κόραξ νοσήσας εἶπε μητρὶ κλαιούσῃ 'μὴ κλαῖε μῆτερ, ἀλλὰ τοῖς θεοῖς εὔχου νόσου με δεινῆς καὶ πόνων ἀνασφῆλαι'* monetque ut *detersis ante lacrimis*, sicuti Psyche facit Apul. metam. VI 3 extr., diuos adprecetur: Val. Max. I 1, 15 'matres ac filiae . . . abstersis lacrimis depositisque doloris insignibus candidam induere uestem et aris tura dare coactae sunt'.

Verba *consilium fassi placent*, quae mutarunt editores, intelleges comparatis Ouid. ex Pont. IV 2, 23 *da ueniam fasso* am. III 9, 35 *ignoscite fasso* heroid. XV 11 *Parce, precor, fasso* metam. XIII 189 *hanc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides, difficilem tenui sub iniquo iudice causam* X 483 (488) *Est tales complexa preces: 'O si qua patetis, numina, confessis'* neque aliter rhetorica docet Aristotelis II 3 p. 1380 a 17 *πρὸς δὲ τοὺς ὁμολογοῦντας δικαίως κολάζεσθαι πανόμεθα θυμούμενοι.* Nominatiuus pluralis ut Suet. Aug. 33 'nonnisi confessi adficiuntur hac poena'. Nihil aptius in hac sententia potest reperiri quam quod traditum est uerbum *placandi* neque alio modo poterunt intellegi hi uersus, nisi si statuetur turpia uerba eis contineri mariti ad uxorem facta, quae deorum iram metuat lacrimansque religione sese impediri clamet quominus ex mariti consilio lupae moribus utatur; nam meretricibus deos secundum scriptoris sententiam esse infestos nemo opinor ex his uerbis confirmabit *tu inpune luperis.* Probabile denique est propter haec ipsa uerba Lucilium libro V egisse de Cipio illo qui Festo auctore p. 173 'Pararhenchon dictus est quod simularet dormientem, quo *impunitius* uxor eius moecharetur: eius meminit Lucilius'. Vide ad incert. u. 1223.

208. Nonius p. 515, 3 ex grammatico 'Minutim pro minute. Lucilius lib. V "dic . . . nigrore".' Verba sana sunt omnia: conf incert. u. 1340 'uis nos facere omnia cogit'. Nocturno furto cum cibaria ablata fuerint in cella penaria, seruus mendax qui ea abligurrierat dixerat quaerenti domino feram esurientem noctu irrepsisse eaque deuorasse. Tum dominus ait 'feram illam saeua fami dic quam cogat uis ire minutim per commissuras rimarum noctis nigrore'. Hor. epist. I 7, 29 'forte per angustam tenuis uulpecula rimam repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus ire foras pleno tendebat corpore frustra'. Noctis nigrore, quod et apud Pacuuium inuenitur (412 R), in exitu heroi ut *μελαίνης νυκτὸς ἀμολγῷ* positum cum sit utaturque et Lucretius III 39 hoc uocabulo, ab Ennii annalibus uidetur esse sumptum a Lucilio: Hom. O 323 *ὥστ' ἠὲ βοῶν ἀγέλην ἢ πῶυ μέγ' οἰῶν θῆρε δύω κλονέωσι μελαίνης νυκτὸς ἀμολγῷ Λ* 173 *ἅς τε λέων ἐφόβησε μολὼν ἐν νυκτὸς ἀμολγῷ* (Eurip. fragm. 104 N).

210. Nonius p. 455, 14 'Rostrum hominis . . . Lucilius satyrarum lib. V "ne . . . spectes".' Quae hoc loco enarrantur facta esse exeunte anno mense fere Decembri apparet e uocabulo *designati*. Comparari potest Hor. serm. I 6, 120 'Marsya qui se uoltum ferre negat Nouiorum posse minoris'. Cic. de leg. agr. II 93 'Iam uero uultum Considi uidere ferundum uix erat'. Quod rostrum pedesque componuntur, mirum uidetur: praetori rustico 'rusticius tonso toga defluebat et male laxus in pede calceus haerebat' (Hor. serm. I 3, 31). Hominem praeterea turpissimum

uidetur poeta porco comparasse cuius pedes et rostrum *πόδες* et *ῥύγχος* una commemorantur ap. Alexin CAF II p. 335, 15 K *ποδάρια, ῥύγχη τινά, ὠτάρι' ὕεια* Theophilum l. s. p. 475, 8 *ῥυγχίον κωλῆν πόδας τέτταρας ὑείους* Anaxilam l. s. p. 269, 19 *ῥύγχη πόδας* (Athen. III p. 95 A—96 E). Rostrum posuerat de hominis facie Plaut. Menaechm. 89, conf de hoc uocabulo uulgari Diezii uocabularium etymologicum lingu. Rom. (edit. 1887) p. 484 Lucil. incert. u. 1121. Qui loquitur urbe cedere mauult quam spectare fastus et iactantiam praetoris designati hominis rustici. Librum V post annum 635/119 et ante 644/110 compositum esse efficitur eis quae diximus ad XI u. 418. Non multum ante annum 639/115 praetor erat C. Caecilius Metellus cognomine Caprarius (P. Wehrmanni fasti praetorii p. 14) qui consul erat 641/113. Qui Lucilio notus erat ideo, quod apud Numantiam item stipendia meruerat ductu auspicioque Scipionis, qui eum ualde odisse uidetur sicuti totam eius familiam (Cic. de or. II 267). Caprarii cognomine homo nobilis non poterat appellari nisi erat rusticus et pinguis quem asino proximum Scipio dixerat stomachans (Cic. l. s.). Itaque incert. u. 1130 'Cecilius praetor ne rusticus fiat' ad hunc ipsum Caprarium uidentur pertinere libroque V debere inseri. Quo libro si ea narrabantur, quae modo erant gesta paulo postquam praetor designatus erat Caprarius, anno fere 638/116 eum compositum esse statuemus.

212. Nonius p. 158, 33 'Pecus non solum quadrupes animal, uerum omnia animalia pecudes dicuntur. . . . Lucilius satyrarum lib. V "lasciuire pecus *nisi nostrique* repandum".' Vide ad incert. u. 1303. Agi de delphinis intellexerunt illi qui uersum emendarunt tangique Pacuuii uersum (408 R) 'Nerei repandirostrum incuruiceruicum (conf *μακροκαμπυλαύχενες* Epicharm. 46 Kaibel.) pecus'. Sicuti incert. u. 1126 transuerso ordine posuit metri necessitate coactus *camphippi* pro *hippocampi,* ita hoc loco per iocum rostri repandum pro repandirostrum. Repandinasum utrum Lucilius ipse finxerit Pacuuii per iocum aemulus, an Accii sit aliusue poetae, incertum est. Agitur de delphinis qui naues Graecorum Troia redeuntium comitantur ludentes: qui locus uel in Heronis Alexandrini automatis p. 414 ed. Guilelmi Schmidtii Lips. 1899 p. 414, 9 seqq. tertio actu pantomimi Nauplii non erat neglectus. De Latinis uide Liu. Andr. Aegisth. 5 R. Seneca Agam. 449 seqq. Panda naris delphini dicitur ab Ouidio metam. III 674, pandum dorsum a Seneca l. s. s. 450, lasciuire delphinos primus dixerat Liuius l. s. s. 'lasciuum Nerei simum pecus', tum Seneca l. s. 454, Ouidius l. s. 685, Plin. nat. hist. XVIII 361.

213. Gellius VIII 5 'Quid illud sit, quod Vergilius (Aen. XII 407) caelum stare puluere et quod Lucilius pectus sentibus stare dixit'. Nonius p. 392, 2 'Stat etiam plenum est. Lucilius

satyrarum lib. V "interea . . . pectus".' Donatus ad Terentii Andriam IV 2, 16 'Stetisse, hoc est esse. . . . aliter plenum est . . . aliter horrent, ut . . . et Lucilius "stat sentibus *fundus*".' Nouumne Lucilii et diuersum fragmentum proferat Donatus an idem atque Gellius et Nonius corruptum in extremo uerbo dubites: rectius tamen erit uerba ap. Donatum seruata tribuere incertae sedis uersibus (1301). Describitur homo errabundus per rubeta spinas solitudines: dum aegre pedem promouet per densa ruborum impedimenta, interea stat sentibus pectus, quibus caput et crura foede descobinantur.

214. Nonius p. 363, 26 'Prodere rursus differre uel excludere. . . . Lucilius satyrarum lib. V "possisne . . . an *pro*denda dies sit".' Donatus ad Terentii Andr. II 1, 13 'Prodat proferat, prolatet, differat. Lucilius in quinto "an porro . . . sit".' Homines obsessi deliberant, alter alteri 'hodie', inquit, 'considerandum erit possisne elabi an porro prodenda et differenda tibi sit dies salutis et effugii', ut *νόστιμον ἦμαρ*. Locutio ipsa castrensis est sermonis: Cato (p. 73, 12 Iord.) ap. Fest. p. 242, 14 'prodidisse non solum in illis dicitur, qui patriam hostibus prodiderunt, sed etiam 'tempus longius fecisse', ut Cato 'Te, C. Caecili, diem prodi⟨di⟩sse militibus legionibus III, cum proditionem non haberent'.

215. Seruius auctus ad Aeneidos X 398 'Alii "dolorem" alicuius studii ardorem et promptam gloriae cupiditatem ueterum more dictum uolunt, ut Graeci *πόνον* appellant, Lucilius in quinto "nam . . . labosque".' Verba ipsa sana sunt omnia. *Dolorem capere* Plaut. Truc. 455 'quantum corde capio dolorem', laborem capere Terent. Andr. 719 'uerum ex eo nunc misera quem capit laborem', (ubi *dolorem* DG), Lucr. V 1182 'et nullum capere ipsos inde laborem'. Sicuti apud Lucilium est utrumque uocabulum habent Plaut. Pseud. 685 'atque hoc euenit in labore atque in dolore ut mors obrepat interim' Terent. Andr. 831 'eius labore atque eius dolore gnato ut medicarer tuo'. Datiuus *omnibus* non participio *captus* passiui adpositus est ut saepe *susceptus* participio (Draegeri syntax. hist. I [1878] p. 430), sed *dolor* substantiuo. *Re* ablatiuus *dictis* plerumque opponitur ut ap. Plautum Rud. 682 'desiste dictis nunciam miseram me consolari: nisi quid re praesidi apparas, Trachalio acta haec res est'. (Aulul. 222 Epid. 113 ad Her. IV 39, 51. 40, 52.) Hoc loco adiectiuum uidetur excidisse. Omnibus militibus ab hoste turpiter in castris obsessis unus erat dolor ex hac re captus et labor. Nempe erumpere hostemque fugare se uelle clamabant. Atque 'gloriae cupiditatem' hoc loco esse 'dolorem' ipse tradit scholiasta. Conf Liu. XL 27, 10—15: uide ad u. 221.

216. Priscianus G L II p. 470, 6 K 'Quidam tamen etiam "nexi", . . . ut "flecto flexi". . . . Lucilius in V "hic . . . *mihi* . . .

nexit".' Idem p. 536, 7 'Similiter "necto nexui" et "nexi". . . . Lucilius in V "hic . . . *mihi* . . . nexit".' Diomedes GL I p. 369, 16 K 'Necto . . . nexui uel nexi. . . . Lucilius satyrarum (satirarum M) *curarum* retia *nectit*'. Conf de his locis prolegg. p. LXXI. *Curarum* quod est apud Diomedem reliquiae esse uidentur uocabuli *saturarum V*, cum superscriptum fuerit *satyrarum*. Homo mihi uidebatur cessare et nugari, otio operam dare et desidiae: tamen hic solus uigilauit omnium, et cum id mihi uisus est facere, tum retia nexit. Aemilii Pauli strategema uidetur enarrare: conf Liu. XL 28, 3 et ad u. 221.

218. Macrobius Saturn. VI 1, 35 'Dicite, Pierides, non omnia possumus omnes (= Verg. eclog. VIII 63) Lucilius in V "maior . . . omnes".' Similes sententias collegit Otto de prouerbiis p. R. p. 255: Hom. Il. *Δ* 320 *ἀλλ' οὔ πως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισι* 'non omnia nimirum eidem di dedere' Liu. XXII 51, 4: conf Hom. Il. N 729—734. Adde Hom. Il. *Ψ* 670 *οὐδ' ἄρα πως ἦν ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι* (Propert. III 9, 7 omnia non pariter rerum sunt omnibus apta: uide Burmannum ad Ouid. a. a. III 188 et nos ad incert. u. 1234).

219. Nonius p. 552, 18 'Catapulta, iaculum celer uel (*ut* I. Dousa) sagitta. . . . Lucilius satyrarum lib. V "custodem classis catapulta *stila* sarisas".' Agitur de re nauali. Iusserat imperator parata habere duumuirum naualem uel praefectum classis arma et tela. *Pila* Lachmannus, recte: conf Plaut. Curc. 689 'ego ex te hodie faciam pilum catapultarium': *tela* quod Rothius posuit nimis commune est uocabulum. *Custodem classis* quod poeta praefectum appellat, aegre Latinum uocabulum, quod uersui conueniret uulgo tritum eum repperisse intellegas: *ναυφύλαξ* custodem nauis Aristophanes uocauerat Lemniis CAF I p. 489 K. Catapultas in naui poni refert Diod. XX 49, 4 *ὁ δὲ Δημήτριος . . . τὰς ναῦς ἁπάσας πληρώσας καὶ τῶν στρατιωτῶν τοὺς κρατίστους ἐμβιβάσας βέλη καὶ πετροβόλους ἐνέθετο καὶ τῶν τρισπιθάμων ὀξυβελῶν τοὺς ἱκανοὺς ταῖς πρῴραις ἐπέστησε* (conf 83 XVII 24, 1. 6). Titulus Dittenbergeri syll. ed. II 221, 10 *ἀποστέλλων τοὺς διαφυλάξοντας ἱππεῖς τε καὶ πεζοὺς στρατιώτας καὶ βέλη καὶ καταπάλτας καὶ τοὺς χρησομένους τούτοις*. Liu. XL 26, 8 'duumuiri nauales creati C. Matienus et C. Lucretius nauesque iis ornatae sunt Matienoque . . . imperatum est ut classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram, si quo usui esse L. Aemilio atque exercitui eius posset' conf 28, 7: uide ad u. 221.

220. Nonius p. 261, 4 'Cernere rursum disponere. Lucilius satyrarum lib. V "postquam . . . *decreuit* (olim impressi *creuit*)".' Imperator diu quid faceret commeditatus decernit praesidium castris educere et acie decernere cum hostibus. *Castris* educere Caes. b. G. I 51, 2 IV 13, 6 b. c. I 66, 1. 68, 1. Aemilii Pauli

ab Liguribus in castris obsessi strategema uidetur narrare coniuia: conf Liu. XL 27 et 28 et ad u. 221.

221. Nonius ex grammatico p. 546, 30 'Mixtarium, quo miscemus. Lucilius lib. V "urceus *aut* longe gemino mixtarius paulo".' '*Haut longe*' recte Lachmannus: eadem uersus sede positum est Ennii annalibus 481 V 'impetus haut (aut codex Festi p. 285, 1) longe mediis regionibus restat'. Praeterea saepissime *haud longe* apud Plautum ut Amphitr. 322 Rud. 255. 266 ubi item in codd *aut* positum pro *haut:* Cornelius Nepos qui *haud* particula tribus tantum modo usus est locis, duobus posuit cum *longe* aduerbio (Datam. 4, 4 Ages. 4, 5). Gemino et Paulo datiui sunt: conf Martial. I 86, 6 'tam longe est mihi (sodalis uicinus) quam Terentianus qui nunc Niliacam regit Syenen': Petron. 58 'longe tibi sit comula ista' Vergil. Aen. XII 52 'longe illi dea mater erit'. Mixtarius est crater, urceus aquarius (Martial. XIV 106 XI 56, 3 Cat. de agri cult. 10, 2. 11, 3. 13, 2. 135, 2) quo crater aqua repletur sicuti Dig. XXXIII 7, 18, 3 enumerantur 'urcei quibus aqua in aenum infunditur'. Describitur igitur conuiuium ubi aderant duo nobilissimi homines, L. Aemilius Paulus et M. Seruilius Geminus, ille Scipionis Aemiliani pater, hic aut pater cons. 552/202, fortissimus Romanorum, cuius praeclare facta celebrant nummi Seruiliani (Babelo monn. d. l. rép. II p. 446. 449: 'Ter et uiciens cum hoste per prouocationem pugnaui, ex omnibus cum quibus manum conserui, spolia rettuli' ipse de se gloriatur in oratione habita pro triumpho Pauli sui anno 587/167 ap. Liuium XLV 39, 16) — aut eius filius (conf Nipperdeyus die leges annales d. roem. Rep. Leipz. 1865 p. 6), qui tribunus militum sub Paulo erat in bello contra Ligures anni 573/181 (Liu. XXXX 27, 4) quod probabilius esse duco. Narrauisse rem uidetur Scipio Aemilianus: res gestas in bello contra Ligures quas Liuius enarrat lib. XXXX cap. 25 seqq. possumus consociare cum reliquiis huius libri u. 213 — u. 220: milites in castris a Liguribus obsessi fremunt (cap. 27, 14) turpem rem gementes, imperator Paulus quattuor portis praesidia ponit, quorum uni M. Seruilius Geminus praeerat (cap. 27, 4): denique 'aduersus ita incompositos eos uenientes clamore pariter omnium, qui in castris erant, calonum quoque et lixarum, sublato simul omnibus portis Romani eruperunt. Liguribus adeo inprouisa res fuit, ut perinde ac si insidiis circumuenti forent, trepidarent' (28, 4).

222. Donatus ad Terentii Andriam III 2, 4 ' "Quod iussi dari bibere et quantum imperaui date". Consuetudine quam ratione dixit pro "date ei potionem". Lucilius in quinto "da (date *CT*) bibere *summo*" (summo *om T*) . . . nam duo uerba iniuncta nullum habent significatum sine nomine aut pronomine, ut si dicas "dic facere".' Porphyrio ad Horatii carm. III, 21, 7 'Attende elocutionem, descende promere, pro descende ut promas; ut est illud Lucilian*um* (luciliane codd; Lucili: a ne *Zangemeisterus*) "da bibere ab summo".' Plaut. Asin. 891 'da, puere, ab summo. age tu interibi ab infimo da sauium'. De *biber* uulgari forma Charis. GL I p. 124, 1 K: quam hoc loco restitui uoluit Lindenbrogius. Cui comparari potest forma conuiualis Graecorum *πεῖν* AL XI 140, 3. Ab summo lecto ad imum procedit poculum i. e. *ἐπιδέξια* (Athen. XI p. 463 F).

223. Priscianus GL II p. 115, 8 K 'Scutum, uel scuta, id est rotunda forma, scutula et scutella. Lucilius in V "scutam . . . infixit".' Scutam ligneam dum rixantur serui infixit alter in alterius capite immo in cerebello eius. Infigi cerebro capitis scutam dicit poeta per hyperbolen: similiter Sammon. lib. med. 23. cerebrum posuit pro calua; *infigere* sicuti configere (incert. u. 1280) castrense esse uidetur uerbum. 'infigitur arbore mali' sagitta apud Vergil. Aen. V 504. *Ligneola* scuta uile indicat conuiuium: deminutiuum poeta usurpauit propter metrum ut muliercula *aureolus* similia primus, ni fallor. Scuta idem est quem Graeci dicunt *πίνακα*: in cena Trimalchionis ap. Petron. 74 'Trimalchio offensus conuicio calicem in faciem Fortunatae immisit' (Iuuen. V 26). De exitu uersus uide ind. gramm. s. u. s littera.

225. Nonius p. 341, 32 'Mactare est magis augere. . . . Lucilius satyrarum lib. V "macte . . . *hic uersibus* esto".' Seruius auctus ad Aeneidos IX 641 '. . . et Lucilius lib. V 'macte . . . his uiribus".' Nonii librarius cum aperte peccarit posito *hic* pro *his*, eum noluimus sequi in lectione *uersibus*, cum *uiribus* commendet paronomasia: conf Cic. de or. II 27, 120 'oratoris uis illa diuina uirtusque'.

226. Nonius p. 235, 28 'Aequales rursum aequaeui. . . . Lucilius satyrarum lib. V *ueterum* unum cecidisse tamen *senem tiresiam* aequalem constat'. *tiresiam* pro *tiresiai* sicuti Lucret. V 67 *materiam* codd pro *materiai*. Per iocum a Lucilio describitur pugna uetulorum ministrorum conuiuii charactere epico: omnes salui euaserunt, constat tamen unum proelio cecidisse cornicis aequalem. Tiresiam tradunt *ἐννέα γενεὰς ζῆσαι* (schol. Lycophr. 682) uel septem aetates (Hygin. fab. 75) auditque ille *πολυχρόνιος* apud Apollodor. III 72 Wagneri et bis *γεραιός* Soph. Antig. 991. 1045, ponitur in grandaeuis a [Luciano] Macrob. 3 qui auctor est secundum tragicos Tiresiam *μέχρις ἓξ γενεῶν παρατεῖναι*, appellatur denique incert. u. 1108 non idem, sed alius ut uidetur seruus Tiresia quidam grandaeuus quem u. huc reuocauit Lachmannus. Describitur conuiuium sordidum ubi 'serui sordidati ministrant, nonnulli etiam senes' (Cic. in Pison. 67).

VI.

228. Porphyrio ad Horatii serm. I 5, 87 'oppidulo quod uersu dicere non est'. 'Aequum Tuticum significat, cuius nomen exametro uersu compleri non potest. hoc autem sub exemplo Lucili posuit: nam ille in sexto saturarum sic ait "seruorum . . . possis".' Saturnalia uocabulum cum bene poni possit in heroo uersu, Sigillaria quae teste Macrobio Saturn. I cap. 10, 24 et 11, 46 seqq. celebrabantur post Saturnalia significari hoc uersu uoluit Scaliger. Tamen neque Saturnalia neque Sigillaria seruorum proprie fuisse statui potest, cum fuerint Saturnalia et seruorum et statu liberorum dies festi. Neque de die festo ueteres grammatici quicquid boni potuerunt docere, quorum interpretamentum Festi sunt uerba p. 343, 7 M (quae recte primus ad hunc u. Lucilii rettulit uan Heusdeus stud. crit. in Lucilium p. 143. 144) 'Seruorum dies festus uulgo existimatur Idus Aug. quod eo die Ser. Tullius natus seruus aedem Dianae dedicauerit in Auentino cuius tutelae sint cerui, a quo celeritate fugitiuos uocent ceruos': similia tradit Plutarchus quaest. Rom. 100. Nomen tamen diei festi, quem uersus hexameter non capiat, ne huius interpretationis quidem auctor potuit suppeditare. Graecorum similes lusus adnotant interpretes ad Horatii l. s. s. ueluti Archestrati XXXIX Brandtii *ἰχθύος αὐξηθέντος ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν*. L. Muellerus memor fuit Critiae uersuum (PLG II[4] p. 282) *οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ* quo loco Bergkius relegat lectorem ad epigramma EG 616 Kaibelii *οὐ γὰρ ἐν ἑξαμέτροισιν ἥρμοσεν τοὔνομ' ἐμόν*: conf Martial. IX 11, 10 seqq. Apollin. Sidon. carm. XXIII 485 seqq. — dies hic] i. e. dies hodiernus quo saturam scribit poeta otiosus. Probabile est his uerbis saturam incipere sicut Tibull. I 7 'hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes' e. q. s. — plane dicere, ut lib. I u. 2.

230. Nonius p. 324, 5 'Iubere est uelle. Lucilius satyrarum lib. VI "saluere . . . amico".' Salutem miserat amicus Lucilio aegroto aut ipse aut per amicum: quod arripiens poeta dicit salutem mittere idem esse atque si iusserit eum corpore saluere siue saluum esse ualetudine. Morbo laborare Lucilium illo tempore ex libri V exordio intelleximus: iterum de ualetudine queritur libro VI. Cic. ad Att. XVI 3, 6: 'Atticam nostram cupio absentem suauiari: ita mihi dulcis salus uisa est per te missa ab illa.' Ouid. heroid. 4, 1 (16, 1).

231. Porphyrio ad Horatii sermonum I 9, 78 '"Sic me seruauit Apollo": † de hoc illo sensu Homerico sumpsit, quem et Lucilius in sexto satyrarum repraesentauit sic 'dicens, "*ut discrepet hac τόνδε ἐξήρπασεν Ἀπόλλων* [*quem rapuit Apollo*] fiat".

Ergo 'significat Horatius' e. q. s. Verba *quem rapuit Apollo* ut glossema recte eiecit Lachmannus, *ergo* Porphyrionis est, non Lucilii. Idem illud *ἐξήρπασεν* mirum est quod loco Iliadis Υ 443 Homeri habet cod Vindobonensis. *Fiat* quomodo intellegendum sit e Pompilii uersu elucet ap. Varr. d. ling. L. VII 28 'sic fiet (*ita cod*) "mutua muli".' Itaque scribendum '⟨nil⟩ ut discrepet, ac "*τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων*" fiat' quae hoc modo suppleas: 'iam miser optat homo celebri haec illi Hectoris pugnae nil ut discrepet ac "*τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων*" fiat: ita enim pugnis et fustibus erat male mulcatus'.

233. Nonius p. 498, 7 'Genetiuus positus pro ablatiuo. . . . Lucilius satyrarum lib. VI "hortare . . . *capis ortiri*".' Versum Lachmannus emendauit: conf Ennii fragmentum (TRF[3] 328. 329 p. 71 R) 'meae tam potis pacis potiri'. Sextum saturarum librum sicuti quintum epistulas habuisse ex uersibus 230. 233. licet intellegere: hoc uersu rescribit poeta amico hortanti, ne cunctetur, si illorum in gratiam hominum possit redire, qui ab se erant alienati. *Illorum pax* dicitur sicuti *meae pacis* l. s. s. apud Ennium, *pace tua* apud Plaut. Rud. 698 Ter. Eun. 466 Cic. Tusc. V 5, 12.

234. Nonius ex grammatico p. 160, 8 'Porcet significat prohibet. . . . Lucilius lib. VI "non . . . porcent".' Memorabile est homoeoprophoron post caesuram.

235. Seruius auctus ad Aeneidos I 76 'Optare non tantum eligere significat, ut alibi "optauitque locum regno" (Aen. III 109), sed etiam uelle, ut hoc loco, quid optes, quid uelis. Lucilius in VI "*quid* ipsum facere optes", id est uelis.' Vergilius u. s. s. 'tuus, o regina, quid optes, explorare labor', Catull. LXXVI 25 'ipse ualere opto et taetrum hunc deponere morbum'.

236. Nonius p. 500, 21 'Ablatiuus pro genetiuo (add Lachmannus: *uel datiuo*). . . . idem lib. VI "*et* id . . . *rei*que resistit".' *Reque L m. 1* habere uisum est Muellero. Significare uidetur poeta id quod didicimus studiisque liberalibus nobis peperimus quod nobis 'auferre non possit nisi Orcus' (Petron. 46). Conf apopthegma apud Diog. Laert. V 19 *τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν* (Cic. pro Arch. 16). *et* in exitu uersus ut lib. XVI u. 522: uide ind. gramm. s. u. *monosyllabon* et *hendiadyoin*.

238. Nonius p. 68, 29 'Abstemius . . . Lucilius satyrarum lib. VI "*thaunomeno* inquit (ita Guelferb., *thaunumeno inquid* Leidensis) *ualua* . . . audit".' Consentiunt Lachmannus Hauptius (opusc. I p. 201) L. Muellerus balbutire mulierem ita ut ϑ litterae delicias adfectaret: quamquam et hoc incertissimum et ea quae posuere *Θαῦμα μέν* similia nemini placebunt. Atque Graecum uocabulum restitui oportere utique concesseris; sed inprimis

VI.

228. Porphyrio ad Horatii serm. I 5, 87 'oppidulo quod uersu dicere non est'. 'Aequum Tuticum significat, cuius nomen exametro uersu compleri non potest. hoc autem sub exemplo Lucili posuit: nam ille in sexto saturarum sic ait "seruorum . . . possis".' Saturnalia uocabulum cum bene poni possit in heroo uersu, Sigillaria quae teste Macrobio Saturn. I cap. 10, 24 et 11, 46 seqq. celebrabantur post Saturnalia significari hoc uersu uoluit Scaliger. Tamen neque Saturnalia neque Sigillaria seruorum proprie fuisse statui potest, cum fuerint Saturnalia et seruorum et statu liberorum dies festi. Neque de die festo ueteres grammatici quicquid boni potuerunt docere, quorum interpretamentum Festi sunt uerba p. 343, 7 M (quae recte primus ad hunc u. Lucilii rettulit uan Heusdeus stud. crit. in Lucilium p. 143. 144) 'Seruorum dies festus uulgo existimatur Idus Aug. quod eo die Ser. Tullius natus seruus aedem Dianae dedicauerit in Auentino cuius tutelae sint cerui, a quo celeritate fugitiuos uocent ceruos': similia tradit Plutarchus quaest. Rom. 100. Nomen tamen diei festi, quem uersus hexameter non capiat, ne huius interpretationis quidem auctor potuit suppeditare. Graecorum similes lusus adnotant interpretes ad Horatii l. s. s. ueluti Archestrati XXXIX Brandtii *ἰχθύος αὐξηθέντος ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν*. L. Muellerus memor fuit Critiae uersuum (PLG II⁴ p. 282) *οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ* quo loco Bergkius relegat lectorem ad epigramma EG 616 Kaibelii *οὐ γὰρ ἐν ἑξαμέτροισιν ἥρμοσεν τοὔνομ' ἐμόν*: conf Martial. IX 11, 10 seqq. Apollin. Sidon. carm. XXIII 485 seqq. — dies hic] i. e. dies hodiernus quo saturam scribit poeta otiosus. Probabile est his uerbis saturam incipere sicut Tibull. I 7 'hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes' e. q. s. — plane dicere, ut lib. I u. 2.

230. Nonius p. 324, 5 'Iubere est uelle. Lucilius satyrarum lib. VI "saluere . . . amico".' Salutem miserat amicus Lucilio aegroto aut ipse aut per amicum: quod arripiens poeta dicit salutem mittere idem esse atque si iusserit eum corpore saluere siue saluum esse ualetudine. Morbo laborare Lucilium illo tempore ex libri V exordio intelleximus: iterum de ualetudine queritur libro VI. Cic. ad Att. XVI 3, 6: 'Atticam nostram cupio absentem suauiari: ita mihi dulcis salus uisa est per te missa ab illa.' Ouid. heroid. 4, 1 (16, 1).

231. Porphyrio ad Horatii sermonum I 9, 78 '"Sic me seruauit Apollo": † de hoc illo sensu Homerico sumpsit, quem et Lucilius in sexto satyrarum repraesentauit sic dicens, "*ut discrepet hac τόνδε ἐξήρπασεν Ἀπόλλων* [*quem rapuit Apollo*] fiat".

Ergo 'significat Horatius' e. q. s. Verba *quem rapuit Apollo* ut glossema recte eiecit Lachmannus, *ergo* Porphyrionis est, non Lucilii. Idem illud *ἐξήρπασεν* mirum est quod loco Iliadis Y 443 Homeri habet cod Vindobonensis. *Fiat* quomodo intellegendum sit e Pompilii uersu elucet ap. Varr. d. ling. L. VII 28 'sic fiet (*ita cod*) "mutua muli".' Itaque scribendum '⟨nil⟩ ut discrepet, ac "*τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων*" fiat' quae hoc modo suppleas: 'iam miser optat homo celebri haec illi Hectoris pugnae nil ut discrepet ac "*τὸν δ' ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων*" fiat: ita enim pugnis et fustibus erat male mulcatus'.

233. Nonius p. 498, 7 'Genetiuus positus pro ablatiuo. . . . Lucilius satyrarum lib. VI "hortare . . . *capis ortiri*".' Versum Lachmannus emendauit: conf Ennii fragmentum (TRF³ 328. 329 p. 71 R) 'meae tam potis pacis potiri'. Sextum saturarum librum sicuti quintum epistulas habuisse ex uersibus 230. 233. licet intellegere: hoc uersu rescribit poeta amico hortanti, ne cunctetur, si illorum in gratiam hominum possit redire, qui ab se erant alienati. *Illorum pax* dicitur sicuti *meae pacis* l. s. s. apud Ennium, *pace tua* apud Plaut. Rud. 698 Ter. Eun. 466 Cic. Tusc. V 5, 12.

234. Nonius ex grammatico p. 160, 8 'Porcet significat prohibet. . . . Lucilius lib. VI "non . . . porcent".' Memorabile est homoeoprophoron post caesuram.

235. Seruius auctus ad Aeneidos I 76 'Optare non tantum eligere significat, ut alibi "optauitque locum regno" (Aen. III 109), sed etiam uelle, ut hoc loco, quid optes, quid uelis. Lucilius in VI "*quid* ipsum facere optes", id est uelis.' Vergilius u. s. s. 'tuus, o regina, quid optes, explorare labor', Catull. LXXVI 25 'ipse ualere opto et taetrum hunc deponere morbum'.

236. Nonius p. 500, 21 'Ablatiuus pro genetiuo (add Lachmannus: *uel datiuo*). . . . idem lib. VI "*et* id . . . *rei*que resistit".' *Reque L m. 1* habere uisum est Muellero. Significare uidetur poeta id quod didicimus studiisque liberalibus nobis peperimus quod nobis 'auferre non possit nisi Orcus' (Petron. 46). Conf apopthegma apud Diog. Laert. V 19 *τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν μὲν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν* (Cic. pro Arch. 16). *et* in exitu uersus ut lib. XVI u. 522: uide ind. gramm. s. u. *monosyllabon* et *hendiadyoin*.

238. Nonius p. 68, 29 'Abstemius . . . Lucilius satyrarum lib. VI "*thaunomeno* inquit (ita Guelferb., *thaunumeno inquid* Leidensis) *ualua* . . . audit".' Consentiunt Lachmannus Hauptius (opusc. I p. 201) L. Muellerus balbutire mulierem ita ut *θ* litterae delicias adfectaret: quamquam et hoc incertissimum et ea quae posuere *Θαῦμα μέν* similia nemini placebunt. Atque Graecum uocabulum restitui oportere utique concesseris; sed inprimis

enitemur restituere uersus corrupti caesuram mediam. Scripsi *chauno meno* i. e. ego segnis maneo et bibula: de feminina forma *χαῦνος* uide lexica. s ultima abiecta ut in *scorpios* lib. XXX u. 1022 psolos VIII 304: quare *μένω* Graecum elisionem pati (conf Lachmannus ad Lucret. IV 1169) ut *amphitapoe* u. 252 non miror. — siccam, i. e. non uinosam et sobriam: Afran. 61 ‘sicca, sana, sobria’ Plaut. Asin. 857 ‘siccum frugi continentem’ Seneca epist. 18, 4 ‘ebrio ac uomitante populo siccum ac sobrium esse’ Ouid. a. a. II 685 ‘odi quae praebet, quia sit praebere necesse, siccaque de lana cogitat ipsa sua’. Duae illae sorores moribus diuersae erant sicuti tres in Phaedri fabula IV 5, 3 ‘quidam decedens tres reliquit filias, unam formosam ... alteram lanificam et frugi rusticam, deuotam uino tertiam et turpissimam’: itaque balba illa Lucilii balbutit potius uino madida (Iuuen. XV 48): ‘sit illa frugi, ego *χαῦνος* maneo’, itaque anus rursus ad armillum.

240. Nonius p. 281, 22 ‘Dominus rursum appellatur conuiuii exhibitor; unde et dominia conuiuia. Lucilius satyrarum lib. VI “qui te bonus Iuppiter inquit Crasso *mucium cum cenabat dominum fortem*”.’ Cenarat apud Crassum oratorem hominem et diuitem et luxuriosum Mucius Augur socer eius qui genero postea male precatur quia cena opima domino nimis officiose inuitante iurisconsulti laeserat stomachum. Nam stoicus erat Augur summaque frugalitate (Athen. VI p. 274 C—E). Versum grauiter corruptum in exitu esse apparet: scripsi *cum cena,* ut Plaut. Pseud. 836 ‘At te Iuppiter dique omnes perdant cum condimentis tuis’ Rud. 1170 ‘quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis’. *perdat* omissum est, sicuti lib. II u. 56 XV u. 514 (Hauetus reu. de phil. XIV 1890 p. 90), *improbe* inserui. *fortem* castrense uocabulum pro *bellum:* miles ap. Plaut. Mil. 1106 ‘ecquid fortis uisast?’ conf quae Nonius affert p. 306 Lucil. lib. XXX u. 1026 ‘omnes formonsi fortes tibi’. Gener cum sine dubio Crassus qui natus est anno 614/140 socerum Mucium inuitarit, scriptus sit oportet liber VI Lucilii postquam pubertatem consecutus est Crassus annorum fere XVI, i. e. post annum 630/124.

242. Nonius ex grammatico p. 136, 30 ‘Macellum dictum pro macilentum Lucilius probat lib. VI “si ... macellus”.’ Figuram rhetores effictionem nominant: conf ad Her. IV 49, 63: ‘Hunc, iudices, dico, rubrum, breuem, incuruum ... si quo modo potest uobis in memoriam redire’. Platon. Euthyphr. p. 2 B *εἴ τινα νῷ ἔχεις Πιτθέα Μέλητον, οἷον τετανότριχα καὶ οὐ πάνυ εὐγένειον, ἐπίγρυπον δέ.* Quadrat descriptio in hominem auarum: script. physiogn. I p. 419 F *τὸν δὲ φιλάργυρον ... τοιόνδε εἶναι λέγε· μικρομελῆ μικρόμματον μικροπρόσωπον κτλ.*

243. Nonius p. 78, 5 ‘Bulga est folliculus omnis, quam et

cruminam ueteres appellarunt, et est sacculus ad bracchium pendens. Lucilius satyrarum lib. VI “cui neque ... dormit lauit *omnis in una seti hominibus* bulga haec deuincta *certo* est”.’ V. 246. *homini bulga: bulga haec deuincta lacerto est* recte restituerunt editores. Quae antecedunt sic constituo: omnia in una *sunt* homini bulga. Conf lib. XXVI u. 614 ‘in quo sunt omnia’ (Cic. de or. II 215 de rep. I 42) cui contrarium est quod Cicero ep. IX 26, 1 scribit: ‘etsi minimum mihi est in cena’, simile quod est ep. XIII 1, 2 ‘Cum Patrone Epicurio mihi omnia sunt’: plura adnotauimus ad lib. XV u. 485 XVII u. 550 XXVI u. 614. Et Lucilii et Catulli editores compararunt hos uersus cum Veronensis poetae carmine XXIII 1 (XXIV 5. 8) ‘Furi cui neque seruus est neque arca’: *ἄδουλος* est ille sicuti Mamurra ap. Martial. IX 59, 22 qui ‘asse duos calices emit et *ipse* tulit’. Comite tamen eget Lucilianus ille non propter egestatem, sed propter auaritiam. Qui cum peregrinatur, non agit iumentum: alias neque seruum neque liberum habet comitem, sed ipse dominus bulgam solam secum ducit quasi comitem in qua ‘omnia ponit’. Paul. ex Festo p. 35 ‘bulgas Galli sacculos scorteos appellant’ Gallicum esse testatur nomen. — 245. lauat Guelferb.

247. Nonius p. 363, 5 ‘Protelare rursus adiuuare. Lucilius satyrarum lib. VI ‘quem ... possent”.’ *Protelo ducere* bis Lucilius (lib. XII u. 435), semel Cato origg. V 16 Iord. ‘sed protelo trini boues unum aratrum ducent’. CGL II p. 163, 19 protelum *ἔξαμπρον* (*ἔκλαμπρον* codd): itaque secundum grammaticum *protelo ducere* idem est quod *ἐξαμπρεύειν* de quo uocabulo uide schol. Aristoph. Lysistr. 289, protelum est *ἄμπρον* i. e. *τὸ διῆκον σχοινίον.* Lucret. II 531 IV 190 ablatiuum posuit *protelo* pro *serie:* ablatiuum pluralis Plinius grammaticus in naturali historia (protelis boum IX 45 protelis binis ternisque XVIII 173). Apparet aduerbium *protelo* quod idem significat atque *proporro* grammaticorum opera perperam enarratum postea factum esse substantiuum ut *sedulo sedulus:* Catullus LVI 7 aduerbialiter posuit pro *proporro.* — *οὔρειον ἀκμῆτα ταῦρον* laudat Sophocles Antig. 351, tauros Lucanos ad Silarum flumen montemque Alburnum Vergilius georg. III 150: conf Horat. epod. I 27 epist. II 2, 178. Neque tauri Lucani neque Gallici cantherii ducenti hominem abducere possunt a bulga sua.

249. Nonius ex grammatico p. 189, 33 ‘Zonatim, per goerum. Lucilius lib. VI “*per* zonatim ... *cineraris cludebat*”.’ *Cinerarii* nomen quo Afranii fabula inscribitur primus ut uidetur Lipsius agnouit: conf Varro de l. L. V 129 ‘Calamistrum quod his calfactis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat a cinere cinerarius est appellatus’ (schol. Hor. serm. I 2, 98). Eundem esse cinerarium atque tonsorem ut hodie Catullus docet LXI 138

magnaeque fuisse eum auctoritatis in familia urbana auctor est Seneca de constant. cap. XIV 1. *Zonatim* uocabulum posuit Lucilius ex equitum ut uidetur sermone sumptum pro *per gyrum*. *cludebat* idem est atque *claudicabat* a *claudeo* deductum. Ridetur seruitii sordes idemque uersus istius est character atque qui leguntur incert. uu. 1107 seq. et Cic. in Pis. 67 'serui sordidati ministrant, non nulli etiam senes' e. q. s. Deest in u. fine unum uocabulum ueluti aeger.

251. Nonius p. 181, 21 'Tenta dictum pro extensa. . . . Lucilius satyrarum lib. VI "tres . . . tenti".' Describuntur tres triclinii lecti uetustate corrupti et sordidi quos a Deucalione restibus tentos esse poeta pronuntiat. Similis iocus est AP XI 67 *τρυφερὴ Λαῒ κορωνεκάβη Σισύφου ὦ μάμμη καὶ Δευκαλίωνος ἀδελφή*. 71. *ἤκμασε Νικονόη, κἀγὼ λέγω. ἤκμασε δ' αὐτή ἡνίκα Δευκαλίων ἄπλετον εἶδεν ὕδωρ* Martial. X 39 'Nata es, Lesbia, rege Numa? . . . Sic quoque mentiris. Namque ut tua saecula noris, ficta Prometheo diceris esse luto'. Grabatos restibus tentos Horatius epod. XII 12 'cubilia tenta', Cato de agri cult. 10, 5 'lectos loris subtentos' appellat: conf Porphyr. ad Hor. l. s. s. *Grabati* recte solus L m. 1, *grabbati* reliqui: Rhinthon (fragm. 11 Kaibelii) uidetur scripsisse *κράββατος*, Graeci ueluti Epictetus in Arrian. dissert. I 24, 14 Christiani (Marc. II 4) *κράβαττος* quam scripturam testantur Dig. XXXIII 7, 20, 8 et Sen. ep. 20, 9 Cic. de diuin. II 129 nonnulli boni libri. Vox ipsa pro lecto ponitur cum contemptu et irrisione ut Martial. VI 39, 4 'in grabatis tegetibusque concepti', uide lib. XXX u. 1060.

252. Nonius p. 540, 25 '*Amfytapae* uestes dicuntur utrimque habentes uillos. . . . idem lib. VI "pluma . . . deliciarum". Varro Manio (253 B) "alterum bene acceptum dormire super "*amfitabo* bene molli".' De amphitapis conf quae scripsimus ad lib. I u. 13. Sordidus ille horret omnem cenae apparatum elegantioris: et stragulam uestem delicatam et culcitam plumeam (Cic. Tusc. III 19, 46). Pluralem cum singulari consociauit Lucilius ut lib. XXX u. 978 ubi uide quae adnotauimus: 'ut pluma atque pili primum saetaeque creantur' Lucret. V 788. De pluma conf interpp. ad Iuuen. VI 88 Propert. III 7, 50.

253. Nonius p. 212, 12 ex grammatico 'Latrinas genere feminino. . . . neutro Laberius . . . (hic latrinum uentri † finem locum dixit). Lucilius lib. VI 'hoc tu apte credit quemquam latrina petisse".' Lucilius et lib. XI u. 400 *latrinam* et hoc loco pluraliter *latrina* posuit pro *balineas* et *balinea* quae uocabula uersus dactylicus non capit immutata. Carpebat conuiuarum sordidorum hoc uersu imbalnitiem quem uersum me non intellegere fateor nisi scribitur 'hic tu apte credis quemquam latrina petisse?'

254. Porphyrio ad Horatii sermonum I 3, 1 'In eundem

Tigellium Hermogenem et hic inuehitur, eumque Sardum dixit, quod in Sardinia esset natus. adnotandum ergo et Sardum et Sardiniensem dici posse. nam Lucilius (lucilium *codd*) Sardiniensem dixit in sexto saturarum sic [Tigellium]: 'e Sicula Lucilius (lucilium *codd*) Sardiniensem terram'. at Licinius Caluus de eodem Hermogene loquens Sardum dixit "Sardi Tigelli putidum caput uenit". non nulli tamen ueterum grammaticorum sic appellationes has diuiserunt, ut Sardum putarent dici eum qui in Sardinia natus sit, Sardiniensem autem incolam Sardiniae'. Recte eiecerunt *Tigellium*, dubito an non recte Lucilium e uersu suo expulerint, qui in saturis suis nomen suum exstare uoluerit nonnumquam. Nam et metrum suffragatur nec sententia refragatur scribenti '⟨*cum peterem*⟩ e Sicula Lucilius Sardiniensem Terram'. Nam cum in hoc libro u. 256 actum sit de musimonibus Sardis, probabilissimum esse apparet reuera poetam Sardiniam adiisse dum e Sicilia, ubi praedia eum habuisse exponitur ad lib. XXVI u. 667, iter facit. *Sardus* et *Sardiniensis* adiectiua usurpantur sicut Plautus in eadem fabula scripsit hospes Siculus et Siciliensis (Rud. 49. 451); *ἐς Σικελήν ποτε γαῖαν* iam dixerat Theogn. 783 B cum herous terrae nomen non capiat.

256. Nonius ex grammatico p. 137, 23 'Musimones, asini, muli aut equi breues. Lucilius lib. VI "*practium emit* qui . . . musimonem". Cato de Letorio (p. 49, 3 Iord.) "asinum aut musimonem aut arietem".' Valde dubites oportet num recte interpretetur Nonius uocabulum musimonem in uersu Lucilii. Nam longe diuersa referunt alii de musimonibus ueluti Strabo libro V p. 225: *γίνονται δ' ἐνταῦθα* (in Sardinia) *οἱ τρίχα φύοντες αἰγείαν ἀντ' ἐρέας κριοί, καλούμενοι δὲ μούσμωνες, ὧν ταῖς δοραῖς θωρακίζονται.* Plinius nat. hist. VIII 199 '*Est in Hispania, sed maxime Corsica, non absimile pecori genus musmonum, caprino uillo quam pecoris uelleri propius*'. Similia Paus. X 17, 12 Aelian. d. nat. anim. XVI 34. Hodie id genus pecorum etiamnunc illis exstat regionibus *Mufflon* quod appellant. Sed Seruius ad Verg. georg. III 446 hoc modo de musimone: 'musmonem dicit ducem gregis', aliter Isidorus orig. XII 1, 61 'musmo ex capra et ariete: est autem dux gregis'. At Nonium errare inde est probabile, quod in eodem libro u. 254 musimonum patria, Sardiniensis terra commemoratur: unde Sardorum mores describi hoc uersu conicias. Nam et Cato Sardiniam praetor bene nouerat qui musimonem ante Lucilium apud Nonium l. s. s. commemorat (Nepos Cat. I 4). Neque tamen recte uiri docti *pretium* sustulere cum I. Dousa scribentes *praedium*. Nam quod codd habent *praetium*, scriptura uulgaris est et satis nota: sed 'emere pretio pretioso uelim' dicit Plaut. Epid. 120, 'pretio redemit' Cic. Verr. V 117, 'mors pretio uel sit emenda mihi' Propert. III 16, 22. *Qui* ablatiuus est sicuti

recte legitur Plaut. Pers. 660 'Adulescens, uin uendere istanc? # Magis libet quam perdere. # Tum tu pauca in uerba confer: qui datur, tanti indica. # Faciam ita, ut te uelle uideo, ut emas. habe centum minis'. Aul. 377 'abeo iratus illinc, quoniam ⟨mihi⟩ nihil est qui emam'. Mercat. 488 'Achillem orabo aurum ut mihi det Hector qui expensus fuit'. Lachmannus posuit (211): *emit pretio*, ego magis parcere uelim traditis hoc modo '⟨et⟩ pretium ⟨*red*⟩imet qui uendit equum, musimonem'. Praesens *uendit* flagitat futurum *emet:* pretium quod dicit ipsum emere, translatione utitur poeta minime impudenti.

257. Nonius p. 159, 30 'Prodigitas dicta profusio. Lucilius satyrarum lib. VI "nequitia occupat hoc *peculantia* (ita *L:* penulentia *G*) prodigitasque".' Verba sunt oratoris illius qui describitur uu. 261. 262. Ad *hoc* supplendum est *genus:* conf Cic. Sest. 96 'Duo genera semper in hac ciuitate fuerunt . . . quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse uoluerunt'. Impugnare optimates hunc quem deridet Lucilius nobilium fautor oratorem apparet u. 259. Prodigitatem nobilium insectatur apud Macrob. Saturn. III 16, 14 'C. Titius, uir aetatis Lucilianae, in oratione qua legem Fanniam suasit . . . describens enim homines *prodigos* in forum ad iudicandum ebrios commeantes' e. q. s.

258. Nonius p. 111, 18 ex grammatico 'Facul pro faciliter. . . . Lucilius lib. VI "peccare . . . *nobilitate* facul propellere iniquos".' Iniqui sunt inimici (Cic. Planc. 57 Verr. II 167 V 177 Balb. 56 ad Her. II 8, 12 Propert. I 8, 27): conf T. Stanglii Tulliana Monaci 1897 p. 13. Propellere iniquos dixit sicuti Caesar b. G. IV 25, 1 'hostes propelli'. Ablatiuus intellegi nequit: neque enim potest esse instrumenti neque separationis. Quare genetiuum restituimus.

260. Nonius p. 125, 9 'Innubere positum transire, quod hae quae nubunt ad domos maritorum transeunt. Lucilius satyrarum lib. VI "suam enim *inuadere atque* innubere censent".' Innubere proprie dictum est Liu. I 34, 4 'quo innupsisset' Ouid. metam. VII 856 'ne thalamis Auram patiare innubere nostris': similiter Cic. pro Cael. 34 'cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses' Liu. IV 4, 10 'ut in quamcumque feminae conuenisset domum nuberet'. Sed hoc loco Nonii explicatio indicat translate positum esse pro *transire* uocabulum. Monuit Lachmannus ad Lucret. p. 181 apud Nonium p. 159, 28 Lucretii u. III 722 ita ferri corruptum ut pro *insinuari* traditum sit *inuadi:* unde hoc Lucilii loco pro *inuadere atque* uoluit scribi *insinuare.* Tamen permirum esse iure statuit H. Ilbergius Symb. Phil. Bonn. I p. 409, si eodem modo utroque loco librarius errauerit et claudicat Lachmanni ratio inde quod *atque* particulam

una tollatur oportet: qua seruata supplere malui tradita quam mutare. Omnia reipublicae quae sunt rapiunt nobiles: cur? suam enim ⟨*rem*⟩ inuadere ⟨*se*⟩ atque innubere censent tamquam dotem uxoris.

261. Varro de lingua Latina VII 103 'Multa ab animalium uocibus tralata in homines; partim quae sunt aperta, partim obscura. perspicua ut . . . Lucilii "haec . . . *ex* rostris atque *heilitabit*".' Nonius p. 21, 19 'Quiritare est clamare; tractum ab is qui Quirites inuocant. Lucilius satyrarum lib. VI "haec . . . *e* rostris atque *heiulitauit* . . . quiritans".' *rudet* u correpta Lucilius hoc loco, contra Persius (III 9) producta, sicuti Plautus *hanc rudentem* u producta posuit (Rud. 1015), Vergilius correpta (Aen. I 87). *ex rostris* ut durius et magis antiquitatem redolens seruaui ex Varrone licet *e rostris* dicat Cicero Sest. 76. 84. *heiulitabit* ab eiulando: in aspiratione non casu consentiunt Nonii et Varronis codd: uide ad lib. XV u. 496. *concursans* idem est quod Quintilianus XI 3, 126 dicit *discursare* qui de ambulatione: 'discursare uero, et quod Domitius Afer de Sura Manlio dixit, satagere ineptissimum' (VI 3, 54). Similiter Eupolis (207 K) *Συρακόσιος δ' ἔοικεν, ἡνίκ' ἂν λέγῃ, τοῖς κυνιδίοισι τοῖσιν ἐπὶ τῶν τειχίων· ἀναβὰς γὰρ ἐπὶ τὸ βῆμ' ὑλακτεῖ περιτρέχων.* *Ancarius* uocabulum multas dedit turbas cum nos intellegere id nequeamus: Lucilii aequales qui Ancarium nouerant Properocium siue *τρεχέδειπνον*, intellegebant poetae opinor facetias. Gens Ancaria siue Ancharia bene nota est ex M. Tullii aliorum libris neque audiendi sunt aut I. Vossius qui uocabulo *rudet* deductus asinum significare illud uocabulum contendit aut I. I. Scaliger, qui *angarius* iussit scribi, quod idem sit atque *ἄγγαρος* i. e. nuntius celerrimus: nam iste nominatiuus ne apud Gellium quidem extat XIX 14, 7 ubi genetiuus est *angari.* Itaque aut a litteram in antepaenultima breuem esse statuemus aut i litteram synizesin pati, si -ārius longam habere necesse erit a uocalem. Codicum si sequemur scripturam, posuit sane Ennius in VII annali (251 V) apud Gellium XII 4, 4 'hunc inter pugnas compellat Seruilius sic' et similia Horatius serm. II 8, 1. 21: uide ad lib. XXII u. 581. — C. Gracchi actionem imitatur orator Lucilianus (Plutarch. Ti. Gracch. 2, 2).

VII.

263. Nonius p. 351, 25 'Nobilis dicitur et notus. . . . Lucilius satyrarum lib. VII "Fryne . . . quem".' Phryne nobilis illa dicitur, sicuti apud Posidippum (CAF III p. 339, 12 K) legebatur *Φρύνη πρὸ ἡμῶν γέγονεν ἐπιφανεστάτη πολὺ τῶν ἑταιρῶν.* Phryne nobile Athenis scortum Val. Max. IV 3, ext. 5. Ama-

torem aliquem improbius tractarat quem expilauerat sicuti Alciphronis (III 50) conqueritur parasitus *οὐκ ἀνέχομαι ὁρῶν Ζευξίππην τὴν ἱππόπορνον ἀπηνῶς τῷ μειρακίῳ χρωμένην. Οὐ γὰρ δαπανᾶται εἰς αὐτὴν χρυσίον μόνον καὶ ἀργύριον, ἀλλ' ἤδη καὶ συνοικίας καὶ ἀγρούς κτλ.* Lepide aliquod Phrynes dictum narrauerat Lucilius sicuti Machon ap. Athen. XIII p. 583 BC: conf Timocles (CAF II p. 462, 23 K). *Vbi* particulam secutum esse plusquamperfectum uidetur narrabaturque apopthegma quod adhibere solebat meretrix amatoribus direptis ualde et expilatis.

264. Nonius p. 95, 15 'Desquamat, squamis expoliat. . . . Lucilius satyrarum lib. VII "*sador subbellor . . . expilor* pingor".' Loqui scortum aliquod ueluti Phrynen nobilem illam apparet, quae magno stare pulchritudinem et munditias corporis profiteatur sicuti Plauti Adelphasium Poen. 219 'ex industria ambae numquam concessamus lauari aut fricari aut tergeri aut ornari poliri expoliri pingi fingi: et una binae singulis quae datae nobis ancillae eae nos lauando eluendo operam dederunt'. Eadem Ouidius docet puellas art. am. III 193 seqq. 'quam paene admonui ne trux caper iret in alas neue forent duris aspera crura pilis. Sed non Caucasea doceo de rupe puellas . . . Quid si praecipiam ne fuscet inertia dentes oraque suscepta mane lauentur aqua? Scitis et inducta candorem quaerere creta: sanguine quae uero non rubet, arte rubet. Arte supercilii confinia nuda repletis paruaque sinceras uelat aluta genas. Nec pudor est oculos tenui signare fauilla uel prope te nato, lucide Cydne, croco'. Verba singula recte intelleges comparatis uerbis Scipionis Aemiliani ap. Gell. VI 12, 5 (FOR^2 p. 181 M) 'Nam qui cotidie unguentatus aduersum speculum *ornetur*, cuius supercilia *radantur*, qui barba uulsa feminibusque *subuulsis* ambulet' e. q. s. Ad *pumicor* Plinii nat. hist. XXXVI 154 attulit Dousa: compares etiam Manil. V 150 'tortos in fluctum ponere crines aut undis reuocare comas et uertice denso fingere . . . pumicibusque cauis horrentia membra polire'. Idem illis s. s. Plauti et Senecae (controu. I praef. 10) locis adductus scripsit *expolior:* ego arbitror scribendum aut *ex⟨que⟩ pilor pingor* (ut deque dicata lib. XXX u. 997), cum *expilo* a *pilo* ut *depilo* (Martial. IX 27, 1) recte sit factum aut quod praestat *expilor ⟨ex⟩pingor* cum hoc uerbo utatur Martialis VII 83 'expingitque genas' VIII 52, 8 'expingitque cutem'. Quattuor igitur componuntur commata: raduntur supercilia, subuelluntur femora; cutis destringitur, eadem pumicatur; capilli comuntur; pili euelluntur, expingitur facies.

266. Nonius p. 21, 24 'Caries est uetustas uel putrilago; unde cariceum ueteres dixerunt. Lucilius satyrarum lib. VII "ne . . . uermiculi*que*'." Dedit Lachmannus *uermiculi qui,* recte opinor. De uermibus in aure natis egit Celsus VI 7, 5 'ubi uero uermes orti sunt, si iuxta sunt, protrahendi oriculario specillo sunt . . . cauendumque ne postea nascantur'. Plin. nat. hist. XX 256 'sucus et auribus instillatur uermiculosque in his necat' (259 XXIII 85 XXII 147 XXIV 18 XXVIII 65) XX 146 'sucus auribus uerminosis instillatur'. Quem morbum cum grassatum esse apud ueteres appareat Plinii et Lucilii locis comparatis, inde qui factum sit ut auriscalpium *ὠτογλυφίς* quae Graece dicitur in uetustissimis et Italorum et barbarorum sepulcris inueniatur intellegitur (Dresselius annali del instituto di corr. arch. 1884 p. 243. 244): quo de instrumento Martialis XIV 23 'si tibi morosa prurigine uerminat auris arma damus tantis apta libidinibus' conf Hor. epist. I 2, 53.

267. Nonius p. 215, 3 ex grammatico 'Nasus masculini. neutri, Lucilius lib. VII "*quos* oculi non sunt neque nasum *et qualia sunt*".' Non agitur de bestia qualis est lumbricus (Plin. nat. hist. XI 140) sed de amatorum, qui turpissimo quoque et immundo scorto contenti sunt *ἀναισθησίᾳ*. Dixerat aduersarius 'at saepe immundae et rusticae meretricis membra delectant amatores'. Respondet Phrynes discipula 'Quos? oculi non sunt neque nasum? et qualia sunt!' conf lib. XXVIII u. 798 'quaeque aspectu sunt spurca et odore' (lib. XXX u. 1067) et Martial. III 8 'Thaida Quintus amat. Quam Thaida? Thaida luscam. Vnum oculum Thais non habet, ille duos'. 'qualia sunt' exclamatio ut Lucret. IV 120 'quantula sunt!'

268. Nonius p. 200, 16 'Collus masculino . . . Lucilius satyrarum lib. VII "*caldais seme* (ita Leidensis m. 1 *caldissime* m. 2) ac bene *plenai iasolorum* atque anseris collus".' Vocabula *bene plena* nemo euertet cum apud Lucretium legatur V 708 'donique eum contra pleno bene lumine fulsit', Ouidii uersus a. a. II 661 'dic habilem, quaecumque breuis, quae turgida, plenam', et remed. am. 327 'turgida, si plena est, si fusca est, nigra uocetur' testentur *plena* uocabulum ad mulieris corpus apte posse referri. Neque *olorum* nomen i. e. *κύκνων δουλιχοδείρων* (Hom. B 460) mendosum esse credendum est prope *anseris collus* positum, cum etiam in Iliadis uersu s. s. *χηνῶν καὶ γεράνων καὶ κύκνων δουλιχοδείρων* una memorentur anseres et olores de quibus Cicero de nat. deor. II 122 'quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, adiuuantur proceritate collorum'. Neque pluralis cum singulari numero nos offendet consociatio: conf indic. gramm. s. u. singularis. Docet mulier de uirtutibus, quibus uitia corporis compensentur: debet calida esse animo mulier et bene plena corpore, si olorum atque anseris collo est praedita. Quod legitur ap. Aristoph. Thesmoph. 735 *ὦ θερμόταται γυναῖκες ὦ ποτίσταται* diuersum est: simile aliquid schol. Lysistr. 723 '*τὸ ὄρνεον θερμὸν εἰς συνουσίαν*' Lucianus Gall. 17 Helenam describit '*εἶδον γὰρ*

λευκὴν μέν τινα καὶ ἐπιμήκη τὸν τράχηλον, ὡς εἰκάζειν κύκνου θυγατέρα εἶναι' κτλ. — si eliditur in breui ut Hor. serm. II 3, 41 Lucil. lib. VI u. 252.

269. Gellius IX 14, 21 'In casu autem dandi qui purissime locuti sunt, non "faciei", uti nunc dicitur, sed "facie" dixerunt. Lucilius in saturis (incert. u. 1257) . . . Lucilius in libro septimo: "qui . . . *aetatis* (*aetati* olim impressi) . . . ostendat *se* (*se* olim deletum) fore . . . polliceatur". Sunt tamen non pauci, qui utrobique "facii" legant. Sed C. Caesar in libro de analogia secundo "huius die" et "huius specie" dicendum putat'. Prius exemplum ex Lucilio a Gellio allatum (u. 1257) datiuum casum spectare apparet. Alterum exemplum ideo non necesse est datiuum spectet, praesertim cum uerba C. Caesaris de genetiuo sicuti totum caput agant disertis uerbis. Itaque *aetatis* quod in codd est seruandum erit. Accedit quod prolegg. p. LXXVII docuimus Gellium hoc loco datiui *facie* exemplum Lucilianum et genetiui eiusdem quod est formae exemplum non ex eodem auctore sumpsisse. Quare parum concinne eum scripsisse non est quod mireris. Verba sunt mulieris aut hominis lenocinantis quae puellam aut puerum instiget ad quaestum corporis blandis uerbis. Amicum uocat amatorem sicuti Theodote meretrix ap. Xenoph. memor. III 11, 4 *ἐάν τις, ἔφη, φίλος μοι γενόμενος εὖ ποιεῖν ἐθέλῃ, οὗτός μοι βίος ἐστί.* Aetas et facies in hoc uersu sicut in u. 271 idem ualet quod *ὥρα καὶ κάλλος* apud Graecos ueluti Plut. Cleom. 1 Anton. 57 Caes. 45 Aeschin. contr. Timarch. 134 Arist. Au. 1723: *ἀπόλαυσιν ὥρας καὶ σώματος* Plut. amator. 4 p. 750 D. In app. crit. scribas *se fore.*

271. Nonius p. 23, 2 'Sagae mulieres dicuntur feminae ad lubidinem uirorum indagatrices. unde et sagaces canes dicuntur, ferarum uel animalium quaesitores. Lucilius satyrarum lib. VII "aetatem . . . conciliatrix". Turpilius Boethuntibus "Non ago hoc per sagam pretio conductam, ut uulgo solent".' Nonius interpres saga substantiuum esse, non adiectiuum recte statuit sicuti apud Tibullum I 5, 59 'at tu quam primum sagae praecepta rapacis desere' positum inuenitur pro lena. Laudauit aliquis puellae aut pueri corporis uirtutes more lenarum: uerba laudantis sunt uu. 269. 270.

272. Apuleius apol. cap. 10 'Et quidem C. *Lucullum* (*Lucilium* Lipsius) quamquam sit iambicus tamen improbarim quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit'. Sumpta esse haec ab Apuleio ex libro philologi egregii qui de amoribus et de personis poetarum accurate egerit, apparet. Notandum est, quod iambicum dixit Apuleius Lucilium: etenim quarto demum saeculo saturarum scriptores ausi sunt satyricos uel satiricos appellare poetas, quod uocabulum Apulei aetate nondum usurpabatur in litteris Latinis. Directis nominibus prostituerat Lucilius non solum pueros sed etiam meretrices ueluti Collyram (lib. XVI u. 517) Hymnidem (incert. u. 1115 alibi) Cretaeam (u. 925).

273. Donat. ad Ter. Andr. V 6, 12 'Tuus est nunc Chremes. Lucilius in septimo "nunc praetor tuus est (om *T*) meus si discesserit horno *gentili*".' Conf de hoc loco Dziatzko Mus. Rhen. XXXIII 1878 p. 111 XXX 1875 p. 141. *Decesserit* Muellerus. Recte Franciscus Dousa in editione ad hunc locum rettulit quae Apul. apol. cap. 10 de Gentio et Macedone pueris a Lucilio in carmine suo prostitutis tradidit. Quare cum Macedonis nomen illud inueniatur lib. VII u. 275, eiusdem libri VII hoc fragmentum fuisse de Gentio indicant litterae *gentili* in Donati codd. Pueros istos Lucilii ipsius fuisse amasios quamquam Apuleius l. s. s. non tradit tamen uerisimile est propter ea quae apud Apuleium de Lesbia Delia Hostia et de Alexi narrantur: quod etiam Lucilii uersibus probatur. Etenim apparet his uersibus praetorem quendam in prouinciam Lucilii adduxisse puerum sicuti praetor ille apud Propertium II 16, 1[1]) I 8 in Illyricum ducturus erat Cynthiam, alius Cytheridem duxit secum in Galliam (Verg. eclog. X 47 seqq.), Cato apud Liuium XXXIX 42, 8 auctor est a L. Quinctio Flaminino 'Philippum Poenum carum ac nobile scortum ab Roma in Galliam prouinciam spe ingentium donorum perductum'. Hic Philippus cum Poenus fuerit, Macedo et Gentius cuius nationis fuerint nomina declarant ipsa. Gentius *Γετίων Γένθιος* nomen Illyrici regis clarissimi Illyria ortum esse puerum prodit. Itaque Gentius illo tempore quod spectat hic Lucilii uersus, puer non Lucilii sed alicuius erat praetoris, eiusdem Caprarii opinor quem ut designatum laedit poeta lib. V u. 210. Vocatiuum quem propter tuus expectes, in *praetor* uocabulo agnoscendum esse arbitror. Sententia igitur haec uidetur fuisse: irridet Lucilius praetorem cui iratus est quod puerum in prouinciam abduxit pretio conductum: 'Nunc', inquit, 'praetor, tuus est Gentius: at meus erit, si hoc anno discesserit e prouincia: quippe certum erat hoc anno successori praetorem cessurum esse. Nam Romae ego uel donis uel gratia denuo puerum hunc meo ducam arbitrio. Sententiam recte interpungit semiquinaria caesura. De locutione *tuus est* conf Spengelii adnotatio ad Andr. l. s. s. De discedere conf Cic. Philipp. VIII 7, 21 'illum de Gallia non discessisse' Plaut. Asin. 251 'quom discesti ab ero atque abiisti ad forum'. horno conf Lucil. lib. XXVIII u. 781 Plaut. Mostell. 159

---

1) 'Praetor ab Illyricis uenit modo Cynthia terris maxima praeda tibi maxima cura mihi', ubi Ticidae uersiculum (Suet. de gramm. 11) imitatus est poeta 'Lydia doctorum maxima cura liber'.

'horno messis magna'. Quodsi reuera praetor hic ille est Caprarius, anno fere 639/115 librum VII compositum esse statuendum erit.

275. Nonius p. 110, 10 ex grammatico 'Flaccet, languet, deficit. Lucilius lib. VII "hic est Macedo si *agrion* (*agron* correctus Leidensis) longius flaccet".' Agrion nomen legitime factum quamquam nonnisi apud Choeroboscum Crameri Anecdotis Oxoniensibus II p. 182, 6 *Ἀγρίων τὸ κύριον ὄνομα διὰ τοῦ ι γράφεται* inueni, delere nolui cum similia sint *Ἁγίων Ἀξίων Θεσπεσίων* nomina propria: neque quod puer Theocr. XXIII u. 19 *ἄγριε παῖ καὶ στυγνέ* appellatur huc pertinere putauerim. Nomen est pueri delicati sicuti Gentius et Macedo peregrinum. 'Inueniam alium si me hic fastidit Alexin' nescioquis dixit apud Lucilium, cum Agrion aut ualetudinem excusans amatorem excluserit (conf Tibull. II 6, 49 'saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam nuntiat') aut in amore languescat amatoris parum studiosus (conf Ouid. remed. am. 511 'iam ponet fastus, cum te languere uidebit') quae probabilior uidetur interpretatio.

276. Nonius p. 258, 31 'Contendere significat conparare. ... idem lib. VII "huncin ... contendi".' Fabulas quibus puerorum amores celebrabantur una cum more pueros amandi Romae innotuisse uersus hic testatur: posteriore tempore Hyacinthi nomen uulgo pueris inditum fuisse testaretur inscriptio Romae reperta Orellii Henzeni 2606 'D. M. memoriae C. Reguli moribus decore natalibus d. d. Hyacintho uel Narcisso comparandi qui uixit an. XII m. III' si suspecta non esset. *Cortinipotentem* appellat Lucilius Pythium Apollinem sicuti apud Vergilium Vulcanus *ignipotens* audit; *sagittipotens* Cicero: *τριποδηλάλον* Apollinem Christodorus ecphr. 72. 283 appellat. Lucilium de se ipsum loqui satis est uerisimile: unde puerum illum siue Gentius erat siue alius a poeta ipso amatum fuisse consentaneum est. Spectari hoc uersu libri XXIX qui liber quindecim fere annos ante librum VII conscriptus sit u. 895 seq. 'Apollost numen, qui te antiquis non sinet deliciis maculam atque ignominiam inponere' suspicatus est Lucianus Muellerus. Tamen opinor libro XXIX se ipsum poetam comparare deo Apollini multo minus est probabile, quam appellari Apollinem potentem aliquem hominem atque factiosum, cuius puerum Lucilius uerbis tristibus lacessiuerat. Itaque puer ille loquitur in libro XXIX minacibus uerbis, cum dicat Apollinem suum poenas petiturum iniuriarum a Lucilio: at hoc libro agitur de pueris Lucilii ipsius. — Atedii Melioris delicatum Glauciam Statius silu. II 1, 112 Hyacintho comparat 'Oebaliden illo praeceps mutaret Apollo', similiter Martialis VIII 63 'Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin, forsitan et nostrum nunc Hyacinthon amat. I nunc et dubita, uates an diligat ipsos, delicias uatum cum meus Aulus amet'.

278. Nonius p. 19, 24 'Euannetur dictum est uentiletur uel moueatur, a uannu in qua legumina uentilantur. Pomponius Pannuceatis "Dixi ego illud futurum: in prima ualua est, uix haeret miser. Euannetur, et mea ocius opera ut fiat fecero". Lucilius satyrarum lib. VII "hunc molere *illa* ... uannere *tum uis*".' Agi uidetur de marito, qui moechum et uxorem haud inuita quae patiatur deprehendit *ἐν ἔργῳ* supplendumque erit *uidit*. Molere (Petron. 23 Auson. p. 341, 79, 7 Peip. permolere Horat. serm. I 2, 35) ut Theocr. IV 58 *μύλλει*: de uerbo *uannere* conf lib. IX u. 330.

279. Nonius p. 398, 31 'Samium rursum acutum; unde et samiare dicimus acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat. Lucilius satyrarum lib. VII "hanc ... *pro cele eius* ... samiam *ibi an uno telo* inquit ... ambo".' Gellius IV 16, 6 'Sicuti Lucilius in eodem casu uictu et anu dicit, non uictui nec anui, in hisce uersibus "quod ... honesto" (incert. u. 1288) et alio in loco "anu noceo inquit".' Gellius quae uerba e Lucilio affert ea in Lucilii u. 280 agnouit Munro Iourn. of philol. VII 1877 p. 295. — Hanc ubi uult male habere] non est accusatiuus cum infinitiuo, sed *hanc* obiectum pendet sicut ab *ulcisci* uerbo ita a *male habere; male habere aliquem* idem fere est quod *castigare aliquem* uel *uexare aliquem*. Eodem modo Simo Plautinus Mostell. 708 de uxore anu 'atque pol nescio ut moribus sient uostrae; haec sat scio quam me habeat male', ubi Lorenzius affert Menaech. 569. — pro scelere eius] scelus quod mulier commiserat fuisse uidetur adulterium u. 278 descriptum. — testam Samiam] Samia uasa supellex uilis et contempta saepissime memoratur: uide ad lib. XIII u. 445 quae adnotauimus (Dragendorfius Bonner Jahrbuecher XCVI 1895 p. 30, 5). Sed haec curta supellex Samia nihil ad nostrum locum quo agitur de testa acuta quales e Samiis fiebant uasis fractis poterantque esse pro cultellis. Quibus utebantur Cybelae sacerdotes Phrygii ideo, quod religio ueterum morum tenax et conseruatrix ferri usum aspernabatur, non ea de causa quam Plinius tradidit nat. hist. XXXV 165 'Samia testa Matris deum sacerdotes, qui Galli uocantur, uirilitatem amputare nec aliter citra perniciem M. Caelio credamus, qui linguam sic amputandam obiecit graui probro tamquam et ipse iam tunc eidem Vitellio malediceret'. Sed quod sicuti Lucilius, ita Martialis (III 81, 3 abscisa est quare Samia tibi mentula testa si tibi tam gratus, Baetice, cunnus erat?) testatur castrari Samia testa esse solitos homines, hoc ex illa Gallorum tantummodo nota consuetudine fictum esse a poetis arbitror; quam consuetudinem reuerane secuti sint nonnulli homines quaerere operae non est pretium, quia morem nouisse castrandi uirilia praeter Gallos paucorum, opinor, hominum intererat. Adde quod non solum Samia sed

etiam Tenedia testa pro cultello usos esse ueteres Alciphro docet (III 69) his uerbis *ἐγὼ δὲ τὴν φλύαρον γλῶτταν ἀποτέμνειν ὀστράκῳ Τενεδίῳ τοῖς βουλομένοις ἕτοιμός εἰμι παρέχειν* (ubi *στενεδίῳ* codd). Etenim sicuti tenuissima et fragilissima fuere uasa Samia (Plaut. Bacch. 202 'scis tu ut confringi uas cito Samium solet' Menaech. 178 'Placide pulta. — Metuis, credo, ne fores Samiae sient'), item de Tenediis Dio Prus. II p. 62, 31 ed Arnim. *σχεδὸν οὖν παραπλήσιον πεπόνθασιν οἱ ἐμοὶ λόγοι τῷ κεράμῳ τῷ Τενεδίῳ· καὶ γὰρ ἐκεῖθεν πᾶς μὲν ὁ παραπλέων ἐμβάλλεται κέραμον, οὐδεὶς δὲ ὑγιῆ διακομίζει ῥαδίως, ἀλλὰ οἱ πολλοὶ σαθρὸν ποιήσαντες ἢ συντρίψαντες ὄστρακα ἔχοντες λανθάνουσιν αὑτούς.* Neque quod Nonius *samiare* idem esse quod acuere tradit quicquam ad hunc locum pertinet, quamquam recte tradidit: conf quae Bluemnerus adnotauit ad edictum Diocletiani VII 33: qui doceat Samia terra in ferro acuendo uti solitos esse fabros. — Asyndeton uide quomodo poeta et in protasi et in apodosi apte adhibuerit, quo magis narratio hominis irati et dolentis festinationem indicaret. — *anu noceo,* ut Cato p. 85, 8 Iord. 'caduceatori nemo homo nocet'. — *praecidit:* Martial. II 45 'quae tibi non stabat, praecisa est mentula, Glypte. Demens, cum ferro quid tibi? Gallus eras'.

282. Nonius p. 21, 30 'Virosae mulieres dicuntur uirorum adpetentes uel luxuriosae. Lucilius satyrarum lib. VII "dixi ... *cedam* potius ... me".' Enuntiatum forense *dixi* lepide saturae inseruit poeta quo oratores illo tempore orationis suae finem indicabant sicuti more ueterum semel M. Tullius in actione priore in Verrem (conf schol. p. 152 Or.) Apuleius in apologia: conf CLE 52, 8 Buecheleri 'dixi: abei'. Similiter Graeci oratores *εἴρηκα* (Aristot. rhet. III cap. 19 extr.) unde poetae Graeci ueluti Euripid. Orest. 678 Sophocl. Electr. 73: conf interpp. ad Ai. 480 Philoct. 389 *λόγος λέλεκται πᾶς.* Euripid. Orest. 1203. — uetulam atque uirosam] similiter Scipio amicus ap. Gell. VI 12, 5 'qui non modo uinosus, sed uirosus quoque sit', id est ut Caluus scripserat de Pompeio (FPR p. 322 Baehrens.) 'quid credas hunc sibi uelle? uirum'. Itaque uirosus ut mulierosus. — caedam ut Catull. LVI 7.

284. Nonius p. 169, 31 ex grammatico 'Simat, deprimit. Lucilius lib. VII 'si mouet *aximad* ... olim".' Verbum *simare* in Sulpicii Seruati carmine (Baehrensii PLM IV p. 109, 37) extare: 'simanturque iacent pando sinuamine nares' monuit Dousa: quem uersum corruptum alii alia ratione sanare studebant. Finxit hoc uocabulum Lucilius ad similitudinem Graeci uerbi *σιμοῦν* quo usus est Aristot. de part. anim. IV cap. 12 p. 693 a 7 *τὰ δὲ στεγανόποδα καὶ διῃρημένους μὲν ἔχοντα τοὺς πόδας, σεσιμωμένους δὲ ... τὸν μὲν αὐχένα μακρὸν ἔχουσιν κτλ.* Agitur de homine amore perdito, qui *ἀσθμαίνει* in re uenerea (Lucian.

dial. meretr. V 4), qui multum suspirat et anima crebra nares mouet et diducit ut equa pruriens: conf Lucr. IV 1192 'Nec mulier semper ficto suspirat amore Quae complexa uiri corpus cum corpore iungit'. Versu autem qui hunc sequebatur sine dubio haec fere dicta erant: delphinus ut olim e mari proiectus in litore anhelat sicuti AP XI 52 *Παιδείῳ Θρασύβουλε, σαγηνευθεὶς ὑπ' ἔρωτι ἀσθμαίνεις δελφὶς ὥς τις ἐπ' αἰγιαλοῦ κύματος ἱμείρων. δρέπανον δέ σοι οὐδὲ τὸ Περσέως ἀρκεῖ ἀποτμῆξαι δίκτυον ᾧ δέδεσαι* — alias enim delphini suspiritus nihil habent insigne. Delphinus in arida praeterea argumentum trium est epigrammatum AP VII 214. 215. 216, *δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία* Plutarcho (Demosth. cap. 3) auctore dixerat Ion tragicus (58 N). Apte illustratur hic Lucilii u. descriptione Tatiani ad Gr. cap. 22 p. 25, 8 Schwartz. *ῥιναυλοῦσι μὲν γὰρ καὶ λαλοῦσι τὰ αἰσχρά, κινοῦνται δὲ κινήσεις ἃς οὐκ ἐχρῆν, καὶ τοὺς ὅπως δεῖ μοιχεύειν ἐπὶ τῆς σκηνῆς σοφιστεύοντας αἱ θυγατέρες ὑμῶν καὶ οἱ παῖδες θεωροῦσι* et Clem. Alex. paedag. III 4, 29 *παρεισρέουσιν δὲ ἔνδον κιναίδων ὄχλοι ... μοιχείας διάκονοι, κιχλίζοντες καὶ ψιθυρίζοντες καὶ τὸ πορνικὸν ἀνέδην εἰς ἀσέλγειαν διὰ ῥινῶν ἐπιψοφοῦντες ἐπικιναίδισμα, ἀκολάστοις ῥήμασι καὶ σχήμασι τέρπειν πειρώμενοι καὶ εἰς γέλωτα ἐκκαλούμενοι πορνείας πρόδρομον· ἔστι δ' ὅτε καὶ ὑπεκκαιόμενοι διὰ τὴν τυχοῦσαν ὀργὴν ἤτοι πόρνοι αὐτοὶ ἢ καὶ κιναίδων ὄχλον εἰς ὄλεθρον ἐξηλωκότες ἐπικροτοῦσι τῇ ῥινὶ βατράχων δίκην καθάπερ ἔνοικον τοῖς μυκτῆρσι τὴν χολὴν κεκτημένοι.* De naribus anonymus scriptor in Foersteri Physiognomonicis scriptoribus II p. 227, 21 *εὐρυρώθων ἄνθρωπος ὀκνηρὸς κτλ. ... εἰ δὲ γυνὴ τοῦτ' ἔχει, πόρνη ἐστὶν ἔξοχος καὶ κλέπτρια.* Cum antecedentibus arte coniunctum fuisse hunc uersum probabile est. De scriptura *aximad* conferenda *εξαμου* scriptum pro *ἐκ Σάμου* in Lysandri epigrammate Delphis inuento (Jahrb. d. Arch. Inst. XVII 1902 Anzeiger p. 18) *ἐξυρίας* pro *ἐκ Συρίας* ap. Philod. *περὶ σημ. κ. σημειώσ.* p. 4, 18 Gomp. (Hoffmanni Syll. inscr. Gr. 329, 1 Dittenbergeri ed. II 930, 62). De *olim* uide ad lib. III u. 146.

285. Nonius ex grammatico p. 450, 12 'Gannire cum sit proprie canum, ... etiam humanam uocem nonnulli gannitum uocauerunt. ... Lucilius lib. VII "eodem *pactolo* gannis".' Imitatus est fortasse Iuuenalis VI 64 'Apula gannit, sicut in amplexu subito et miserabile longum'.

286. Nonius p. 102, 22 'Exculpere est extorquere. ... idem *uti* (VII *Vsenerus,* IIII *Lachmannus*) '*esurienti* ... praedam".' Apte comparauit Fridericus Neueus de formis l. L. I[3] p. 300 Plin. nat. hist. VII 15 'idque maxime humani ieiuni oris' Horat. epist. II 2, 29 'ieiunis dentibus acer' Ouid metam. XI 123 'siue dapes auido conuellere dente parabat': quare opus non erit neque datiuum in e litteram exire correptam statuere neque uerba

transponere. Prouerbium simile affert Otto de prouerbiis p. R. p. 189 ex Naeuii Ariolo (20 R) 'deprandi *item* leoni *si* obdas oreas': Martial. VI 64, 27 'rabido nec perditus ore fumantem nasum uiui temptaueris ursi'. Noua incipit satura qua centurionis fortitudo describitur bello Hispanico probata.

287. Nonius p. 457, 18 'Catuli non solum canum diminutiue, uerum omnium animalium appellantur. . . . idem lib. VII "*rate* ad catulos *accederet* inultum".' Cum superius fragmentum cum hoc fragmento arte cohaerere appareat, numerum libri VII noluimus mutare neque in hoc neque in u. 288 seq. etsi suo iure alius quis iudicet *VI* numerum restituendum esse in utroque fragmento, ita ut numeri *VII* hasta ultima fuerit reuera *i* littera uerborum *iratae* et *iactari* subsequentium male intellecta a librario. Cum superiore uersu de leone actum sit, hoc uersu de leaena agi probabile est. Tigridem enim ante Augusti tempora parum nouit populus Romanus (Plin. nat. hist. VIII 65). At de ira leaenae cuius catulos rapuerit uenator inde ab Homero saepenumero referunt poetae. *Σ* 318 *πυκνὰ μάλα στενάχων ὥς τε λὶς ἠυγένειος ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνὴρ ὕλης ἐκ πυκινῆς· ὁ δέ τ' ἄχνυται . . . μάλα γὰρ δριμὺς χόλος αἱρεῖ* Soph. Ai. 986 *μή τις ὡς κενῆς σκύμνον λεαίνης δυσμενῶν ἀναρπάσῃ* Eurip. Med. 187 *καίτοι τοκάδος δέργμα λεαίνης ἀποταυροῦται δμωσίν* Callim. hymn. in Cer. 51 *τὰν δ' ἄρ' ὑποβλέψας χαλεπώτερον ἠὲ κυναγόν ὤρεσιν ἐν Τμαρίοισιν ὑποβλέπει ἄνδρα λέαινα ὠμοτόκος, τᾶς φαντὶ πέλεν βλοσυρώτατον ὄμμα* Theocrit. XXVI 21 *ὅσσον περ τοκάδος τελέθει μύκημα λεαίνας*: conf Vollmerus ad Stat. silu. II 1, 9. Itaque ita fere scripserat poeta: 'esuriente leoni ex ore exculpere praedam, ⟨atque leae⟩ iratae ad catulos accedere inultum' posse hunc credideris.

288. Nonius p. 22, 5 'Capronae dicuntur comae quae ante frontem sunt, quasi a capite pronae. Lucilius satyrarum (*om editio Oniensii*) lib. VII "*actari* . . . comas (*comes* Guelferbytanus) *fruitare* . . . inmissas (*inmissas* Guelferbytanus, *missas* Leidensis) . . . illis".' Paulus ex Festo p. 48 M 'Capronae, equorum iubae in frontem deuexae, dictae quasi a capite pronae'. CGIL IV 29, 49 capronae: 'hic medios inter tempora capillos, proprie uero equorum iubae, quae imminent, ita dictae, quod sint in caput pronae': ab aliis *antiae* nominantur. Numerum *VII* eis quas ad u. 287 posuimus rationibus commoti seruauimus. Comas *altas* inmittebant deorum in honorem: conf Diphil. CAF II p. 563, 6 K *κόμην τρέφων μὲν πρῶτον ἱερὰν τοῦ θεοῦ ὥς φησιν· οὐ διὰ τοῦτό γ', ἀλλ' ἐστιγμένος πρὸ τοῦ μετώπου παραπέτασμ' αὐτὴν ἔχει* et quae Kockius hoc loco adnotauit. De Sibylla Tibullus II 5, 65 'haec cecinit uates et te sibi, Phoebe, uocauit, iactauit fusas et caput ante comas'. Sed ex uerbis 'ut mos fuit illis'

intellegitur de hominibus temporis acti hoc uersu narrari. Itaque de Lusitanis quos bello Numantino deleuerat Scipio Aemilianus hos uersus acceperim de quibus Appian. Iber. cap. 67 haec tradit *καὶ τὸν Οὐιρίατθον ἑξακισχιλίοις ἀνδράσιν ἐπιόντα οἳ μετά τε κραυγῆς καὶ θορύβου βαρβαρικοῦ καὶ κόμης μακρᾶς ἣν ἐν τοῖς πολέμοις ἐπισείουσι τοῖς ἐχθροῖς, οὐδὲν ὑποπτήξας ὑπέστη τε γενναίως κτλ.* — iactari caput atque comas e. q. s., *σείουσα χαίτην κρᾶτά τ' ἄλλοτ' ἄλλοσε* Eurip. Med. 1191. — altas] conf Plin. XXIV 140 '(folia) . . . infantibus inlita capillum alunt' Diphilus l. s. s. *κόμην τρέφων* *arietes altilaneos* est in actis fratrum Arualium (Wilmannsii inscr. 2884, 6). — frontibus inmissas] uide lib. XXX u. 1007. — Sumpsit itaque Lucilius *capronae* uocabulum ex equitum lingua eques ut multa alia, *προκόμια* Xenoph. de re equ. V 6. 8.

290. Nonius p. 553, 2 'Rorarii appellabantur milites qui' e. q. s. 'Lucilius satyrarum lib. VII "quinque . . . *uelis*".' Sententiam non unam uno uersu comprehendi inde apparet quod duo nominatiui *hastae* et *rorarius* alter alterum extrudunt. Versus ipse egregium est testimonium donorum militarium aetate Scipionis Aemiliani qualia fuerint. Etenim dona militaria i. e. hastas quinque puras et auream coronam hoc uersu agnosci debere demonstratur inscriptione CIL III 454 suppl. 6984 de qua nuper egit E. Kalinka Festschrift für O. Benndorf p. 215 seqq. Ilbergii annal. III 1899 p. 675 'Sex. Vibio Gallo tricenario primipilari praef. kastror. leg. XIII gem. donis donato ab imperatoribus honoris uirtutisq. causa torquib. armillis phaleris coronis muralibus III uallaribus II *aurea I hastis puris V,* uexillis II Sex. Vibius Cocceianus patrono bene merenti. CIL II 1086 'donis donato corona murali et coronis aureis IIII item uexillo et hastis puris V' (Wilm. 1625). Sicuti in inscriptione aurea corona I arte coniuncta legitur cum hastis quinque, ita in Lucilii uersu: immo in anaglypho basis statuae Vibii (edit. Lucilii p. 95), quod omnia genera donorum illorum ante oculos ponit accurate efficta, quinque illae hastae ita exsculptae cernuntur, ut ipsae coronam auream super eas suspensam sustinere uideantur. Narrauerat igitur poeta in bello Numantino aliquod praeclare factum, cuius auctores donis militaribus donati erant a Scipione scriptusque erat uersus in hunc fere modum: ⟨equiti purae inde datae sunt⟩ quinque hastae, aureolo cinctu rorarius ueles ⟨donatur⟩. Ad hastas uelitares quales septem numero gestasse uelites auctor est Liuius XXVI 4, 4 pertinere hunc uersum uoluit auctor enchiridii antiquit. p. R. a I. Marquardtio Th. Mommseno inchoati II edit. 2 Lips. 1884 p. 343, 5. — *aureolus* ut *ligneolus* lib. V u. 224 pro *aureo* cretico uocabulo.

291. Nonius p. 506, 7 'Fulgit pro fulget. Lucilius satyrarum lib. VII "primum . . . *et furnacium* ferrum".' *e fornacibus* I. Dousa.

Notandum est Lucilium *caldum* scripsisse ex consuetudine sermonis cottidiani uersus numeris minime cogentibus sicuti *ardum* lib. XXVII u. 733 lardum II u. 79, *calidum* ubique Lucretius. Agitur de ferro feruenti quod sicuti lib. III u. 145 incert. u. 1165 aut malleis tunditur aut in lacum demittitur ut Lucret. VI 148 'ut calidis candens ferrum e fornacibus olim stridit (Ouid. met. XII 276 seqq.); 'ferrum e furnacibus' dictum est ut lib. XV u. 483 'malus naui e corbita'. *fulgit* uocabulum de astro quod instar sit *μύδρου διαπύρου* fieri comparationem indicat. De luna agi quae uentum primum indicat rubore, mox caligine mergitur ideo probabile est, quod Ouidius l. s. scribit 'ferrum igne rubens . . . quod forcipe curua cum faber eduxit' e. q. s., Vergilius georg. I 430. 431 'at si uirgineum suffuderit ore ruborem uentus erit: uento semper rubet aurea Phoebe' (Lucan. V 549).

292. Nonius p. 395, 28 'Segetem etiam ipsam terram dicimus. . . . Lucilius satyrarum lib. VII "solem . . . *statumque*".' Queritur querulus agricola solem et auram aduersam spem segetis immutasse et fortunae fidem domesticae. De aura aduersa loquitur ut nauta de aura secunda (Ouid. ex Pont. II 3, 26 'dum flauit uelis aura secunda meis'): uide ad lib. XXVI u. 666. *Statum* mutare non audeo uocabulum quod ita accipiendum arbitror ut iuris consulti dicunt statu liberi, Velleius II 72, 5 '. . . proscripti confluebant: quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus'. Tacitus ann. III 28 'sed altius penetrabant urbemque et Italiam et quod usquam ciuium corripuerant, multorumque excisi status'. Exitus uersus talis est qualem Horatius in saturis saepe admisit Lucilium secutus ueluti I 2, 30 'fornice stantem' (L. Muellerus de r. m.[2] p. 386). Scripturam quam solus cod Leidensis praebet m. 1 solem ueram esse arbitror. Crepat enim agricola apud Petronium 44 'et quomodo siccitas perseuerat. iam annum esuritio fuit', tempestatem incusat alter cap. 46. Vergil. Aen. III 141 'tum steriles exurere Sirius agros; arebant herbae et uictum seges aegra negabat'.

293. Nonius p. 496, 18 'Genetiuus casus positus pro accusatiuo. . . . Lucilius satyrarum lib. VII "tristis . . . bonorum".' Videtur Lucilius senex senum incusare tristitiam sicuti Horatius AP. 172 'dilator spe longus, iners, auidusque futuri, difficilis, querulus': fastidiosus bonorum est senex apud Horatium l. s. (170) qui 'quaerit et inuentis miser abstinet ac timet uti'. Conf Afranii u. 252 R 'uixisti tristis durus difficilis tenax'. Itaque u. 294 qui sequitur senem dilatorem, qui antecedit 292 querulum describit. Genetiuus, ut fastidire Agamemnonis lib. XXVI u. 654. Pugnat in hac structura uerborum antiquitus. genetiuus cum ablatiuo: sicuti in aliis uictor euadit ablatiuus. Genetiuum absolutum antiquitus pugnasse cum ablatiuo testatur locus XII

tabularum III 1 Brunsii 'aeris confessi rebusque iure iudicatis XXX dies iusti sunto': quam uarietatem casuum non magis mirabimur, quam cum legimus Pompeium fuisse 'oris probi, animo inuerecundo'. Genetiuus absolutus mansit in sermone uulgari (bell. Hisp. 14, 1).

294. Nonius ex grammatico p. 139, 5 'Muginari, murmurare. Lucilius lib. VII "muginamur *molimus* subducimur".' Idem ex eodem p. 346, 14 'Moliri, retinere, morari ac repigrare. . . . Lucilius lib. VII '*mutilamur* molimur (*olimur* Leidensis m. 1) subducimur".' Dum muginamur et cessamus, dum noua molimur praesentium contemptores bonorum, uitalibus auris subducimur. Muginari uocabulum Cicero adhibuit ad Att. XVI 12 'de Ocella, dum tu muginaris nec mihi quicquam rescribis, cepi consilium domesticum' unde apparet recte Nonium interpretari l. s. s. Gellii locum V 16, 5 praeterea attulit Lachmannus: qui ad Ciceronis uerba q. s. s. s. aperte compositus est: 'sed et hic aeque (*eaq;* codd) non diutius muginandum eiusdemque illius Enniani Neoptolemi de quo supra scripsimus consilio utendum est qui' e. q. s. Elegantissime poeta senum moratorum cessationem uersu spondeis elumbi expressit quem uersum unum tantummodo habuisse dactylum apparet.

295. Nonius p. 257, 24 (I p. 400, 45 Muelleri) 'Conponere, colligere. M. Tullius in Verrinis . . . "ex alienis orationibus conpositum dedit". Calx est finis. Lucilius satyrarum lib. VII "calcemque terit iam calce Diores".' Ita Leidensis. Guelferbytanus pro 'Lucilius — VII' habet emendate 'uirg. lib. V', Harleianus 'Lucilius satyrarum lib. VII hoc est cum ad uirgilius aen. lib. V', cuius altera manus lectionem Guelferbytani deletis uerbis 'Lucilius . . . ad' et 'aen' restituit. A Leidensis codicis lectione difficillima proficiscendum esse et Vergilii nomen locumque a docto librario adscriptum fuisse arbitror, cuius scholii uerba sunt corrupta habenda illa quae desunt in Leidensi *hoc est cum ad* et *uirgilius lib. V.* Probabile igitur est archetypum haec fere habuisse 'Calx est finis. Lucilius satyrarum lib. VII "calcemque . . ." Calx etiam extrema pars pedum. Vergilius lib. V "calcemque terit iam calce Diones".' Muellerus in uerbis illis quae ita supplet '*hoc est cum ad* ⟨finem uentum est⟩ censet agnoscendam esse' Lucilii uersus eius qui periit interpretationem a Nonio profectam ita ut poeta scripserit: 'cum ad calcem uentumst'.

VIII.

296. Nonius p. 489, 20 'Gracila est pro gracilis est. Lucilius satyrarum lib. VIII "quod gracila . . . similis".' Agitur de puella nondum adulta et casta qualis Atalanta fuit cuius epitheton *pernix* sollemne est (Catull. II 12 Stat. Theb. IV 312): de qua Ouid. metam. VIII 322: 'facies quam dicere uere uirgineam in puero, puerilem in uirgine posses'. — quod pectore puro] ad castos mores pertinet ut idem uersus exitus ap. Horat. serm. I 6, 64 'non patre praeclaro sed uita et pectore puro'; epist. I 2, 67 'nunc adbibe puro pectore uerba puer'. Praeierat Ennius in Phoenice (259 R) 'ea libertas est qui pectus purum et firmum gestitat'. Itaque enumerauit poeta uirtutes puellae quibus ornata uiris tantopere placuerit.

298. Priscianus GL II p. 115, 15 K 'Praeterea panus, panucula. Lucilius in VIII "intus modo *stet* rectus subteminis, panus".' Ex eodem auctore Nonius p. 149, 24 'Panus, tramae inuolucrum, quam diminutiue panuclam uocamus (dicimus *edit Onionsii*). Lucilius lib. *VIIII* "*foris* subteminis (Leidensis *substeminus*) panus (*pann$\overset{u}{i}$s* Guelferbytanus)".' Ex eodem Charisius GL I p. 105, 8 K. 'Paniculae *πρωτότυπον* panus est. Lucilius in VIII (impressi *quarto*) "*subtiminis* panus".' Ex Charisio Beda GL VII p. 285, 20 K ubi *subteminis* recte Leidensis, *pannus* omnes. Felici casu factum est ut uersum integrum possimus recuperare. *Intus* enim et *foris* uerba contraria sunt ut ap. Varr. d. L. V 131 'unum quod foris ac palam, palla, alterum quod intus, a quo intusium'. Contenti sunt multi turpi facie mulieris, modo rectus stet fusus intus, foris subteminis globus recto ordine auctus appareat, quod utrumque sobriae et lanificae proprium erit. Libro VIII ex Charisii et Prisciani consensu uersum adscripsimus. Panus est globus subteminis quod ducitur a fuso i. e. *ἠλακάτη* recto: uocabulum est Doricum, *πῆνος· ὕφασμα. πηνίον· πανούκλιον ἢ ἄτρακτος εἰς ὃν εἰλεῖται ἡ κρόκη* Hesychius. AP VI 160 *κερκίδα . . . τόν τε καρηβαρέοντα πολυρροίβδητον ἄτρακτον, κλωστῆρα στρεπτᾶς εὔδρομον ἁρπεδόνας, καὶ πήνας, καὶ τόνδε φιληλάκατον καλαθίσκον κτλ. substeminus* quod praebet Nonii Leidensis defendas forma *supstenet* CLE 929 Buecheleri: uel genetiuus in *-us* defendi potest cum Cat. de agr. cult. 157, 8 *uterus* et *experirus* formas habeat cod A alii. Sed illud mendum esse librarii est probabilius. In app. crit. addas: *subtiminis* Charis. N: *lib. IX tribuit Nonius.*

299. Priscianus GL II p. 397, 24 K 'Nam a lenteo lentesco deriuatur, quomodo a duro duresco et a uireo uiresco. Lucilius tamen in VIII "lentet opus" protulit.' Macrobius GL V p. 650,

31 K 'Lentesco a uerbo lentet. Lucilius "lentet opus".' Contrarium est illud Vergilii georg. IV 169 hexametri exordium 'feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella'.

300. Nonius p. 427, 26 'Priores et primores hanc habent diuersitatem. . . . Lucilius satyrarum lib. VIII "gallinaceus . . . *onestemtelitus* digitos primores *quae erigunt* (*erigit* olim impressi) unguis".' Quod in Aldina scriptum est *sustulit in digitos*, in Lachmanniana *intulit, is digitos*, alterum displicet propter perfectum quod pugnat cum *erigit* praesenti, alterum ideo falsum est, quod gallum non potest dici erigere digitos et ungues, sed se erigere in digitos et in primores ungues. Sic Seneca epist. 111, 3 'non exsurgit in plantas nec summis ambulat digitis eorum more, qui mendacio staturam adiuuant longioresque quam sunt uideri uolunt'. Quare ante *digitos* excidit, opinor, *in:* porro facile e litteris *telitus* efficias *altius* cum Vergilius Aen. V 426 dicat 'constitit in digitos extemplo arrectus uterque' georg. III 75 'continuo pecoris generosi pullus in aruis altius ingreditur' 553 'caput altius effert', 'erigere alte' Lucret. IV 404. *Honeste* sicut apud Plautum Rud. 463 'em sic uolo te ferre honeste, ut ego fero, ut placeas mihi'. *Primores* Nonius l. s. s. explicat 'summae quaeque res', quod uocabulum pertinet *ἀπὸ κοινοῦ* ad digitos et ad ungues. At Cato de agri cult. cap. 19, 2 cum scribat 'digitum pollicem laxamenti facito' 20, 2 'cunicas solidas latas digitum pollicem facito' 21, 2 'late digitos primoris IIII, alte digitos primoris III', apparet posse etiam intellegi apud Lucilium de tribus primoribus unguibus galli, quibus contrarius est posterior unus qui est pollicis instar. Agitur de muliere quae superba incedit gallo uictori similis de quo Aelian. de nat. anim. IV 29 *μάχῃ δὲ ἀλεκτρυὼν καὶ τῇ πρὸς ἄλλον ἡττηθεὶς ἀγωνίᾳ οὐκ ἂν ᾄσειε . . . κρατήσας δὲ γαῦρός ἐστι καὶ ὑψαυχενεῖ καὶ κυδρουμένῳ ἔοικε.*

302. Nonius ex grammatico p. 81, 5 'Buas potionem positum paruulorum. Varro Cato uel de liberis educandis "cum cibum ac potionem buas ac pappas *u*ocent, et matrem mammam, patrem tatam". Lucilius lib. VIII cum uinulentas diceret, uinibuas designauit.' Vocabulum *οἰνοπότις* Graecorum transtulit Lucilius. Vinulentam mulierem descripserat lib. VI u. 238 quod egregie fecit auctor Graecus Plauti Curculionis u. 96 seqq. et artifex signi quod Scyri factum est Lucilii fere tempore lepidissimi qui anum finxit lagoenam arte circumplexam Ephem. archaeol. 1891 tab. X (p. 145 seqq.) cum inscriptione hac *γραῦς ἥδε οἰνοφόρος κεχαρημένη ὧδε κάθηται.*

303. Nonius p. 260, 27 'Conponere, coniungere. . . . Lucilius satyrarum lib. VIII "cum poclo *eodem obuio* amplector labra *labellis* conpono . . . cum *ipso loco pomas*".' Idem p. 308, 17

'Fingere est lingere. *Virg. lib. VIIII* "cum poclo ... *abra* labellis *fictrices* conpono ... cum *uia ωλοκοπουμη* (ita L, *ωλοκοπουμη* G)".' Vergilii locum Aen. VIII 633 'illam tereti ceruice reflexa mulcere alternos et corpora fingere lingua' excidisse probabiliter statuit Stowasserus. Lucilii uocabulum *fictricis* quod seruaui quomodo Nonius a fingendo deductum explicuerit, nos non quaeremus neque tamen est quod recte fere traditum esse et enarratum fuisse a grammatico nos negemus: qui cum p. 260 eosdem uersus attulisset accidit uidelicet propter homoeoteleuton ut illic post *labellis* illud *fictricis* excideret. Quod uocabulum non mirabimur comparantes eiusdem poetae uerba *pistrix conciliatrix* et eiusdem formae Plauti substantiua XXXIII ab Hermanno Rassow de Plauti substantiuis collecta p. 613 in quibus multa uocabula sunt aut singularia aut rara ut *acceptrix accusatrix adsentatrix aduorsatrix amatrix oratrix persuastrix suppostrix* quod genus *adsestrix* Afranius habet, alii alia. *Fictrix* nimirum dicitur meretrix quae *ficto suspirat amore* (Lucr. IV 1192). — Cum poclo bibo eodem] amicitiae signum et caritatis ut Aristoph. Equit. 1289 Plaut. Stich. 730 Agathiae carmen AP V 260 *εἰμὶ μὲν οὐ φιλόοινος· ὅταν δ' ἐθέλῃς με μεθύσσαι, πρῶτα σὺ γευομένη πρόσφερε καὶ δέχομαι. εἰ γὰρ ἐπιψαύσεις τοῖς χείλεσιν, οὐκέτι νήφειν εὐμαρὲς. . . πορθμεύει γάρ ἔμοιγε κύλιξ παρὰ σοῦ τὸ φίλημα.* — amplector labra labellis fictricis conpono] Bion I 40 *ὥς σε περιπτύξω καὶ χείλεα χείλεσι μίξω* AP V 127 *χείλεά τε γλυκεροῖς χείλεσι συμπιέσας Ἀντιγόνης.* — hoc est cum psolo copumai] *ψωλοκοποῦμαι* Iunius, quod uocabulum alibi non extat neque apte formatum uidetur quia commonet uocabuli *χειροκοποῦμαι τραχηλοκοποῦμαι* quae longe diuersum praebeant sensum. Itaque dum uocabulum illud aptius enarretur, malo scribere psolo' copumai: *κοπωθέντες οἱ βάρβαροι τῇ ἀλήκτῳ συνουσίᾳ ὑπνώθησαν* Plut. Parall. p. 313 A 312 F: psolo, ut scorpio lib. XXX u. 1022. Quae uocabula quod p. 308 Graecis litteris exarata sunt in codd, non magni faciendum: uide ad lib. V u. 187. Tamen cod Leidensis praestantia hoc Lucilii loco egregie cernitur cuius librarius e *Ψ* littera *uia* quod natum fuerat, recte seruauerit: quod omisit librarius Guelferbytani. In reliquis nil sani. Scripsit poeta: cum tentigine rumpor non curo bonane sit an mala, pulcra honesta an turpis. In app. crit. adde: *abra* codd p. 308.

305. Nonius p. 260, 29 'Conponere, coniungere. . . . idem in eodem (praecessit uersus 303 seq.) "*tuum latum* conponit . . . pectus".' De ordine fragmenti constare non posse expositum est prolegg. p. XCV. — Conf AP V 127 *στέρνα περὶ στέρνοις, μαστῷ δ' ἐπὶ μαστὸν ἐρείσας χείλεά τε γλυκεροῖς χείλεσι συμπιέσας Ἀντιγόνης καὶ χρῶτα λαβὼν προσχρῶτα κτλ.* *latus* quae pars proprie sit corporis, ex hoc uersu intellegitur: neque enim totum corpus

poterit significare sed corporis superiorem partem (Cic. de senect. 14 'magna uoce et bonis lateribus suasi') sicut apud Hor. serm. I 2, 92 'uerum depugis, nasuta, breui latere ac pede longo est'. — cum pectore pectus] supplendum est iungit.

306. Porphyrio ad Horatii sermonum I 2, 125 'Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laeuum' 'Hoc est quod Lucilius ait in VIII "et cruribus crura *diallaxon*".' Dubitat G. Meyerus Porphyrionis editor sitne *διάλλαξον* imperatiuus an futurum *διαλλάξων* intellegendum: sed futurum ideo probabilius, quod in similis argumenti uersibus 303—305 indicatiuus inuenitur. Vocabulum Graecum in rebus obscaenis usurpatum quin recte traditum sit non dubitem: Eurip. Heraclid. 836 *τὸ δεύτερον δὲ ποὺς ἐπαλλαχθεὶς ποδί, ἀνὴρ δ' ἐπ' ἀνδρὶ στὰς ἐκαρτέρει μάχῃ.* Aristoph. Nub. 983 *οὐδ' ἴσχειν τὼ πόδ' ἐναλλάξ.* Plut. de rect. rat. aud. cap. 13 p. 45 D *καὶ περίκλασις σώματος καὶ μηρῶν ἐπάλλαξις ἀπρεπής* (ubi uide quae Wyttenbachius attulit): *τῇ ἐπαλλάξει τῶν δακτύλων* Aristoteles de insomn. cap. 2 p. 460 b 20. Rem ipsam similiter enarrant Archilochus 72 B (PLG[4] II p. 403) *κἀπὶ γαστρὶ γαστέρα προσβαλεῖν μηρούς τε μηροῖς* Anacr. 164 (l. s. III p. 294): *πλέξαντες μηροῖς πέρι μηρούς* Tibull. I 8, 26 (Charis. GL I p. 87, 5 K).

307. Porphyrio ad Horatii sermonum I 2, 68 'Muttonem pro uirili membro dixit Lucilium imitatus: ille etenim in *VII* (*om. in app. crit.*) sic ait "*a leua . . . abstergeret* amica".' Pseudoacron ad l. s. s.: 'mutto autem dicitur membrum uirile, ut Lucilius libro octauo "leua lacrimas muttoni absterget amica".' Libro VIII recte adscripsere fragmentum et Porphyrionis et Lucilii editores. Turpis translatio fit cum penis plorans foedissimo sensu inducitur a poeta quasi homo, ut Horatius l. s., ad quem explicandum ueteres hunc Lucilii uersum apposuere 'Huic si muttonis uerbis mala tanta uidenti Diceret haec animus e. q. s. Neque melius hoc uerbum 'lacrimas' illustrare possumus quam uerbis Boetii de definitione (Mignei patrol. uol. 64 p. 904 D) 'Turpis translatio fit duobus modis cum honesta turpibus definimus aut turpia honestis ut si quis patrationem definiens lacrimas dicat ueneris fatigatae: quem sudorem[1]) melius nominaret. At contra aliquis dicat lacrimae sunt doloris patratio, huic uitio nec superior particula temperamentum tribuit'. Patratio autem quid sit, expositum est Isidor. orig. IX 5, 3 'Pater autem dictus eo quod patratione peracta filium creat: patratio enim est rei ueneriae consummatio'. Similis ioci turpem ambiguitatem habes hist.

1) Lucr. IV 1128 'teriturque thalassina uestis Adsidue et *Veneris sudorem* exercita potat' Boetii hoc loco explicatur. Thalassina *uestis* teges lecti seu uestis stragula est, ut ap. Diodor. excerpt. lib. XXXIV et XXXV 2, 35 *στρωμάτων θαλαττίων πολυτελείας.*

Apollon. Tyrii cap. 34 'non potest melius: usque ad lacrimas'. — *Amica* denique dicitur manus *laeua*. Sed ne diutius meis uerbis has sordes tractem, Martialis potius ad uersum recte intellegendum arcessatur qui IX 41 haec scribit 'Pontice quod numquam futuis, sed paelice *laeua* Vteris et Veneri seruit *amica manus*, Hoc nihil esse putas? scelus est mihi crede, sed ingens Quantum uix animo concipis ipse tuo. Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres, Mars semel, ut geminos Ilia casta daret. Omnia perdiderat si masturbatus uterque Mandasset manibus gaudia foeda suis' Priap. 33, 5 B 'Turpe quidem factu, sed ne tentigine rumpar Falce mihi posita fiet *amica manus*'. Sinistram manum nescio qua de causa idem Martialis commemorat in eadem turpitudine XI 58, 11. 73, 4 (conf II 43, 14). *Manus amica* igitur idem ualet, quod manus fututrix (Mart. XI 22). Similiter Scythinus AP XII 232 ad muttonem lacrimantem *Ὀρθὸν νῦν ἕστηκας ἀνώνυμον οὐδὲ μαραίνῃ· Ἐντέτασαι δ' ὡς ἂν μή ποτε παυσόμενον. Ἀλλ' ὅτε μοι Νεμεσηνὸς ὅλον παρέκλινεν ἑαυτόν, Πάντα διδοὺς ἃ θέλω, νεκρὸν ἀπεκρέμασο. Τείνεο καὶ ῥήσσου καὶ δάκρυε· πάντα ματαίως· Οὐχ ἕξεις ἔλεον χειρὸς ἀφ' ἡμετέρης.* Aliter de h. u. statuit G. Hermannus el. doct. metr. lib. II cap. 36.

308. Nonius p. 498, 8 'Genitiuus positus pro ablatiuo. . . . Lucilius satyrarum lib. VI "hortare illorum si possim capi sortiri". idem lib. VIII (*VI* Guelferbytanus) "quarum et . . . indigeamus".' Hoc scire medici opinor officium est sollertis: 'tenuis uero homo implere se debet, plenus extenuare' auctore Celso I cap. 3 p. 18, 5 Daremb.

309. Nonius ex grammatico p. 119, 21 '*Gigeria*, intestina gallinarum *conhisetita* (conquisita) cocta. Lucilius lib. VIII "*gizerini* sunt siue adeo *hepetia*".' Gizeria et hepatia memorat Habinnas apud Petron. cap. 66 cum cenae modo habitae delicias enarrat: *ἡπάτια* saepenumero poetae comici Graeci laudant (Athen. III p. 107 F) quae Apicius IV 116 appellat iocuscula gallinarum, 137 iocuscula pullorum. Idem Apicius IV 141 'gizeria pullorum coquis', similiter 181 V 200. Sicuti apud Nonium, ita ex codd et Apicii et Pauli (ex Festo p. 95 'gizeria ex multis obsoniis decerpta') et Glossariorum (CGL II p. 33, 62 III 488, 11 V 642, 23) difficile est statuere utrum *gizeria* an *gigeria* sit scribendum: accedit quod *g* et *z* litterae in scriptura Anglosaxonica quam uocant simillimae altera alterius fuere (Wattenbachius Anleitung z. lat. Palaeogr.[4] Leipz. 1886 p. 50). Tamen recte adnotat Lachmannus: 'Gizeria neutro genere dicuntur: male Scaliger *gigeriae sunt*. Gallice dicitur *gésier* [conf Groeberus archiu. lexicogr. Lat. II 1885 p. 438 Koertingius Lat. roman. Wörterb. s. u.], per z litteram scribitur apud Petronium Festum Apicium, quare fallitur O. Muellerus, qui mauult cum lexicographis scribi *gigeria*'. Quem

ideo recte iudicare arbitramur, quod etiam in uocabulo *zingiber* nata est posterior forma *gingiber* simili ratione: neque tamen z littera quin genuina sit quisquam dubitat propter *ζιγγίβερι* Graecorum. De quantitate uocabuli nil constat. Groeberus gĭzĕrium, Koertingius gĭzērium posuit neque est quod ad similitudinem substantiui *magisterium ministerium* potius quam ad *dicterium* prouocemus. — siue adeo Cic. in Verr. act. II lib. I 34, 87 Plaut. Merc. 1018. (hep*a*tia scrib. in edit. a inclinata).

311. Nonius ex grammatico p. 84, 11 'Columnam lacchonere iunmi mammis (*Colustra* [*Columnam*], *lac concretum in mammis* Hauptius, conf Vergil. georg. III 463) Lucilius lib. VIII "*beram sulam fomento* omnicolore *colustra*". Laberius in Virgine: "siquidem, mea colustra, fretus".' Ita Leidensis m. 1. Guelferbytanus: colustra lumnam lacchonere iunmi mammis. Lucilius lib. VIII 'hiberam insuam fomento omnicolore colustra' e. q s. Vterque cod m. 2 insulam, Leidensis m. 2 hiberam. Archetypus habuit 'columnam lacchonere iunmi mammis Lucilius lib. VIII beram sulam fomento omnicolore colustra'. Super *columnam* m. 2 scriptum fuit *lustra*, super *beram* et *sulam* syllabae *hi* et *in* a docto librario. Colustra Plaut. Poen. 367 (390), Lucilius, Laberius l. s. s., colostra Colum. VII 3, 17 Plin. nat. hist. XI 236 XXVIII 123 Pallad. XII 13, 1, item Plinius l. s. s. colostratus colostratio (CGL III p. 288, 23). At Martialis XIII 38 editur 'Colustrum. Subripuit pastor quae nondum stantibus haedis de primo matrum lacte colustra damus' unde Caper GL VII p. 109, 3 K 'colustrum recte', Seruius ad Verg. eclog. II 23 'lac nouum, id est colustrum. quod neutri generis est, nam feminini esse penitus non potest' GL V p. 576, 1 K 'colustrum generis neutri ut Martialis' e. q. s. 'Est autem colostra', ut Plinii uerbis utar (l. s. s XXVIII 123), 'prima a partu spongea densitas lactis': qui XI 236 de boum lacte 'bos ante partum non habet et primo semper a partu colostrae fiunt, ni admisceatur aqua, in pumicis modum coeunte duritia'. Graeci *πυός*, *πυριάτη*, *πυτία* appellant ueluti Aristoph. Vesp. 709 *ἔζων ἐν πᾶσι λαγῴοις καὶ στεφάνοισιν παντοδαποῖσιν καὶ πυῷ καὶ πυριάτῃ* ubi scholiasta: *πυριάτης τὸ πυρίεφθον ὑπό τινων προσαγορευόμενον, ὃ κατασκευάζουσιν ἐκ τοῦ πρώτου γάλακτος μετὰ τὸν τόκον·* sequitur Cratini fragmenti (CAF I p. 57, 142 K) uersus posterior *ἧσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν, πυὸν δαινύμενοι, κἀμπιμπλάμενοι πυριάτῃ*: alterum scholion est *πύον τὸ πρῶτον γάλα ὃ πήγνυται ἑψόμενον*: *πρωτόγαλα* CGL III p. 288, 23. Nil omnino certum est in uersu corrupto nisi ablatiui *fomento, omnicolore colustra*. Ad hoc *colustra* illud *omnicolore* pertinere non posse poeta demonstrat GL V p. 576, 1 K 'ut qui colustrum luteum'. Vocabulum *omnicolor* habet solus Prudentius peristeph. XII 39 'omnicolor uitreas pictura

superne tingit undas': qui inuenerit hoc *omnicolore* ad quod uocabulum pertineat, is uersum emendabit. Escarum et deliciarum strues uidetur esse descripta qualem memorat cocus Alexidis CAF II p. 335 K u. 12 *ἐπὶ τὸ τάγηνον φυκίδας, ψήττας τινάς, καρῖδα, φύκην, κωβιόν, πέρκην, σπάρον * ** (deest unus uersus) *ἐποίησά τ' αὐτὸ ποικιλώτερον ταῶ.* Pro *fomento* Lachmannus *momento*, melius Baehrensius *omento*: omentum enim idem est atque *ἐπίπλουν* (Athen. III p. 106 EF). At caesura uersus laborat quam alia ratione restituere non poterimus nisi si uocabulum ante *omnicolore* excidisse statuemus. Itaque *horto* inserui, ut Cato de agr. cult. 8, 2 'sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus' Hor. serm. II 4, 16 'inriguo nihil est elutius horto'. Anum diuitem permulsam fomento, pomis uariis, colustrae deliciis captat heredipeta uel alius quis. De fomento quod seruaui uide ad lib. XXIX u. 813.

312. Nonius ex grammatico p. 217, 21 'Posticam . . . Titinius neutro . . . dici probat. . . . Lucilius lib. VIII "pistrinum . . . culina".' Describitur domus partes posticae tempore Lucilii quales fuere. Apparet domnaedium nondum petere panem a pistore uendente, sed suum domi habere et pistrinum et panificium seruosque pistores (Plin. nat. hist. XVIII 107: Plaut. Asin. 200 ad Graecos mores spectat). Quod dicit *adpositum*, id significat *aptum* et *commodum*, ut Cic. de inu. I 5, 6 'dicere apposite ad persuasionem'. Varro rer. rust. I 23, 1 'alia enim loca adposita sunt ad faenum' II 7, 5 'et cum est aeger, ad medendum adpositus' Cic. ad. Att. III 14, 2 'uerum ab ipso loco minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem' in Verr. IV 126 'multo adpositior ad ferenda quam ad auferenda signa'. Prope pistrinum sunt posticum quod habent aedes Pompeianae fere omnes, tum sella et culina. Quae Pompeis saepissime arte coniunctae sunt partes domus, ueluti in domo Lucretii, Castorum quae dicitur, Popidii Secundi (Overbeckius Mauius Pompeii ed. IV p. 339). Non est quod *sella* mutemus (*cella* Guilelmius): docent sella quid sit Cato de agr. cult. 157, 11 'sub sellam supponito pertusam. eo mulier adsidat' Varro rer. rust. I 13, 4 de sterquilinio: 'in eoque quidam sellas familiaricas ponunt' (Dittenbergeri Syllog. ed. II 834, 10 *καὶ τὸ οἰκημάτιον τὸ ἐπὶ τοῦ κοπρῶνος*). Latrina enim Lucilio est balineum (lib. VI u. 253 XI u. 400).

313. Nonius p. 4, 10 'Tolutim dicitur quasi uolutim uel uolubiliter. . . . idem (*item* impressi) Lucilius satyrarum lib. VIII "si omne (*omnem* L m. 1 G) iter (*inter* G) euadit stadiumque accliue tolutim".' Saepenumero de equo suo loquitur eques Lucilius artisque uocabula equestris habet in deliciis sicuti *tolutim* hoc loco et *stadium*. Conf de equis Hiberum quae Posidonius tradidit ap. Strab. III p. 163 med. *δεδιδαγμένων ἵππων ὀρειβατεῖν καὶ κατοκλάζεσθαι ῥᾳδίως* . . . (*extr.*) *ἐοικέναι δὲ τοῖς Παρθικοῖς· καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων.* Veget. art. ueter. IV 6 'Curribus Cappadocum gloriosa nobilitas. Hispanorum par uel proxima in circo creditur palma . . . quamuis Africa Hispani sanguinis uelocissimos praestare consueuerit'. Vide ad XIV u. 476 XV u. 506 seqq. 'omne iter euadit' Vergil. Aen. XII 906 'tum lapis ipse uiri . . . nec spatium euasit totum nec pertulit ictum'. II 730 'omnemque uidebar euasisse uiam'.

314. Nonius p. 4, 12 'Tolutim dicitur quasi uolutim uel uolubiliter. . . . idem Lucilius satyrarum lib. VIII . . . idem "uelle tolutim hic semper *incepturus* uidetur".' Eiusdem libri esse fragmentum colligas comparatis Nonii testimoniis ad lib. IX u. 341 XXVI u. 677: quod post illud fragmentum u. 313 quod antecedit posuit Baehrensius. De ordine tamen caute nos debere iudicare efficitur Non. p. 346 extr. 'molle opportunum, Vergilius Aen. lib. IIII (423) 'sola uiri molles' e. q. s. *idem* (sequitur IV 293) 'et quae mollissima fandi tempora'. Adde quod ordo librorum Lucilii in hac parte Nonii inuersus est (conf prolegg. p. LXXXVIII) neque tamen de ordine inuerso singulorum eiusdem libri fragmentorum inde quicquam poterit effici ideo, quod solet Nonius in afferendis libris I—XXII Lucilii, cum de eadem uoce alium librum adfert praemissis uerbis *idem libro,* non antecedentes libros adferre, sed sequentes (conf prolegg. p. LXXIX). Itaque omnia in hac quaestione sunt incerta. — *et incepturus* Bouterwekius quem male sequitur Muellerus et Baehrensius, *iter coepturus* Lachmannus, qui uerbum in artis uocabulo quale est *tolutim* adnotat facile posse omitti. Ego in loco corrupto probabilius id uerbum supplendum esse duco et *agi* inserui. *uelle uidetur* ut Vergilius Aen. XII 909 'nequiquam auidos extendere cursus uelle uidemur'. Agi de equo Hispano probatur loco Plinii nat. hist. VIII 166 'in eadem Hispania Gallaica gens est et Asturica equini generis. hi sunt quos celdones uocamus, minore forma appellatos asturcones gignunt; quibus non uulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, unde equis tolutim capere incursum traditur arte'.

315. Nonius p. 533, 27 '*Cercyrus* nauis est Asiana pergrandis. . . . Lucilius satyrarum lib. VIII "uerum flumen uti atque ipso *diuortio igneis* pedibus *cyrcerum concurret equis*".' Locus magnopere corruptus et perturbatus. Cercurus nauis nomen habet Herodotus VII 97 *τριηκόντεροι δὲ καὶ πεντηκόντεροι καὶ κέρκουροι καὶ ἱππαγωγὰ πλοῖα μακρά,* adhibuerat Dinarchus auctore Harpocratione p. 109, 28 B *κέρκουρος εἶδός τι νεώς· Δείναρχος Τυρρηνικῷ.* Quare Baehrensius L. Muellerus et apud Lucilium et apud Nonium *cercyrum* scripserint, non magis intellego quam quod Plinii editores nat. hist. VII 208 eandem seruarunt codicum scripturam qui haec

tradit: 'onerariam Hippus Tyrius inuenit, . . . celetem Rhodii, cercurum Cyprii'. Extat hoc uocabulum apud Plaut. Mercat. 87 Stich. 368. 413, item ap. Liuium XXXIII 19, 10 XXIII 34, 4 'Valeriusque Flaccus cercuros ad persequendam retrahendamque nauem cum misisset' unde apparet celerrimarum fuisse nauium illud genus. Eo minus intellego hoc Lucilii loco quod statuerunt editores de flumine agi traiciendo. Plausum enim tulit Iunii emendandi ratio qui hoc modo scripserat: 'Verum flumen uti atque ipso diuortio ⟨aquarum⟩ *i*lignis pedibus cercurum concinit aequis', quae alii alio modo mutata recepere editores, cum doceant pedes de remis esse intellegendos. Dixit sane Ausonius Mosell. 201 'remipedes medio certant cum flumine lembi': at nostro loco nullum ista translatio habet locum. Certissimum enim fundamentum interpretationis erit istud *pedibus aequis:* qua de locutione conf Cic. ad Att. XVI 6, 1 'Ego adhuc . . . magis commode quam strenue nauigaui, remis enim magnam partem, prodromi nulli. Illud satis opportune, duo sinus fuerunt, quos tramitti oporteret, Paestanus et Vibonensis. Vtrumque pedibus aequis tramisimus'. Item Ouid. ex Pont. IV 5, 3 'Ite leues elegi, doctas ad consulis aures . . . Longa uia est. nec uos pedibus proceditis aequis Tectaque brumali sub niue terra latet' Fast. III 565 'nancta ratem comitesque fugae pede labitur aequo' ubi Burmannus relegat legentem ad Catull. IV 21 'siue utrumque Iuppiter simul secundus incidisset in pedem'. Itaque pes nauis funis est quo uela deriguntur ad uentum et pedibus aequis currit ea nauis quae plenis uolat uelis uel 'aequatis uelis' ut est ap. Vergilium Aen. IV 587 uento secundo. Similiter Nonnus Dionys. IV 230 *δουροπαγὲς πόμπευε δι᾽ οἴδματος ἅρμα θαλάσσης ἰσάζων ἑκάτερθε νεὼς πόδας.* Cadit igitur elegans illud *iligneis* omnibus probatum nec ferri potest diuortio aquarum: longe enim aliud est diuergium aquae (de quo Rudorffius die Schriften d. röm. Feldmesser II p. 256). Comparatur in uersibus Lucilii equi cursus ut opinor uelox flumini primum, tum alii rei, denique plenis uelis currenti cercuro celerrimo: *atque* particulam recte traditam esse caesura quae in hoc uocabulo saepius inuenitur semiquinaria probatur. 'Verum flumen uti atque ipso de uortice ⟨montis saxum⟩ *ingens* (conf Iuuen. VI 649 Lucr. V 313), pedibus cercurum *currere ut* aequis ⟨saepe uides, tanto ruit hic ecus impete uelox⟩ quae ideo addidi ne cogitandi laborem me effugisse quis putet. *diuortio* scribas in app. crit.

317. Priscianus GL II p. 546, 9 K 'Sallio sallitum facit, sallo salsum. . . . similiter Lucilius in VIII "sallere . . . frigdaria (*nonnulli codd frigidaria*) ferre".' Agitur de mercatore salsamentario qui murenas ad fretum captas (Macrob. Saturn. III 15, 7) coemit et aut sallendo aut frigore in frigdariis conseruat: merx uocabulum ad pisces item pertinet et salsamentarii exemplum adhibetur Persio V 132 'surge', inquit auaritia, 'heia, surge' . . . 'en saperdas aduehe Ponto', Iuuen. IV 32 'magna qui uoce solebat uendere municipes fracta de merce siluros': adde quod salsamentarius quem *ταριχέμπορον* dicunt Graeci prouerbio notissimus est (ad Her. IV 54, 67 Macrob. Saturn. VII 3, 6). Frigidarium idem est quod Graeci *ψυχεῖον*, horrea uel cellae frigidae sub terra constructae. — De *frigdaria* forma uide indic. gramm. s. u. syncope, frigdopoetae Ausonius p. 170, 6 Sch. p. 232, 6 Peip.

318. Nonius p. 212, 32 'Mercatura feminini. . . . Lucilius satyrarum lib. VIII (*lib. VI* Leidensis) "uerum . . . quaesticuli *instituti*". Turpilius Lindia' e. q. s. Scripsit Scaliger *isti intuti* quem secuti sunt editores omnes: satis notum est M. Catonis libri de agri cultura exordium illud 'Est interdum praestare mercaturis rem quaerere nisi tam periculosum sit'. At uocabulum *intutus* ante Sallustium (hist. I 77, 17 Maur. 'remp. intutam patiemini') usurpatum non inuenio nec aptum esse uidetur, quod a tuendo deductum ad *quaestum* minus bene accommodatur. Itaque nonnisi plenum uersum unum adferri Lucilii malo statuere et istud *tuti* natum esse ex sequentis uocabuli *Turpilius* principio: conf prolegg. p. CXIV. De turpi quaestu egerat poeta lib. XXVI u. 669 seqq.

IX.

Peculiarem libellum 'C. Lucilii satirarum quae de lib. IX supersunt disposita et illustrata' scripsit Ludouicus Ferdinandus Schmidt Berol. 1840.

319. Priscianus GL II p. 251, 12 K 'Inuenitur etiam haec capis capidis, cuius diminutiuum est capidula. Arruntius "Capis, uasis genus pontificalis, diminutiue capidula". Lucilius in VIIII "hinc . . . repertas". et uide quod magis Graecum ostenditur, cum in as protulit accusatiuum pluralem'. Numae regis ut lib. XV u. 484 instituta tractantur: recte iam Dousa Ennii uersus ex II annali attulit: 'mensas constituit, idemque ancilia *, libaque, fictores, Argeos et tutulatos' (u. 120 V). Notat Lucilius Salios ancilibus, flamines apicibus, pontifices capidibus. De Saliorum ancilibus a Numa institutis conf Plut. Num. 13, de flaminum apicibus E. Petersenus Ara Pacis Augustae tab. VI (XV 14. 15) p. 110: una cum ancilibus apicem Liuius enumerat VI 41, 9 'cuilibet apicem Dialem, dummodo homo sit, inponamus, tradamus ancilia . . . quibus nefas est'. Capidas denique ad pontifices pertinere intellegitur e Liu. X 7, 10 ubi ita describitur pontifex

et augur: 'is *non* conspicietur cum capide ac lituo, capite uelato uictimam caedet auguriumque ex arce capiet?' Nonius p. 398, 26 'M. Tullius de republica lib. VI: "*Testatur* (add. L. Muellerus) oratio Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpuuia pontificum dis inmortalibus grata sint, Samiaeque, uti scribit, capudines".' Cicero de nat. deor. III 17, 43 'docebo meliora me didicisse de colendis dis inmortalibus iure pontificio et more maiorum capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum'. Eodem modo quo Lucilius sed diuerso ordine inter Numae instituta Liuius I 20 enumerat Dialem flaminem uirgines Vestae Salios pontificem. Itaque etiamsi a uersu sequenti (320) diuelli nequeat uersus hic Lucilii quo de Saliorum institutis aperte agitur, tamen apices et capidas ad Salios pertinere probabile ideo non est, quod capidas proprie uasa Saliorum fuisse demonstrari nequit. Nam glossas CGL IV p. 28, 2 'cardens uasa fretiua Saliorum' p. 215, 20 'candes uasa fictilia' ita emendari debere ut scribatur *capides* certum non est neque quicquam proficit horum locorum interpretatio adhibito loco Cic. Parad. I 11 'Quid? a Numa Pompilio minusne gratas dis immortalibus capudines ac fictiles urnulas fuisse quam felicatas aliorum (Saliorum *Baiterus*) pateras arbitramur?' Apices enim etiam Salii gestabant teste Dionysio Halic. archaeol. II 70, 2 qui de Saliis *καὶ τὰς καλουμένας ἀπίκας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδές, ἃς Ἕλληνες προσαγορεύουσι κυρβασίας* (Babelo descript. des monn. d. l. rép. Rom. II p. 138).

320. Festus p. 270, 34 'Redantruare dicitur in Saliorum exultationibus, cum praesul amp*i*ruauit, quod est motus edidit, ei referuntur inuicem idem motus. Lucilius "praesul ut *ampiruet inde* uulgus *redamplauit at.* Pacuuius (104 R) "proaererenda (*pro merenda*) gratia, Simul cum uideam Graios nihil mediocriter Redamptruare opibusque summis persequi".' Nonius ex grammatico p. 165, 17 'Redandruare, redire. Lucilius lib. VIIII "ut uulgus *redandruet* inde". Pacuuius Chryse "Graecos nihil mediocriter Redandruare".' CGL II p. 21, 20 'antruare σπηλεῦσαι V p. 440, 22 "antruare non dare" II 17, 38 "andruare ἀνδρίζεσθαι".' Grammaticorum nugas qui de ἀνδρός et σπήλαιον i. e. antrum uocabulis somniantes uana uocabuli obscuri protulerunt interpretamenta nos non curabimus. At iam liberae reip. temporibus apud Lucilium et *amptruet redamptruet* et *andruet redandruet* lectionem extitisse inde efficitur, quod apud Paulum in Festi epitoma utraque item inuenitur lectio: ubi legitur p. 9, 11 'andruare id est recurrere a Graeco uerbo ἀναδραμεῖν uenit; hinc et drua uocata est. antroare gratias referre. truant mouentur. truam quoque uocant quo permouent coquentes exta'. Recte

tamen editores *amptruo* formam seruarunt. Etenim inepte grammaticus aliquis Graecum uocabulum attulit ad uerbum illud quod temere mutauit explicandum. Cuius tamen auctoritas ualuit apud Nonii auctorem, qui item d litteram praetulerit. Neque de orthographia et ueriloquio neque de significatione uocabuli certi aliquid et boni proferre poterant grammatici. *Vulgus* reliquum chorum significat Saliorum qui praesuli et motibus et uocibus respondebat sicuti populi corona praeficae in funere auctore Seruio ad Aen. VI 216 'ne eo offendatur populi circumstantis corona, quae tamdiu stabat respondens fletibus praeficae, id est principi planctuum, quamdiu consumpto cadauere et collectis cineribus diceretur nouissimum uerbum "ilicet".' inde-inde ut Herod. II 176 *ὁ μὲν ἔνθεν, ὁ δὲ ἔνθεν τοῦ μεγάλου.*

321. Nonius p. 67, 13 ex grammatico '*Parectato* hi qui de pueritia ueniunt ad pubertatem; a Graeco uocabulum sumptum. Lucilius lib. VIIII "unde (inde *Guelferbytanus*) *parectato ecalamides* (*ecalami * * * Leidensis*) ac barbula prima". idem uicesimo "*tuum* efoebum quendam quem uocant *praeutacton* (ita L m. 1 *pareutaton* L m. 2 *parectaton* G)". Varro de compositione satyrarum "*praeutactae* (*ita L, pareutactae* F^3 *parectate G*) adsunt mulierque mulier uenus caput".' Versum emendauit Buechelerus inscriptionibus usus Atticis duabus (CIA III 1, 107. 109 *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1893 p. 67 seqq.) Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 631 quarum inscriptionum in priore haec leguntur *Ἐράτων Ἐράτωνος Αἰξωνεὺς τὴν λαμπάδα τῶν παρευτάκτων Θήσεια νικήσας ἀνέθηκεν γυμνασιαρχοῦντος τὸ δεύτερον Λεωνίδου Μελιτέως*, in altera haec: *οἱ τὸν ἐπὶ ⟨Κλαυδ⟩ίω Ἡρώδη πρῶτο⟨ν ἀ⟩χθέντα ἐν Ἐλευσῖν⟨ι ἀ⟩γῶ⟨ν⟩α τοὺς παρευτάκ⟨τ⟩ο⟨υ⟩ς νικήσαντες ⟨π⟩άλ⟨η⟩ν Εἰρηναῖος Φα⟨λη⟩ρεύς, παγκράτιον Ζωΐλος Φαλη⟨ρε⟩ύς.* Codicis Leidensis praestantia, in altero Lucilii uersu qui genuinam scripturam fere integram seruarit, cuiuis facile apparet neque tamen magni faciendum quod in Varronis fragmento Florentinus m. 3 ueram praebeat scripturam, cum in reliquis nil praestet boni. Agi de ephebis Atticis apparet qui illa aetate pareutactoe appellabantur, clamydes ac barbula prima quos uestiebat. Nec difficile inuenietur quod genus epheborum clamidephorum significet poeta, cum Aristoteles de rep. Athen. 42, 4 haec tradat de ephebis *καὶ τὸν μὲν πρῶτον ἐνιαυτὸν οὕτως διάγουσι· τὸν δ' ὕστερον . . . περιπολοῦσι τὴν χώραν καὶ διατρίβουσιν ἐν τοῖς φυλακτηρίοις. φρουροῦσι δὲ τὰ δύο ἔτη χλαμύδας ἔχοντες κτλ. Περίπολοι* igitur sunt quos pareutactoe Lucilius nominat quorum officium erat *φρουρεῖν* et *διατρίβειν ἐν τοῖς φυλακτηρίοις*. Eandem denique uim ac potestatem habet *παρευτακτεῖν* uocabulum a Polybio Lucilii aequali a nomine illo Attico *παρεύτακτοι* deductum III 50, 7 *ἐπιγνοὺς ὁ στρατηγὸς ὅτι τὰς μὲν ἡμέρας ἐπιμελῶς παρευτακτοῦσι καὶ τηροῦσι τοὺς τόπους οἱ πολέ-*

μιοι, τὰς δὲ νύκτας εἴς τινα παρακειμένην πόλιν ἀπαλλάττονται· V 56, 7 *ὡς σκοτωμάτων τινῶν ἐπιπεπτωκότων τῷ βασιλεῖ τὴν μὲν θεραπείαν ἀπέλυσαν ἐπί τινας ἡμέρας καὶ τοὺς εἰθισμένους παρευτακτεῖν.* Quibus locis *παρευτακτεῖν* idem esse atque stationes, uigilias agere apparet quam interpretationem Ernestius sensit *ἐκ τῶν συμφραζομένων*, Reiskius et Schweighaeuserus cuius adnotationem conferas ad V 56, 7 paululum mutarunt.

322. Nonius p. 18, 22 'Rutrum dictum est a radendo (*a ruendo* Mercerus). . . . Lucilius satyrarum lib. VIIII "frumentarius . . . atque (*adque* L m. 1) *etrutellum* (*atque rutellum* impressi) *unam* (*unum* L, *una* olim impressi) adfert (ita L m. 1, *affert* reliqui)".' Frumentarii duo haec instrumenta exhibent anaglypha de quibus egit Brizio Notizie degli Scaui 1898 p. 477. 478. Si frumentarius est, artificii instrumenta secum solet habere.

324. Nonius p. 445, 22 ex grammatico 'Acerosum et aceratum utrumque noue positum, sed distanti proprietate signatum. . . . (uide lib. XV u. 502) . . . *aceratum* uero est lutum paleis mixtum, ut laterariis usus est. Lucilius lib. VIIII "*latere* qui ducit habet nihil amplius *nam* quam conmune (ita *L m. 1 solus*) lutum a paleis cenumque *aceroso*".' Paulus ex Festo p. 20 'aceratum lutum cum paleis mixtum'; p. 187 'obacerare obloqui atque alterius sermonem moleste inpedire. quod sumptum uidetur a paleis, quas Graeci *ἄχυρα* uocant. Itaque et frumentum et panis non sine paleis acerosus dicitur. item lutum aceratum paleis mixtum'. Non recte grammaticum istam differentiam posuisse glossa CGL V p. 7, 39 'acerata offula furfuraceo pane' demonstrat. Post frumentarium de laterario egit Lucilius cui Catone auctore de agr. cult. 14, 3 praebet dominus 'aquam paleas terram unde lutum fiat': conf Plaut. Rud. 100 'luto usust multo, multam terram confode'. Pro *luto acerato* Pallad. IV 8, 2 'luto paleato curabis occulere (*πηλῷ τῷ δι' ἀχύρων* Geopon. IX 10, 4)'. Idem simile Plutarch. de fortuna p. 99 D *ἀλλὰ γῆν μὲν οὐδεὶς ὕδατι δεύσας ἀφῆκεν ὡς ἀπὸ τύχης καὶ αὐτομάτως πλίνθων ἐσομένων οὐδ' ἔρια καὶ σκύτη κτησάμενος κάθηται τῇ τύχῃ προσευχόμενος ἱμάτιον αὐτῷ καὶ ὑποδήματα γενέσθαι.*

326. Charisius GL I p. 100, 5 K 'Lora correpta prima syllaba et feminino genere dicenda est . . . producta autem neutraliter e corio uincula, ut et Lucilius in VIIII (VIII *Coloniensis*) "ipsa *si se* corio omnia lōra".' Adhibetur prouerbium aliquod quale Plutarchus habet simile non posse suau. uiu. sec. Epic. cap. 6 p. 1090 F *καὶ τοῦτο δὴ τὸ παιζόμενον ἐκ τοῦ βοὸς τοὺς ἱμάντας λαμβάνουσα τὰς ἀλγηδόνας ἐκ τοῦ σώματος.* Adfert ad hunc locum Kockius CAF III p. 496 Macarii prouerbium 3, 69 *ἐκ τοῦ βοὸς ἡ μάστιξ· λείπει καὶ βοῦν δέρει.* Alius generis sunt prouerbia quale est Martialis III 16, 3 'ebrius es: neque enim faceres hoc sobrius umquam ut uelles corio ludere, cerdo, tuo'. Imitatus esse uidetur poeta Theognidem quem editores Gottingenses adferunt ad Macarii l. s. s. u. 539 B *οὗτος ἀνὴρ, φίλε Κύρνε, πέδας χαλκεύεται αὐτῷ.* Sententia est integra: quod omnia uincula et lora ipsa e corio suo ipsius sint facta conqueritur aliquis.

327. Gellius I 16, 10 (et ex eo Macrobius Saturn. I 5, 7) 'Lucilius autem praeterquam supra posui alio quoque in loco id manifestius demonstrat, nam in libro XV (u. 506 seqq.) ita dicit "hunc milli passum . . ." item alio libro VIIII "⟨*tu*⟩ mille . . . centum". milli passum dixit pro mille passibus et uno milli nummum pro unis mille nummis aperteque ostendit mille et uocabulum esse et singulari numero dici eiusque pluratiuum esse milia et casum etiam capere ablatiuum'. Recte si Hertzii adnotationem intellego, *tu* in codd Gellii excidit, seruarunt Macrobiani libri. Similis locutio apud Lucilium fuit qualis est Persii V 190 'continuo crassum ridet Pulfennius ingens et centum Graecos curto (uno Priscianus GL III p. 410 K) centuse licetur'. Pulfennius assis facit Graeculum, Lucilius nescioquid facit decem nummis i. e. sestertiis: (lex de repet. CIL I 198, 48 HS n(ummum)); de ostreis agi ideo probabile uidetur, quod ostrea solebant uenire centena (Ed. Dioclet. V 6 'ostriae n. C: X centum' unde explicatur Iuuenal. VIII 85 'dignus morte perit, cenet licet ostrea centum Gaurana et Cosmi toto mergatur aeno'). *Quaerere* idem uidetur atque comparare siue emere: Horat. serm. II 2, 20 'tu pulmentaria quaere sudando'. Ostrea milibus nummum empta memorat lib. XIII u. 440: *milli* ablatiuo usus est Plautus Bacchid. 928.

328. Nonius p. 216, 15 'Ostrea . . . neutri. Lucilius satyrarum lib. VIIII "quid *ego si cerno* ostrea . . . cenum sapere ipsum".' Versum Lucilii exire in *ostrea* uocabulum disyllabon sicut Horatii serm. II 2, 21 'pinguem uitiis albumque neque ostrea nec scarus . . . poterit iuuare' intellexit Lachmannus comm. Lucret. p. 122: idem *ergo* pro *ego* posuit recte. Synizesin in exitu uersus admisit Homerum secutus apud quem *ι* 347 herous exit *ἀνδρόμεα κρέα* similia, sicuti posteriores poetae (Verg. Aen. VIII 372) *aureo* similia uerba in uersuum fine ponebant ad exemplum clausulae Homericae *πυρὶ κηλέῳ* similium (Θ 235 alibi). Neque tamen Iuuenalis locum IV 139 seqq. 'nulli maior fuit usus edendi tempestate mea: Circeis nata forent an Lucrinum ad saxum Rutupinoue edita fundo ostrea callebat primo deprendere morsu' quem affert Dousa ad hunc locum arbitror pertinere: neque enim de peculiari ostreorum genere agi uel uno intellegitur huius uersus uocabulo. Fluuium genetiuus pluralis est: eadem forma ap. Val. Flacc. VI 391. 443: Plin. nat. hist. XXXII 59 de ostreis: 'gaudent dulcibus aquis et ubi plurimi influunt amnes'. Quid faciet si magno pretio ostrea coempta cognorit nil sapere nisi fluuiorum

caenum ipsum? Contemnet diuitias cenasque pretiosas. Limum ac caenum, ut ‘loco ac regione’ lib. V u. 189 et similia passim.

330. Nonius p. 19, 36 ‘Euannetur . . . (cetera adscripsi libro VII u. 278) idem lib. VIIII ‘‘*cursauit* ut . . . uannat’’.’ Crisandi uerbum recte agnouit Iunius, futurum restituit probabiliter I. Dousa, cum sequatur *uannat:* conf incert. u. 1234 ‘ut si hostes sint omnibus omnes’ Ter. Eun. 117 docere, educere, ita uti si esset filia (Draegeri syntax. hist. l. L.[2] II § 518, 2 p. 642). CGL II p. 117, 66 crisat *κελητίζει.* Decrepitum senem non excitabit puella nec si crisabit e. q. s. Crisabitque Dousa: simili modo tamen produxit breuem syllabam in trithemimeri u. 361 alibi. Vide indic. gramm. s. u. productio.

331. Nonius p. 166, 12 ‘Ramices dicuntur pulmones, uel hirnea. . . . Lucilius satyrarum lib. VIIII ‘‘quod . . . *apθpititus as potagrosus* . . . magno’’.’ Cod G praestantia cuius scripturam exhibemus hoc loco facile cuiuis apparet: archetypi librarius *arthriticus* Graecum esse uocabulum cum intellegeret Graecas litteras inepte intulit: unde factum est ut pro *AC* tradatur *as.* Versus cum antecedenti uidentur quodammodo cohaerere: conf Iuuen. VI 322 seqq. ‘ipsa Medullinae fluctum crisantis adorat . . . omnia fient ad uerum, quibus incendi iam frigidus aeuo Laomedontiades et Nestoris hirnea possit’: *κηλήτας* dicit senes Lucillus AP XI 132, 6: conf. X 100, 5 *χειμὼν τοὐντεῦθεν γήρως βαρύς· οὐδὲ δέκα μνῶν στύσεις· τοιαύτη σ’ ἐκδέχετ’ ὀρχιπέδη* Apul. metam. V 10 ‘ego uero maritum articulari etiam morbo complicatum curuatumque ac per hoc rarissimo uenerem meam recolentem (Lucret. IV 1200) sustineo, plerumque detortos et duratos in lapidem digitos eius perfricans’ e. q. s.

333. Priscianus GL II p. 507, 1 K ‘Similiter scabo scabi. idem Lucilius in VIIII ‘‘scaberat . . . costis’’.’ De porcorum consuetudine quam hoc loco commemorat Lucilius haec tradit Aristoteles hist. anim. VI cap. 18 p. 571 b 13 seqq. *καὶ οἱ ὕες οἱ ἄγριοι . . . πρὸς ἀλλήλους μὲν ποιοῦνται μάχας θαυμαστάς, θωρακίζοντες ἑαυτοὺς καὶ ποιοῦντες τὸ δέρμα ὡς παχύτατον ἐκ παρασκευῆς, πρὸς τὰ δένδρα τρίβοντες καὶ τῷ πηλῷ μολύνοντες πολλάκις καὶ ξηραίνοντες ἑαυτούς* (Rer. nat. script. p. 25, 23 seqq. Kelleri): conf schol. Hom. Il. IX 539 *κνώμενοι γὰρ πρὸς τὰ φυτὰ τρίβονται καὶ ἀγριώτεροι γίνονται* Xenoph. mem. I 2, 30 *λέγεται τὸν Σωκράτην . . . εἰπεῖν ὅτι ὑικὸν αὐτῷ δοκοίη πάσχειν ὁ Κριτίας ἐπιθυμῶν τῷ Εὐθυδήμῳ προσκνῆσθαι ὥσπερ τὰ ὕδια τοῖς λίθοις* Priap. LXXXIII 15 B ‘uale Priape . . . canisque saeua susque ligneo tibi lutosus affricabit oblitum latus’. Ablatiuus *arbore* positus est ut Rutil. Namat. I 257: ‘taurus . . . ut solet excussis pugnam praeludere glebis stipite cum rigido cornua prona terit’. Contritis pro participio praesenti positum est ut Hor. serm. II 4, 82 ‘neglectis flagitium ingens’ (Draegeri synt. hist. l. L. II § 582[2] p. 793 seq.). Accusatiuus ad *scaberat* erat uersu antecedenti. Imitatus est Lucilii uersum Vergilius georg. III 255 ‘ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus et pede prosubigit terram, fricat *arbore costas*’.

334. Nonius p. 498, 9 ‘Genitiuus positus pro ablatiuo. . . . idem lib. VIIII ‘‘si . . . *numini* (*numi* L m. 1) opus atque (*adque* L m. 1) *obsit*’’.’ Bis uerbum substantiuum omittitur: in enuntiato condicionali omitti saepius docet Olsenus de uerbo subst. Gryph. 1884 p. 42, uide quae adnotauimus ad lib. V u. 186. 188. II u. 78 ubi *opus* positum est pro *opus erat.* Neque est quod hoc loco negemus Nonium genetiuum pro ablatiuo poni recte affirmare neque probarunt Apulei editores qui metam. IX 39 habet ‘sed mihi, inquit, operae eius opus est’ Sanctii (Mineru. IV cap. 4 p. 622 ed. Amstel. 1754) sententiam locum Apulei esse mendosum pronuntiantis. Stallbaumius deinde (ad Ruddim. instit. II p. 66) monuit apud Liu. XXII 51, 3 legi ‘ad consilium pensandum temporis opus esse’: alios locos addidit Rothsteinius ad Propert. II 10, 11 ‘sumite uires, Pierides: magni nunc erit oris opus’; Liu. XXIII 21, 5 ‘in stipendium quanti argenti opus fuit’; Priap. LXVIII 33 B ‘nemo meo melius neruum tendebat Vlixe siue illi laterum siue erat artis opus’; Quintil. XII 3, 8 ‘sed etiam si nosse quid quisque senserit uolet, lectionis opus est, qua nihil est in studiis minus laboriosum’. Dixerat Lucilius: si pulcra est femina paucisque tantum fuit obsequens, machinis opus erit multis: sin nulla est pulcritudine et scortum obsoletum, poterit illa nummo conduci ad obsequium. — atque *subit* scripsi: Iuuen. II 50 ‘Hispo subit iuuenes’ Propert. III 19, 14 ‘testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo quae uoluit liquido tota subire deo’. — *Opus* igitur minus recte uenerium intellegit Lipsius Dousa alii: ita *operum* uices Tibull. I 9, 64 *τὰ πρὸ ἔργων* AP XII 209 Ouid. am. III 7, 67 ‘membra . . . nunc opus exposcunt militiamque suam’ Maximian. eleg. I 125 ‘ad nullum consurgit opus’. — De praepositione *ad* conf Plaut. Mil. 968 ‘Ad tuam formam illa una digna est # Hercle pulchram praedicas’ Merc. 427 ‘At mihi quidam adulescens, pater, mandauit, ad illam faciem, ita ut illaec est, emerem sibi’ Cistell. 71 ‘Ad istam faciem est morbus, qui me, mea Gymnasium, macerat’ (Trin. 874 Capt. 275). Ter. Eun. 361 ‘Estne, ut fertur, forma? # Sane. # At nil ad nostram hanc? # Alia res.’ Cic. pro Deiot. 24 ‘Addit etiam illud, equites non optimos misisse. Credo, Caesar, nihil ad tuum equitatum, sed misit ex iis, quos habuit, electos’ (Verr. V 25); de or. II 25 ‘uirum bonum et non inlitteratum, sed nihil ad Persium’. Lucil. lib. XVIIII u. 559 ‘quid ad aurum?’ Ex his exemplis apparet apud Lucilium in uersu antecedenti genetiuum fuisse positum ueluti ‘Hymnidis pulchrae’. *Si olim lupa prostibulumque* quod posuit poeta, aduerbium

olim pro adiectiuo posuisse uidetur sicut apud Graecos *πάλαι* ponitur: exempla affert Draegerus hist. synt. l. L. I § 79² p. 131 Plaut. Amphitr. 770 'intus pateram proferto foras' Pers. 385 'non tu nunc hominum mores uides' alia, memoratur in lexicis Iustini locus II 12, 3 'bellum inferre olim conditoribus uestris, nuper etiam uindicibus cogitatis?' At satius erit credere addere debuisse Lucilium *erat* uel *fuit*. Nummi] restituit Lipsius: conf Fulgent. p. 120, 14 Helm. 'meretrices diobolae, quae suam nummi causa parui pendunt gratiam'. Neque tamen nummus uilem assem significat (Mart. I 103, 10 'asse Venus') sed sestertium uel omnino pecuniam numeratam: uide ad lib. IX u. 327.

336. Nonius p. 455, 15 'Rostrum hominis ... idem lib. VIIII "arripio et rostrum *labeatque hoc zeferiatin* (*zeferi atq. in* manu priore Guelferbytanus) percutio dentesque aduorsos discutio omnis".' Leidensis quod m. 1 habeat *labe adque* uide quam fucosam antiquitatis habeat speciem: qua cognita nos *adque* nusquam recipere uolumus ubi L m. 1 habuerit *adque* pro *atque* similia. Quod emendauit Bentinus in medio uersu *labeasque* ponens, exeuntem sanauit Lachmanno iudice Iunius corrigens *Zopyrioni*, nisi quod ipse mauult *hoc Zopyrioni*, *huic Zopyrioni* Iunius scripsit. Probarem, ni longius a traditis discederet, Iunii potius commentum — nam '*hoc*', scilicet fuste, sero relatum languet et *Ζωπυρίων* apud Lucianum *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* 23 nomen est hominum uenalium et infimorum — quam quod Vargesius Mus. Rhen. III 1835 p. 60 coniecit, qui de Zopyro Persa cogitans scripserit *hoc zopyriatim:* quod cum frustra studeat euincere legitime esse deriuatum a uoce Zopyrus, hunc secutus Muellerus deducit *zopyriatim* istud a uoce *Zopyrion*, quem putat plagosum seruum Lucilii fuisse. Fatendum est, de hac re nihil nos scire: lib. XXII u. 584 de seruo plagoso nihil sane constat. Flagitamus si quid uideo datiuum ad uocem *percutio* pertinentem et cum menda Nonii litterarum transpositione orta esse permulta notum sit, agnoscimus in litteris corruptis datiuum singularis numeri participii praesentis in *-anti* exeuntem, uelut Iuuenalis dicit 'colaphum incutimus lambenti crustula seruo (IX 5), apud Petronium (90) 'lapides in Eumolpum recitantem miserunt'. Scripsimus igitur *hoc uociferanti:* archetypi librarius nescioquid de Zephyro uento somniarat. Cic. Verr. II 21, 52 'Nam me dies, uox, latera deficiant, si hoc nunc uociferari uelim, quam miserum indignumque sit istius nomine apud eos diem festum esse, qui se istius opera funditus extinctos esse arbitrantur'. Liu. XXIII 10, 9 'haec uociferanti (*uociferante* traditur) cum moueri uulgus uideretur, obuolutum caput est ociusque rapi extra portam iussus'. Arripio, hominem ut Ter. Adelph. 316 'sublimem medium arriperem': *excutio* pro *discutio* scribi maluit

F. Dousa, cum Lucilius propter homoeoprophoron *dentes discutio* ponere maluerit: Trebell. Claud. 13, 5 'digitis usque adeo fortibus, ut saepe equis et mulis ictu pugni dentes excusserit' 7 'omnes dentes uno pugno excussit' Aristoph. Ran. 547 *κᾆτ' ἐκ τῆς γνάθου πὺξ πατάξας μοὐξέκοψε τοὺς χοροὺς τοὺς προσθίους.*

338. Nonius p. 428, 9 'Poesis et poema hanc habent distantiam. ... Lucilius satyrarum lib. VIIII 'non haec quid ualeat quidue hoc intersiet illud ... parua poema *idem* epistula item*que* uis ... opus totum *totaque illa summa* est una *θέσις ut* annales enni atque *stoc* unum est maius multo est ... poesin *inuersum* unum ... entymema *timalocum*". Varro Parmenone (398 B) "Poema est lexis enrythmos, id est uerba plura modice in quandam coniecta formam. itaque etiam distichon epigrammation uocant poema. poesis est perpetuum argumentum ex rhythmis, ut *Ilias* Homeri et annales Enni. poetice est ars earum rerum".' Verborum differentiis recte intellegendis inprimis studebant uiri docti saeculi a. Ch. alterius ueluti Cato (p. 47, 14 Iord.), Afranius (23. 221 R), Accius (4. 296 R), conf Lucilius incert. u. 1215: qui hoc loco grammaticorum Graecorum secutus est doctrinam. Cuius doctrinae hic locus uetustissimum omnium est testimonium: eandem referunt regulam Graeci Apthonius RG I p. 60 W II p. 22, 3 Sp. *ποίησις μὲν γὰρ πᾶσα ἡ Ἰλιάς, ποίημα δὲ ἡ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων κατασκευή* quem locum G. I. Vossii doctrina usus comparat Corpetus, uberius Hermogenes l. s. p. 16 W p. 4 Sp. *ποίησις ἡ Ἰλιὰς καὶ ποίησις ἡ Ὀδυσσεία, ποιήματα δὲ ἀσπιδοποιΐα, νεκυομαντεία, μνηστηροφονία* Ammon. s. u. *διήγησις* p. 43 V *διήγησις μὲν γὰρ καὶ ποίησίς ἐστιν ἡ ἐν μήκει τὸ τέλειον ἔχουσα· διήγημα δὲ καὶ ποίημα τὸ βραχύτερον* ubi editt afferunt Eustath. praef. ad Il. A p. 6, 22 ed. Rom. *ποίησις μὲν ἡ ὅλη βίβλος, ποίημα δὲ τόδε τὸ γράμμα ἤγουν ἥδε ἡ ῥαψῳδία τὸ ἄλφα κτλ.* Varronis doctrina et in Parmenonis loco s. s. conspicitur consentiens cum Lucilii uersibus et apud Mar. Victor. GL VI p. 56, 18 seqq. K 'poetice est ars ipsa. Nam poesis et poema distant eo, quod poema ⟨*uno*⟩ tantummodo clauditur carmine, ut tragoedia uel rhapsodia, poesis autem ex pluribus ⟨*est contextus carminibus*⟩ id est corpus operis confecti ut Ilias Homeri et Aeneis Vergilii', magis ad Lucilii uerba accedit Diomedes GL I p. 473, 17 K 'distat autem poetica a poemate et poesi, quod poetica ars ipsa intellegitur, poema autem pars operis, ut tragoedia, poesis contextus et corpus totius operis effecti, ut Ilias Odyssia Aeneis': conf A. Wilmannsius de M. Terenti Varr. libr. gramm. p. 200, 70. Contra Isid. orig. I 38, 21 'poesis dicitur Graeco nomine opus multorum librorum, poema unius' magis ad rhetorum illorum accedit definitiones. Illam quam Lucilius et Varro secuti sunt definitionem immutauit nonnihil Posidonius *ἐν τῇ περὶ λέξεως*

εἰσαγωγῇ auctore Diog. Laert. VII 60 *ποίημα δέ ἐστιν . . . λέξις ἔμμετρος ἢ εὔρυθμος μετὰ σκευῆς, τὸ λογοειδὲς ἐκβεβηκυῖα ⟨διὰ⟩ τὸ* (*τὸν* Borbon.) *ἔνρυθμον· ⟨ποίημα⟩ δὲ εἶναι τὸ Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ* (TGF² Euripid. 839 Nauckii). *ποίησις δέ ἐστι σημαντικὸν ποίημα, μίμησιν περιέχον θείων καὶ ἀνθρωπείων.* In quibus omnibus Theophrasti doctrinam agnoscendam esse consentaneum est: conf quae extant uerba philosophi apud Sueton. p. 17, 2. 16 R. Sed secundum Posidonium poesis tantummodo genus aliquod est poematis: similiter Sext. Empiric. adu. gramm. p. 645, 19 Bekkeri *καὶ ἀρχαιοτάτη ἐστὶν ἡ Ὁμήρου ποίησις· ποίημα γὰρ οὐδὲν πρεσβύτερον ἧκεν εἰς ἡμᾶς τῆς ἐκείνου ποιήσεως.* Lucilii aduersarius eodem modo peccarat quo Dionys. Thrax in arte p. 8 Vhlig. *ῥαψῳδία ἐστὶ μέρος ποιήματος κτλ.* ubi scholiasta p. 179, 26 H *ποιήσεως ἐχρῆν εἰπεῖν, οὐ ποιήματος· ποίησις γὰρ ἡ πᾶσα Ἰλιάς, ποίημα δὲ ἑκάστη ῥαψῳδία κτλ.* (conf p. 315, 1 seqq. 449, 25 seqq.). Haec de Lucilii doctrina. Fragmenta duo constitui, cum *idem* quod legitur ante *epistula* eodem modo positum sit a Nonio quo p. 4 s. u. *tolutim:* Lucilius satyrarum lib. VIII 'si omne iter euadit stadiumque accliue tolutim' idem: 'uelle tolutim hic semper *agi* incepturus uidetur' (u. 313. 314). — 338. non haec quid ualeat] quid ualeat haec, quam modo dixi poesin, quidue hoc altero distet illud alterum, non cognoscis. Scripsit Dousa *huic* pro *hoc* et Terent. Eun. 232 'stulto intellegens quid interest' reuera datiuus uidetur agnoscendus esse. At Horatius epist. I 7, 48 'foro nimium distare carinas' uerbo distare ablatiuum iunxit, cui alibi datiuum, alibi *a* praepositionem addidit. Itaque hoc loco tradita salua seruaui cum nesciam quomodo Lachmannus locum intellexerit qui scripsit 'quidue hoc inter siet illud'. Ipsa locutio non ad *poemata* pertinet, sed in uniuersum accipienda est. — Accium a Lucilio hoc loco tangi qui libro IX didascalicon scripserit 'nam quam uaria genera poematorum, Baebi, quamque longe distincta alia ab aliis, nosce' (FPR p. 269 Baehrens.), credibile non est. — 339. primum hoc (est) quod dicimus esse poema]. Iam enumerat poeta uerba singula: primum *poema,* altero loco *poesin* inde a u. 342. — 341. Alterum fragmentum eodem libro positum fuisse certum est: omisit Nonius omnia poematum genera praeter ultimo loco quam enumerauerat epistulam. 'Epistulas uersiculis facetis ad familiaris missas a Corintho' quas composuerat Sp. Mummius anno fere 608/146 commemorat Cicero ad Att. XIII 6, 4, Lucilii satura libri V prima item erat epistula ad familiarem missa. — 342. Tota Ilias una est *θέσις*, sicuti annales Enni sunt una *θέσις*. Non ausus sum mutare uocabulum Graecum, quod grammatici alicuius sapit doctrinam quae exhibetur in EM p. 391, 25 *εὐθήμονι μέλπεν ἀοιδῇ* (Apollon. Rhod. I 569) *εὐποιήτῳ· ἐκ τοῦ θεῖναι τὸ*

ποιῆσαι καὶ Πίνδαρος δι᾽ ὅλου θέσιν τὸ ποίημα λέγει (Olymp. III 14) p. 319, 30 *ἔθηκε . . . ἐποίησεν . . . ἀφ᾽ οὗ καὶ θέσις ἡ ποίησις παρὰ Ἀλκαίῳ.* — 343. *opus* unum scripsi, quo referatur quod legitur u. 344 *maius: stoc* codd, in quibus c et p saepius leguntur confusa: uide ad lib. XXVI u. 663. Neque huc facit ἔπος *unum* quod posuit Lachmannus: conf Sueton. p. 17, 5 R 'epos Latinum primus digne scripsit Ennius qui res Romanorum decem et octo complexus est libris' e. q. s. ubi editor adnotat schol. Dionys. Thrac. 173, 20 H seqq.: *ἢ ἔπος τὸ ἑξάμετρον· ἐκείνη δὲ ἡ ποίησις ἔπος λέγεται, ὅτε τὸ σωμάτιον ὅλον ἐκ τοῦ ἡρωϊκοῦ στίχου σύγκειται.* — 345. nemo qui culpat Homerum] conf Longin. de sublim. 33, 4. — *perpetuo διηνεκῶς. culpare* saepius Lucilius: nam *uituperare* uerbum herous non capit. — 347. uerbum, entymema] hoc non secundum Aristotelis doctrinam est positum, sed secundum Isocratis usum qui adu. sophist. 16 scripsit *ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον καταποικῖλαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως καὶ μουσικῶς εἰπεῖν* quem usum seruat Dionys. Halic. in scriptis rhetoricis: locos congessit C. G. Kruegerus Dionys. Halic. historiographica p. 476. — De Ennii annalium gloria uersus Lucilii testimonium sunt et egregium et antiquum: Ennii hemistichium (annal. 500 V) 'moribus antiquis' mutuatus est L. Mummius Carm. Lat. Epigr. I 248, 2 p. 116 Buech., saturas Ennii bene nouit Terentius. — [Recte duo Lucilii fragmenta constituit etiam Nonii editor nouissimus Lindsayus l. s. s.]

348. Quae Horatii interpres l. s. adnotat, ea pertinere manifestum est ad orthographiae praecepta Accii a Lucilio uituperata ea satura libri IX cuius fragmenta abhinc deinceps composui. Priora enim fragmenta ad grammatica praecepta Accii uel Lucilii pertinere quod nonnullis placuit, id nullo stat argumento probabili neque recte arbitrati sunt Lucilii editores egisse poetam libro IX alia de re ulla grammatica praeter orthographiam. Qualia fragmenta libri IX esse certo constat, ea omnia de orthographicis rebus continent praecepta scripta inter annum 638/116 et 644/110. Atque primo de uocalibus a (u. 351 seqq.), e (356. 357), i (358—370), ae (371. 372), deinde de praepositionum in uerbis compositis mutationibus egerat Lucilius (373—381): nam etiam *ablucilio* (373) uocabulum unum est illis temporibus et compositum sicuti *abluo.* Itaque primo *ab,* dein *ad, per* tractarat praepositiones: de q littera praeceptum (382) quo loco fuerit positum non patet. Secutus est poeta praecepta quae in ludis doceri solita sunt uulgaria sicuti adnotauimus ad istud de q littera fragmentum 382 et ad u. 364 seqq. Accium illo tempore quo Lucilius eius doctrinam impugnauit non primum praecepta de geminandis litteris alia protulisse eo efficitur quod iam in Popilii miliario CIL I 551 anni 622/132 legitur *paastores:* uide de

Accii inuentis et auctoritate quae enarrata sunt in Paulyi Wissowae Encyclop. s. u. L. Accius. Orthographiam denique poeta docuit non ut grammaticus sed ut unus de multis, homo pingui Minerua et castrensis. Ex tota hac satura unum tantummodo uersum (356) exscripsit Nonius.

349. Nonius ex grammatico p. 286, 32 'Discere est ignotam rem meditando assequi. Lucilius lib. VIIII "*discere labora ne res te ipsa* ... refellat".' Labora discere] infinitiuum ad labora apposuit Lucilius quem secutus est in hac re Horatius serm. I 1, 112 'hunc atque hunc superare laboret' II 8, 19 'nosse laboro' epist. I 3, 2 'scire laboro' a. p. 25 'breuis esse laboro'. — res ipsa] ut Terentius Andr. 202 'ita aperte ipsam rem modo locutus' Phorm. 718 'rem ipsam putasti' Adelph. 796 'rem ipsam putemus'.

351. Terentius Scaurus GL VII p. 18, 12 K 'Per adiectionem illa uidentur esse uitiosa, quod Accius geminatis uocalibus scribi natura longas syllabas uoluit, cum alioqui adiecto uel sublato apice longitudinis et breuitatis nota posset ostendi. nam singulares uocales et produci et corripi possunt. unde etiam Lucilius in nono saturarum de orthographia praecipiens ait "a primum ... sunt deinde a primum ... faciunt".' — 351. Ordinem ducit a littera. — et quae nomina ab hoc sunt] dura est constructio, nisi *deinde* quod grammatico tribuebatur, tribues Lucilio: eadem uersus sede ponitur incert. u. 1338 Hor. serm. I 6, 119. — 352. *a*a primum longa, ⟨*a*⟩ breuis syllaba] ita scripsi ex Ribbeckii (Mus. Rhen. XXIX 1874 p. 131) emendatione, qui *primum* male esse repetitum e uersu antecedente iudicat expulso alio adiectiuo ueluti *geminum*. — 353. uno eodemque] ut Vergil. eclog. VIII 81 'uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore' quem locum comparat Dousa addito uersu Lucilii lib. XX u. 570. — dicimus] diximus I. Dousa: at similiter legitur *ut dico* XIV u. 470, *ut dicimus* XIX u. 560, i. e. *ut nostra est opinio modo indicata:* spectat poeta his uerbis ea quae inter u. 351 et u. 352 iam dixerat. — 355. *Ἆρες Ἄρες*: tritissimum inde a Lucilii aetate exemplum Hom. E 31 quod etiam Dionysius Thrax eius aequalis adhibuit in scholis suis: conf eius ars p. 18, 1 Vhlig. *μακρὰ συλλαβὴ γίνεται ... ὅτ' ἂν ἔχῃ ἕν τι τῶν διχρόνων κατ' ἔκτασιν παραλαμβανόμενον οἷον Ἄρης* p. 20, 1 *βραχεῖα συλλαβὴ γίνεται ... ὅταν ἔχῃ ἕν τι τῶν διχρόνων κατὰ συστολὴν παραλαμβανόμενον οἷον Ἄρης* Sext. Empir. adu. grammat. p. 621, 20 B *ἕκαστον γὰρ αὐτῶν πέφυκεν ὁτὲ μὲν ἐκτείνεσθαι ὁτὲ δὲ συστέλλεσθαι οἷον τὸ μὲν α ἐπὶ τοῦ Ἆρες Ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα*: Martialis locum IX 11, 15 'sed Graeci quibus est nihil negatum et quos *Ἆρες Ἄρες* decet sonare' iam attulit Dousa. Conf de hoc exemplo F. Kuhnii symbolae ad doctr. *περὶ διχρόνων* Bresl. Philol. Abhandl. VI 3 p. 18 seqq. p. 36 seqq.

356—357. Nonius ex grammatico p. 502, 32 'Feruit pro feruet. Lucilius lib. VIIII "feruit nunc ... annum".' Idem p. 503, 15 'ab eo quod est feruit breuiato accentu feruere facit, ut sperno spernere. ... Lucilius satyrarum lib. VIIII "feruere *ne longum uero hoc lictoribus* tradam".' Quintilianus I 6, 8 'At quae o solam habent, dummodo per eandem litteram in infinito exeant, breuia fiunt, "lego dico curro, legere dicere currere", etiamsi est apud Lucilium "feruit aqua ... annum". sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si "feruit" putat illi simile "currit" et "legit", feruo dicet*ur* ut "lego" et "curro", quod nobis inauditum est. sed non est haec uera comparatio; nam "feruit" est illi simile "seruit".' Priscianus GL II p. 478, 18 K '"Ferueo" quoque etiam "feruo" inuenitur ... Lucilius "feruit (ita *r*: reliqui libri *feruet*) nunc feruet ad annum".' Probus GL IV p. 241, 22 K 'Sed in hoc uerbo recte corripitur, quoniam antiqui tertiam coniugationem magis quam secundam esse uoluerunt, ut Lucilius "feruit nunc feruet ad annum".' Post a litteram e litteram tractauit Lucilius neque opus esse censuit e littera geminata, quo magis consulatur commoditati legentium, cum unusquisque "lector" (conf Varro ap. Cassiodor. GL VII p. 154, 2 K) facile suo ingenio usus *e* longam possit agnoscere. Sententiam sic fere suppleas: 'e geminato, ne medium quis habere "egere" breue e male credat, feruere ne longum'. uero: hoc lectoribus tradam. Omnes enim dicunt: 'feruit aqua et feruet, feruit nunc, feruet ad annum': unde facile quiuis intellegit *feruere* media correpta esse pronuntiandum. Simili modo semouantur legitur leg. Acil. 49, fulgĕre dicit poeta lib. VII u. 291. Itaque 'ne longum', ut lib. VII u. 266 'ne auriculam obsidat caries, ne uermiculi qui' erit statuendum fuisse positum per anaphoram. — uero] seruandum erit neque tamen positum est pro *uerum* (P. Langeni Beitr. z. Kr. u. Erkl. d. Plautus p. 113 seqq. Draegeri syntax. hist. l. L. II² p. 130): in exordio sententiae positum inuenitur affirmatium hoc *uero* Cic. Brut. 300 de diuin. I 104 de legg. II 46 Tusc. II 26 Terent. Eun. 402 Plaut. Pers. 692. — ad annum, post annum: Cic. ad Att. V 2, 1 'quem ad annum tribunum pl. uidebam fore' XII 46, 1 utrum illuc nunc ueniam an ad decem annos' Tusc. I 90 'ad decem millia annorum'. Comparat Lachmannus in Lucret. p. 79 Varr. sat. Menipp. 378 B 'de ea questum ad annum ueniam ad nouum magistratum'.

358. Terentius Scaurus GL VII p. 18, 23 K post illa quae ad u. 351 adscripta sunt 'Itemque quod Lucilius ubi i exile est per se iubet scribi, at ubi plenum est praeponendum esse e credit, his uersibus "mille ... fiat".' Velius Longus GL VII p. 56, 13 K 'Idemque peila, quibus milites utuntur, per e et i scribenda existimat. at pila in qua pinsetur per i'. Marius Victorinus

GL VI p. 18, 3 K 'Pilum aiunt militare et uinea . . . per e et i scribenda, at si pilum sit quo pinsitores utuntur . . . per i'. Iam de i littera egit poeta. I longam iam Plauti aetate *ei* et pronuntiatam et scriptam fuisse egregie testatur Plautus dum *eira* et *era* uocabulis ludit Trucul. 262. Apud Lucilium i longa uel *plena* uel *pinguis* appellatur (u. 361. 370): *opimius* sonat illa quidem apud Cic. Or. 157 extr., qui i sublata et e plenissima pronuntiata messorum linguam effici iudicat de or. III 46 (Varro rer. rust. I 48, 2). *Tenuando* quod auctor rhetoricae ad Her. IV 21, 29 appellat *adtenuatione* i simplex ex *ei* euadit, quae et breuis et longa esse potest i uocalis. Poeta tria his uersibus ponit praecepta. Primum docet i longam plerumque oportere per *ei* scribi ueluti *meille, meilia, meiles, meilitiam.* — item huc e utroque opus] haec recte tradita esse credidi cum legerem ap. Plaut. Rud. 726 'Tu senex si istas amas huc arido argentost opus'. — *utroque* ad duo uocabula quae secuntur pertinet aduerbium, *e* monosyllabon elisionem patitur ut u. huius libri 370: 'addes e ut pingius fiat': uide indic. gramm. s. u. *productio* et *elisio*. — 359. Deinde praecipit: 'oportet tenues i ueluti "pilam, in qua lusimus". Accusatiuum non tolles cum antea legatur "meilitiam", postea "*pilum quo piso tenues*". De *in* praepositione uide ad XXVI u. 641. Sueius ap. Non. p. 139, 24 'sic incedunt et in labellis morsicatim lusitant'. — Itaque i breuis semper secundum Lucilium i sola scribenda est. Iam sequitur tertium praeceptum quod ineptum esse recte iudicat Marius Victorinus l. s. s. Etenim i longam modo *ei* scribendam et pronuntiandam modo *i* in uerbis similibus esse uoluit, quo magis similia uerba inter se discerni possint. Itaque docuit: 'illud pilum quo piso tenues oportet. At pila quae iacimus et scribas et pronunties peila'. Lucilius tamen quare non singulare *pilum* quod iacimus militare posuerit exemplum, sed plurali numero *pila* plura, non iam potest intellegi. Recte locum interpretatus est Marius Victorinus l. s. s.: Velius Longus pro *pilum* generis neutri quo concinniorem redderet Lucilii sermonem posuit *pila* femininum l. s. s.: '*peila* quibus milites utantur, per e et i scribenda existimat, at *pila* in qua pinsetur per i': neque tamen a uersuum ipsorum scriptura qui *pilum quo* testantur arbitror recedendum. — 361. *quae iacimus:* uide ind. gramm. s. u. *productio*.

362. Beda de arte metrica GL VII p. 251, 6 dicit enim Paulinus: 'oblectans inopem sensu fructuque peculii' . . . (16) Fortunatus: '"Vincentii Hispaniae surgit ab arce decus". cuius scansio uersus par est praefati, nisi forte regulam Lucilii secuti sunt, qui Lucium (ita P[1]F *lucilium* P[2]L) et Aemilium et cetera nomina, quae ante u habent i, non solum in uocatiuo, sed etiam in genetiuo casu per unum i existimat scribi posse.' Lucilii

reliqu. ed. F. Dousa lib. IX fragm. 7 'Charisius lib. I. *Lucius Aemilius et caetera* nomina, quae ante V habent I, duplici II genitiuos singulares finire debent, *ut* necesse sit aduersus obseruationem nominatiuo *non* minorem fieri genitiuum, idque Varro tradens adiecit, *Vocatiuum* singularem *quo*que talium nominum per duplex II scribi debere, *sed propter differentiam* casuum corripi. *Lucilius* tamen et per *unum* I *in* genitiuo scribi posse existimat; ait enim: — seruandi numeri *et uersus faciendi nos Caeli Numeri* numerum ut seruemu' *modum*que. Nunquam enim hoc intulisset, nisi et *Caelii et* Numerii per II huius *Numerii* faciendum crederet. Denique et in libro * quarto sic ait: — porro hoc *si filiu'* Luci ferit collum ut Corneli, Cornificique'. Et in commentario ad h. l. idem Dousa: 'Ita optimos hos uersus ex ueteri codice Charisii eruit Pater' relegatque lectorem ad Caesellii uerba GL VII p. 206, 23 K. Coloniensem hunc codicem fuisse docet Keilius GL I p. XXIV—XXVIII: Dousa quae solus ex isto codice tradidit, ea inclinatis indicaui litteris; in exhibenda adnotatione Dousae, ubi in uersibus Lucilii posuit *etc*, e contextu ipso poetae iusta uerba Lucilii suppleui. Codicis Neapolitani N scriptura ex parte deleta restituta editione Neapolitana ω et Keilii apographo GL I p. 78, 5 (litteras quas editio Neapolitana recte seruauit inclinatis significauimus litteris): '. . . nomina quae ante u habent i duplici ii genetiuo *singulari* finiri debent necesse sit aduersus obserua*tionem nominum* nominatiuo mi*norem* fieri genetiuum: idque Varro tradens adicit . . . *que* (quae ed. pr.) singularem talium nominum per duplex i scribi debere . . . casuum corrumpi .i. . . . *tamen et per i* genetiuum scribi posse existimat: ait enim "seruandi numeri numerum ut seruemus . . . *que*". Numquam enim hoc intulisset, nisi et numerum per i huius . . . *fa*ciendum crederet. Denique et in libro IIII sic ad porro hoc . . . uui (*incertum*) fecerit colum ut Cornelii Cornificiique et paulo post' (*sequitur u.* 366). Non est quod de I. Dousae fide dubitemus qui Coloniensi libro usus Lucilii uersus et Charisii uerba melius seruauerit quam cod Neapolitanus. Etenim supplementa ⟨*Lucius Aemilius et cetera*⟩ *nomina* genuina esse testatur Bedae locus s. s. quem in editione Lucilii non attulit Dousa, uerba '⟨*uocatiuum*⟩ singularem ⟨*quo*⟩que' confirmantur eo, quod auctor editionis principis etiamtunc in Neapolitano adgnouit *quae singularem,* qui cod habuit *quoque singularem,* sicuti pro *differentiam casuum* male posuit illud lectum *frequentius casum.* Denique in Lucilii uersibus incert. 1294 seq. oculum librarii Neapolitani apparet a priore *numeri* aberrasse ad alterum illud *Numeri,* ita ut media quae sint, male omittantur, in Charisii uerbis quae subsecuntur a priore *et* ad posterius *et,* ita ut omittantur uerba *Caelii et.* Praeterea admodum religiose Dousa in commentario ad h. u. 'Putabat', inquit, 'Pater sensu commodiore

legi posse: in uersu faciendo. Sic Horatius lib. I Sat. X (70 seq.): *et in uersu faciendo saepe caput scaberet, uiuos et roderet ungues*'. Itaque omnia supplementa Dousae habenda erunt pro genuinis uerbis et Lucilii et Charisii. Apparet autem fragmentum 'seruandi numeri' et q. s. non esse libri noni, quia sequitur illud 'denique et in libro ⟨V⟩ IIII sic ait', quae uerba recte ita constituit Dousa. De uersibus qui secuntur non est quod dubites: 'porro "hoc si filius Luci fecerit", i solum (ita emendauit illud *colum* L. F. Schmidtius) ut Corneli Cornificique'. Exemplo enim positum est enuntiatum illud integrum 'hoc si filius Luci fecerit' ut genetiuus casus indicetur supplendumque est quod in antecedentibus fuerat scriptum ueluti *scribes:* denique positum fuisse hoc fragmentum in lib. IX ante u. 364—366 testantur uerba grammatici 'et paulo post'. De uocatiuo quid poeta praeceperit, non constat: parum recte suspicetur quis cum *ei* eum scribi uoluisse uocandi casum, similiter qui distinxerit atque in *illei* et *illi,* quia pluralem ubique numerum e littera auxisse poetam apparet: Bedae testimonio qui tantummodo Charisii uerbis sit usus melius est in hac quaestione supersedere. Vide ad incert. u. 1294 seq.

364. Quintilianus instit. I 7, 15 'Diutius durauit ut e et i iungendis eadem ratione qua Graeci ει uterentur. ea casibus numerisque discreta est ut Lucilius praecipit "iam pueri . . . pueri plures fiant". ac deinceps idem . . .'. Velius Longus GL VII p. 56, 2 K 'Alii uero, quorum est item Lucilius, uarie scriptitauerunt; siquidem in iis quae producerentur alia per i longam, alia per e et i notauerunt, uelut differentia quadam separantes, ut cum diceremus "uiri", si essent plures, per e et i scriberemus, si uero esset *unius* (*ita Lachmannus:* unus *P*) uiri, per i notaremus. et Lucilius in nono "iam *puerbi* uenere *et* . . . ut *plures faciant.* i si facis solum, pupilli, *pueri et Lucilli* hoc unius fiet". item . . .'. Charisius GL I p. 78, 15 K 'et paulo post "... pueri *lucii,* h. unius *fieri*".' Lucilii praeceptum de casibus secundae declinationis in i exeuntibus expressit Nigidius Figulus in XXIV commentariorum grammaticorum cuius uerba seruauit Gellius XIII 26, 4 'Si "huius . . . amici" uel "huius magni" scribas, unum i facito extremum. Sin uero "hi magnei" "hi amicei" casu multitudinis recto, tum ante i scribendum erit e atque id ipsum facies in similibus'. Mar. Victor. GL VI p. 17, 21 K 'cum uero eadem i e litterae iuncta esset, non solum pro longa syllaba accipiebatur, sed nominatiuum pluralem ita scripta significabat, ut *amicei bonei* . . . at si per solum i scripta esset, eadem genetiuum singularem faciebat ut *huius amici*'. Reuera saeculo a. Chr. altero nominatiuum pluralem in ei, genetiuum singularem in i exiisse testatur SC de Bacchanalibus quod exhibet secundum regulam nominatiuos *foideratei quei oinuorsei uirei,*

at genetiuos *nominus Latini, praetoris urbani, sei quid ibei sacri.* Rarus est etiam posteriore aetate nominatiuus ueluti *floui* sicuti apparet ex E. Schneideri tabula dial. Latin. prisc. exempl. p. 152, saepius extant genetiui qualis est *populei Romanei,* conf p. 154.

367. Quintilianus instit. I 7, 15 'ac deinceps idem "mendaci . . . iusseris".' Casum dandi significat Lucilius: quo casu non *i* sed *ei* extremo loco ponendum esse censuit poeta consuetudinem et usum cottidianum secutus: uide quam rarus sit datiuus qualis est *heredi* quem semel tantum ex inscriptionibus posuit in tabula E. Schneider dial. Latin. prisc. exempl. p. 155. Itaque Lucilius in istis de ei et i littera legibus secutus est ueterum qui principio saeculi a. Chr. alterius uixerunt ludi magistrorum doctrinam.

369. Velius Longus GL VII p. 56, 10 K 'item "hoc illi . . . fiat". idemque peila (*uide ad u.* 358) e. q. s.'. Iam ad datiuum singularis et nominatiuum pluralis numeri pronominis *ille* inter se dignoscendos eadem utitur ratione qua supra uu. 365 in uerbis similibus: pluralem iubet *illei* (ut CIL I 1194) scribi, singularem *illi.* illi factum est, uide ad lib. XXVI u. 679. — 370. addes e ut] ita codex, recte opinor. Nam et u. 361 legitur 'addes e peila ut plenius fiat' et u. 367 'addes e cum dare furei iusseris': elisionem patitur nomen litterae e u. 358 'huc e utroque opus'.

371. Quintil. instit. I 7, 18 'Ae syllabam, cuius secundam nunc e litteram ponimus, uarie per a et i efferebant, quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum, cum in datiuum uel genetiuum casum incidissent, unde "pictai uestis" et "aquai" Vergilius amantissimus uetustatis carminibus inseruit. in eisdem plurali numero e utebantur, "hi Syllae, Galbae". est in hac quoque parte Lucili praeceptum, quod quia pluribus explicatur uersibus, si quis parum credet, apud ipsum in nono requirat'. Martianus Capella III 266 'Scribimus nos enim Musarum primam syllabam duabus litteris, Graeci tribus. Lucilius in datiuo casu a et e coniungit dicens *huic Terentiae Orbiliae* † *Licinius* * * * a et i et Lucretius crebro et noster Maro aurai, pictai'. Haec praecepta de *ae* et *ai* scriptura arte secuta esse illa de *i* et *ei* litteris cognoscitur comparato Vel. Long. GL VII p. 57, 20 K 'Illud etiam adnotandum circa i litteram est quod ea quae nos per *ae* antiqui per *ai* scriptitauerunt "Iuliai" "Claudiai". Sed et quidam in hac quoque scriptione uoluerunt esse differentiam, ut pluralis quidem numeri nominatiuus casus per *a* et *e* scriberetur, genetiuus uero singularis per *a* et *i* . . . Sed nihil obstat quominus hoc aut illo modo in utroque numero scribamus, cum multa alia quoque nobis excogitanda sint, si uelimus diuersitate scriptionis ambiguitatem casuum numerorumque discernere'. Lucilii quale fuerit praeceptum, cum taceat Quintilianus Martianique locus plane corruptus sit, non iam poterit cognosci. Nigidius Figulus

apud Gell. XIII 26, 4 si reuera sicuti in uu. 364 seqq. consentit cum Lucilio, haec docuit poeta: 'item si "huius terrai" scribas, i littera sit extrema, si "huic terrae", per e scribendum est'. Tamen tacet Gellius de nominatiuo plurali. Inuenitur ante Lucilium genetiuus in ai apud Ennium et Plautum, datiuus nusquam. Quodsi Lucilius et Nigidius genetiuum *terrai* consuetudinem secuti commendarunt, tamen disyllabon esse istud uocabulum, non trisyllabon uoluerunt sicuti *pulcrai* genetiuus disyllabon positum est in carmine CLE 52, 2 Buecheleri 'heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae'. — Apud Martianum *lucinius* habet R, *licinius B* pro quibus *in genetiuo* supposuit Eyssenhardtius. Quibus receptis nihil omnino illo loco de Lucilii de genetiuo quam protulerit doctrina traditum inuenitur. *Licinius* si recte traditum est produxisse poetam in hoc uocabulo syllabam primam statuendum erit: quod plane est incredibile (uide ad lib. XIII u. 438). Item ante *Orbiliae* credi potest poetam corripuisse *Terentiae* ultimam cum hiatu sicuti in epigrammate de Ennio *Enni imaginis formam* (Cic. Tusc. I 34) apud Vergilium *insulae Ionio* (Aen. III 211), apud Horatium *Esquilinae alites* (epod. V 100), apud Ennium *Scipio inuicte* (Cic. Or. 152). Tamen illa quam secuti sumus ratio critica melior uidetur esse.

374. Vel. Long. GL VII p. 62, 18 K '*Abbire* (*abbitere* C. L. Schneiderus) etiam quidam geminata b maluerunt et dicere et scribere intermissa d, et *in* (*om cod*) hoc nullam (*multam* Schneiderus) differentiam putat esse Lucilius qui ait "*abbire* non multum est d siet an b".' Quo in loco cur rarum et obsoletum uerbum *adbitere* maluerint restituere quam uulgare illud *abbibere* non intellego: heroum talem ego restituerim '_ ◡◡ abbi⟨be⟩re: ⟨*hic*⟩ non multum est d siet an b'. A uocalibus ad praepositiones transit poeta sicuti Velius Longus l. s. s. p. 60, 6 K: prima est *ab* praepositio (fragm. 373), sequitur *ad* praepositio. — Non multum est] Vergil. Georg. II 272 'adeo in teneris consuescere multum est' Martial. I 108, 7 'sed tibi non multum est unum si praesto togatum': conf u. 377.

375. Velius Longus GL VII p. 61, 14 K 'Sic in his partibus orationis, quae incipiunt a littera c, non facile potest hac praepositione admota sonare d littera. haec similiter littera geminatur in eo quod est capio accipio: itaque Lucilius "atque accurrere scribes dne an T non est quod quaeras aeque labores".' *Eque labores*, opinor, scripserat poeta qui deque petigo lib. XXX u. 983 deque dicata u. 997, disque tulissent Plautus Trin. 833 alii alia. Dne an c uidentur esse ablatiuo casu posita. [uide praef.]

377—381. Velius Longus GL VII p. 47, 2 K 'Nam apud Lucilium in nono, in quo de litteris disputat, omnes uicem syllabarum implent, cum dicit "*a re* non multum *abest* hoc cacosyntheton atque canina si lingua dico, nihil ad me, nomen *hoc* illi est". item "s nostrum et *semigraece* quod dicimus sigma *nihil* erroris habet". apparet ergo haec nihil aliud quam locum syllabae tenere nec tamen syllabas esse'. Versum primum a librario foede pessumdatum esse apparet: uerba *a re* ex littera r librarius deduxit, deinde uox, quae numeris repudiatur *abest*, ex illis *a re* nata est. In altero uersu si *hoc* corripimus, stare uidetur uersus: quod fieri posse is facile credat, qui poetam *ore cŏrupto* (incert. u. 1243) in exitu hexametri posuisse grammatico crediderit tradenti. Ego nunc *hoc* errore librarii ex compendio ⫽ i. e. *enim* natum esse statuerim (Cic. Orat. ed Heerdegenus Lips. 1884 p. XII L. Traubeus Neues Archiv f. ä. d. Gesch. XXVI 1901 p. 240) et haec fere arbitror scripsisse poetam: r: non multum est, hoc cacosyntheton atque canina si lingua dico: nihil ad me, nomen *enim* illi est. Dicit igitur poeta: 'hoc r si cacosyntheton dico, et si canina lingua dico, non multum est: hoc nihil ad me; nam r illi litterae nomen profecto est'. *non multum* seruaui comparato u. 374 ubi uide quae adnotauimus. 'Cacosyntheton est indecens structura uerborum talis ut "uersaque iuuencum terga fatigamus hasta"' Charis. GL I p. 271, 22 K Diomed. l. s. p. 451, 17 Donat. l. s. IV p. 395, 18. 392, 27 Mar. Plot. l. s. VI p. 454, 17 Isidor. orig. I 33, 12. Ad hunc quem isti omnes adferunt Vergilii u. Aen. IX 606 adnotat auctus qui dicitur Seruius 'est autem cacosyntheton et homoeoteleuton: nam ⟨*melius*⟩ sit ita: "uersa hasta iuuencorum terga fatigamus"' similiter de hoc cacosyntheto Pompeius GL V p. 295, 3. 5 K 'naturalis sermo non poterat per uersum currere: "uersa hasta iuuencum terga fatigamus": ut possit stare ille uersus, naturalem sermonem conuertit'. Similiter schol. Euripid. Hecub. 801 *κακοσυνθέτως εἶπεν. ἔδει γὰρ οὕτως εἰπεῖν καὶ τὰ δίκαι' ὁρισθέντες παρὰ τοῦ θεοῦ τηρεῖν ἐν τοῖς πράγμασιν ἀδίκως ζῶμεν* ubi apud poetam legitur *νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι.* Itaque *cacosyntheton* ad *σύνθεσιν* uerborum quam inde ab Aristotele laudabant rhetores pertinet: 'quod male collocatum, id cacosyntheton uocant' Quintil. VIII 3, 59 dicitque calumniator apud Lucian. *περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδ. πιστ. διαβολῇ* cap. 14: (*ἢν δὲ ποιητικὸς ᾖ καὶ ἐπὶ τούτῳ μέγα φρονῇ,*) '*μὰ Δί' ἐχλεύασέ σου Φιλόξενος τὰ ἔπη καὶ διέσυρε, καὶ ἄμετρα εἶπεν αὐτὰ καὶ κακοσύνθετα*'. De nomine litterae r agit quam caninam uocabant (uide ad lib. I u. 2 quae adnotata sunt) in transcursu sicuti in altero fragmento de nomine s litterae, ubi *semigraecei* secundum poetae orthographiam posuimus: similiter Varro rer. rust. II 1, 2 'ut semigraecis pastoribus dicam Graece: *ὅς πέρ μου πολλὸν ἀμείνων*' III 10, 1 'genus... quod uos philograeci uocatis amphibium'. Quo pertineat Lucilii istud praeceptum de s littera, nescimus. Magni tamen momenti

apparet Lucilii uersus istos esse ad historiam nominum quibus litteras solebant nominare ueteres recte statuendam. Atque docet Velius l. s. s. p. 46, 17: 'Inuenti sunt tamen qui et sine uocali putent posse syllabam fieri. Nam animaduertimus apud comicos s et t pariter scriptas litteras ut apud Terentium in Phormione (742)

† non is obsecro est
quem te semper dicunt. St quid has metues fores:

hoc s et t pariter renuntiat silentium. Sed si hoc sectentur, possint etiam plerasque consonantes et omnes semiuocales pro syllabis ponere. Nam apud Lucilium in nono, in quo de litteris disputat, omnes uicem syllabarum implent, cum dicit . . . (*secuntur duo quae modo enarraui Lucilii fragmenta*). Apparet ergo haec nihil aliud quam locum syllabae tenere nec tamen syllabas esse'. Quae omnia ex optimis fontibus deducta ineptissima esse Veliumque plane nugari patet, si in uersibus Lucilii legantur litterae *r* et *s* uelut *er* et *es* grammaticorum more (Prisc. GL II p. 7, 27 Pompei. V p. 101, 16 Serg. IV p. 476, 31 K), quae quis primus adhibuerit litterarum nomina nescimus: sed pronuntiandae certo eundem in modum sunt, quo *st* illud comicorum; neque enim quisquam *s* et *r* litteras si *es* et *er* pronuntientur non esse syllabas dicere aut cum *st* uoce comparare potest; certe Velius ipse in sequentibus (p. 47, 13) *x* litteram non uocat *ix*, sed *cs*, quam dicit significare aliquid, nec tamen esse syllabam aut lexin: tum p. 47, 11: 'Non ergo accedendum est iis, qui putant sine uocali syllabam *fieri posse* (*add Keilius, om cod*), ut etiam significationem uocis terminet, quoniam *st* (*add Keilius*) silentium denuntiet. Et errant: nam et x significat aliquid (sic enim uocamus) neque tamen ideo syllaba aut lexis est. Et haec ipsa constat ex c et s, nec ideo et illam quisquam syllabam dixit, sed duplicem litteram. Deinde quid quod et uoces non scriptiles habent tamen significationem, quamuis scribi non possint? Nam et digitorum sono pueros ad respondendum ciemus'. Vbi non recte Keilius scripsit 'x significat aliquid: sic enim *litteram* uocamus', cum Velius dicat cs siue x esse uocantium sicuti ψύττα, sicut *st* uoce tacere iubemur, digitorum crepitu pueros ad respondendum ciemus. Quodsi Velii auctor *r* apud Lucilium positum esse pro *er* nouisset, id in sua ratiocinatione pro argumento posuisset. Itaque quod Lucilii uersu 381 qui exit in *geminat l* efficitur, idem hac Velii disputatione intellegitur. Scilicet apud Lucilium nomina litterarum sunt aut soni litterarum ipsi aut nomina Graeca. Apud Plaut. Merc. 304 litterarum sonos pro nominibus esse uidetur metro euinci, cum dicat haec Demipho 'Hodie ire in ludum occepi litterarium Lysimache, ternas scio iam. L. Quid ternas? D. *AMO*'. Trinummi u. 915 ut corruptum omitto. Nomina autem litterarum ea, quae usque ad nostra tempora feruntur, inuenit grammaticus aetatis Sullanae, aut M. Varronis simillimus aut, quod mihi ueri simillimum uidetur Varro ipse, qui in libro de antiquitate litterarum ad L. Accium scripto de nominibus litterarum egit (Wilmannsius de Varronis libris grammaticis p. 125) XX fere annis post Lucilii mortem. Nomina enim litterarum XXI si percensemus a e i o u ef el em en er es be pe de te ce ge ha ka qu ix — y enim et z Graecas mitto — nemo opinor non uidet primo obtutu haec nec priscae uetustatis esse ut Graeca litterarum nomina nec casu facta, sed ab homine Graecorum de litteris doctrina imbuto singula singulis litteris esse imposita ea ratione, ut uocales suum quaeque sonum habeant pro nomine, consonantibus *e* addatur postpositum mutis, semiuocalibus antepositum, ut denique ha ka qu ix segregentur a ceteris nominum ratione mutata, si modo harum litterarum quattuor nomina eidem debentur cui reliquarum. Vna scilicet lege XII consonantes litteras comprehendit is qui illa nomina posuit primus, ita ut supra demonstraui, *e* littera addita: idem omnibus semiuocalibus fulcrum praeposuit, postposuit mutis. Semiuocales dico more omnium qui nobis seruati sunt grammaticorum antiquorum *f l m n r s x* — etiam apud Graecos ξ inter semiuocales est apud Dionys. Thrac p. 11, 5 Vhlig. Dionys. Halic. de compos. uerb. cap. XIV uol. V p. 78, 4 R — item mutas *b c d g h k p q t*. Iam *k* littera et *q* nomina ex uocalibus quae eas sequi adsoleant traxere: *c* littera uero quo distingueretur a *ka* affini, *e* uocalem adiunxit grammaticus et huic ipsi et quinque reliquis mutis *g b p d t*. Quas similes esse inter se uoluit, dissimiles *h* litterae, cui *a* litteram apposuit nescio quare, fortasse quia hoc simplicissimum uidebatur: idem *x* litteram exemit e semiuocalibus praeposita *i*, cum reliquae *e* littera fulciantur; scilicet recte explicant grammatici ita factum esse secundum uocabulum Graecum huius litterae ξεῖ (Priscian. GL II p. 8, 12. 20 Anecdot. Heluet. GL VIII p. 224, 12 K). Vide quae de nominibus litterarum dixerint Priscian. II p. 7, 26 Seru. IV p. 422, 15. [Serg.] IV p. 476, 31. 520, 18. Pompei. V p. 101, 9 K. Tantummodo apud Probum IV p. 49, 31 *ex* pro *ix* traditum est, quod corrigendum esse apparet: conf p. 422, 16. Itaque cum planum sit litterarum Latinarum nomina non casu facta, sed ab homine doctissimo post Lucilii aetatem inuenta esse, qui XVII litteras *a e i o u f l m n r s b p c g d t* uno ordine comprehenderit, *h k q x* reliquas ex hoc ordine eiecerit[1]), nihil ueri similius est, quam M. Terentium Varronem illorum nominum esse inuentorem, quem has ipsas XVII tantum litteras agnouisse, *k q x* ut superfluas, *h* ut notam

1) Animaduertit Pompeius V p. 101, 18 Sergius IV p. 478, 2 K istarum litterarum quam nominibus patiuntur exclusionem.

ac non litteram eiecisse passim traditum est modo addito Varronis nomine modo omisso; [Sergius] IV p. 519, 11 'Litterae Latinae cum XXIII sint, Varro XVII dicit esse; ceteras superfluas putat'. Priscian. II p. 13, 8 K 'Auctoritas quoque tam Varronis quam Macri teste Censorino nec k nec q nec h in numero adhibet litterarum'. Cassiod. ex Cornuto VII p. 153, 1 'In libro qui est de grammatica Varro, cum de litteris dissereret, [ita] h inter litteras non esse disputauit, quod multo minus mirum, quam quod x quoque litteram esse negat' (Charis. I p. 8, 14. 16); Diom. I p. 423, 31 'Quidam Latino sermoni sufficere decem et septem litteras crediderunt, si quidem ex uiginti et tribus una adspirationis nota est, h, una duplex, x, duae superuacuae, k et q, duae Graecae, y et z' (Donat. IV p. 368, 12. Serg. IV p. 477, 14. 20. 26. Pompei. V p. 111, 6 Mar. Victorin. VI p. 5, 24. 27. Victorin. VI p. 195, 19. 196, 1. Anecd. Heluet. VIII p. 225, 6 K Quintil. I 4, 9). — Causa qua moti quidam, h. e. Varro eiusque sectatores *h k q x* remouerint ubique indicatur, quod *h* non littera sed aspirationis nota existimetur (Mar. Victor. l. s. s.), quod uice *k* et *q* litterarum possit *c* fungi (Ter. Scaur. VII p. 14, 12. 27, 18), quod *x* duplex littera sit, qua nilo plus indigeamus quam ψ littera Graecorum (Quintil. l. s.): nominum discrepantia nusquam pro argumento ponitur, nisi in fragmentis Bobiensibus GL VII p. 539, 12 'Antiqui XVII litteras solas habebant. h k q x y z quod neque uocales essent neque ab e inchoarent ut semiuocales, neque in e desinerent, ut mutae, tenax artis uetustas respuit sed inlecebra suauitatis admisit'. Quae ineptissima esse planum est, licet similiter peccarit Priscianus II p. 11, 13 'miror hanc (*f litteram*) inter semiuocales posuisse artium scriptores: nihil enim aliud habet haec littera de sono semiuocali, nisi nominis prolationem, quae a uocali incipit'. Secutus est illam legem de XVII litteris a Varrone factam Nigidius Figulus, qui 'in commentariis suis nec k posuit nec q nec x. Idem h non esse litteram sed notam adspirationis tradidit'. (Mar. Victorin. VI p. 8, 16). Sed grammatici posterioris temporis Varronis sententiis infesti eam neglexerunt ueluti Verrius Flaccus negauit x litteram esse semiuocalem, mutam eam contendens rectius dici (Vel. Long. VII p. 51, 1) et magnopere aestuat Terentius Scaurus VII p. 15 in refutanda Varronis sententia de k et c litteris. Postremo duo argumenta addam, cur Varronem potissimum auctorem illorum nominum existimauerim. Primum enim nomen illud *uau*, quod u consonanti Varro imposuit et apud ueteres grammaticos et apud nos usque ad hunc diem cum ceteris litterarum nominibus mansit. Conf Cassiod. ex Cornuto VII p. 148, 10 'Hanc litteram Terentius Varro dum uult demonstrare, ita perscribit uau'. Priscian. II p. 15 K 'V uero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus uim

habuit apud Latinos, quam apud Aeolis digamma. Vnde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim Ϝ digamma, id est "uau" ab ipsius uoce profectum teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt'. Anecd. Heluet. VIII p. 223, 26 'Figura itaque illius digamma uocatur. Potestas uero eiusdem uau nominatur, quam accipientes Latini posuerunt super u consonantem et facit u consonans apud nos, quod digamma apud Graecos' . . . (Ter. Scaur. VII p. 17, 5). Accedit alterum. Varro in libro de antiquitate litterarum ad L. Accium exposuit teste Pompeio GL V p. 98, 22 'olim XVI fuisse, postea ex superfluo additas alias litteras et factas XXIII'. (Wilmannsius de Varr. libris gramm. p. 219.) Conf Priscian. II p. 7, 27 'Et sunt indeclinabilia tam apud Graecos elementorum nomina quam apud Latinos, siue quod a barbaris inuenta dicuntur, quod esse ostendit Varro in II de antiquitate litterarum docens lingua Chaldaeorum singularum nomina litterarum ad earum formas esse facta' e. q. s. Cum sciamus Varronem XVII illas una nominum ratione comprehensas litteras probasse, has XVI priscas sine dubio dicit easdem excepta g littera, quam addidisse Sp. Caruilium Sp. l. ipse Varro auctor est. (Plut. qu. Rom. 54. 59). Dein in illo libro explicauit (Pompei. l. s.) 'et cur tot sint et quare eo ordine positae et quare isdem nominibus uocentur'). Idem p. 108, 13 'Illic commemoratur qui illam litteram fecit, qui illam'. — Postremo praeceptum Varronis de litterarum nominibus seruatum est sed posteriorum temporum additamentis auctum apud [Sergium] IV p. 520, 18 his uerbis 'Varro dicit consonantes ab e debere incipere quae semiuocales sunt et in e debere desinere quae mutae sunt. Ideo illae quia non ab e incipiunt neque in e desinunt, possunt pati calumniam, ut nec litterae uideantur aut non sint necessariae ut sunt in semiuocalibus x et z. Non enim sunt necessariae, nam duplices sunt, quia ex aliis litteris fieri possunt. Ex mutis remouentur propter illam quam diximus rationem h k q: h quod aspiratio sit, non littera: k et q ideo, quod c littera harum locum possit implere'. Seruius IV p. 422, 15 Varronis nomine omisso 'Semiuocales sunt septem, quae ita proferuntur, ut inchoent ab e littera et desinant in naturalem sonum, ut ef el em en er es ix (*ex* cod). Sed x ab i inchoat et duarum consonantium fungitur loco' . . . Idem 32 'Mutae sunt nouem, quae debent inchoare a naturali sono et in uocalem e litteram desinere, ut b g et reliquae. Ex quibus tres, quoniam non desinunt in e, contumeliam patiuntur, h k q. H a plerisque adspirationis nota, a plerisque consonans habetur. K uero et q aliter nos utimur, aliter usi sunt maiores nostri. Namque illi quotienscumque a sequebatur, k praeponebant in omni parte orationis, ut kaput et similia; nos uero non usurpamus k litteram nisi in Kalendarum

nomine scribendo. Itemque illi q praeponebant, quotiens u sequebatur ut qum, nos uero non possumus q praeponere, nisi et u sequatur et post ipsam alia uocalis, ut quoniam'. Fusius de hac re Pompeius V p. 101 egit. Cum traditum non sit quem auctorem Varro in hac re secutus sit, non sine causa litterarum nominum Latinarum inuentorem ipsum Varronem dicemus quoniam illorum nominum ratio mire cum Varronis de litteris doctrina congruat neque inter Lucilianae poesis tempora et Varroniani libri de antiquitate litterarum exstiterit grammaticus tanta auctoritate, quem omnes posteriores sequerentur. Itaque cum Lucilii temporibus soni litterarum pro nominibus essent, nonnulli tamen Graeca nomina adhiberent a Lucilio uituperati, Varro Reatinus in libro ad Accium de antiquitate litterarum misso ita nomina ratione et studio excogitata posuit, ut usque ad nostra tempora fere immutata permaneant. Sero enim Petri Rami auctoritate adducti saeculo XVI medio *i* consonantem *iot* appellabant: conf Ch. Waddington Pierre de la Ramée Paris 1855 p. 348 adn. 2. Notandum est denique quod M. Cicero de or. III 46 etiamtunc scripsit 'ut iota litteram tollas et e plenissimum dicas' Martial. II 93, 4 'unum de titulo tollere iota potes' Cic. de diuin. II 96 'cum rho dicere nequiret', sed apud iudices in Verr. II 187 'ut usque ad alterum r litterae constarent integrae' Iuuen. XIV 209 'hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae'. [Hanc quaestionem inchoaueram stud. Lucil. p. 8 seqq., modo retractauit Guilelmus Schulze Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1904 p. 760 seqq. Quem miror testimonium positum in commentario doctrinae egregiae pleno GL IV p. 520, 18 tollere conari argumentis usus admodum infirmis et incertis l. s. p. 781: Varronis nomen finxisse scriptorem illum nemo credet, qui bene nouerit egregium illum commentarium Varroniana doctrina repletum.]

381. Velius Longus GL VII p. 65, 11 K 'Per uero praepositio omnibus integra praeponitur, nisi cum incidit in l litteram, adfinem consonantem, quam elegantioris sermonis uiri geminare uolunt quam r litteram exprimere . . . nec aliter apud Lucilium legitur *in praepositionem per "l liciendo, quod est inducendo, geminat l"*. pellicere malunt quam perlicere'. *In praeposito per* Lachmannus scripsit, Iunius rectius ea uerba grammatici esse ratus posuit 'apud Lucilium legitur in praepositione per'. Quod codex praebet *per l liciendo,* inde ortum apparet, quod in archetypo *perliciendu* scripta l littera super r inuenerat librarius. 'Pelliciendu quod est inducendus geminat l' scripserat poeta: inducere pro pellicere adhibuit etiam lib. XXX u. 1006. Ex hoc uersu apparet non *el* sed *ll* significare l littera posita in uersu Lucilii qua de re egimus ad u. 377 seqq. Similiter atque Lucilius Verrius ap. Fest. p. 242 s. u. 'pelliculatio⟨nem . . . a pellicien⟩do quod

est inducen⟨do . . .'. Neutrum *quod* positum est ut u. 346 'quod dixi ante poesin' lib. XXIX u. 886 'hoc est ratio'.

382. Vulgarem quae in ludis tradebatur scripturam commendat poeta. Quid Accius de hac littera docuerit, non traditur: suspicatus est Ritschlius quae in inscriptionibus inuenitur scripturam *qura pequnia qur* Accii auctoritate niti (opusc. IV p. 687. 492 adnot.) quam Ritschlii sententiam de hac littera secuti sunt multi (Brambachius die Neugestaltung d. lat. Orthogr. p. 21. 221).

X.

383. Quae in uitae Persii exitu de Persii studiis Lucilianis traduntur, ea ex deperdita quadam Persii uita saeculo IV uel V decerpta esse apparet: seri temporis enim esse particulas *mox ut* coniunctas edocet Bonnetus de Gregor. Tur. Latin. p. 320, 2. Neque dubitandum est quin uera tradat scriptor ignotus de argumento libri X Lucilii. Nam uerba 'sibi primo mox omnibus detrectaturus' similia referunt atque uersus Horatii de Lucilio quibus agitur serm. I 10, 53 'Nil comis tragici mutat Lucilius Acci, Non ridet uersus Enni grauitate minores, Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?' ubi Porphyrio adnotat libro X Accium uituperatum esse a Lucilio: conf 384. Oratorum insectationem prodere uidetur u. 386 seq. Omnia huius libri fragmenta tractauit Buechelerus Mus. Rhen. XXXIX 1884 p. 288. At uerba illa 'cuius libri principium imitatus est' spuria sunt ab eoque adiecta, qui parum diligenter adnotationem ad Persii saturae I u. 1 legerat: quem uersum ex libri primi Lucilii uersu aliquo translatum esse Persii docebant interpretes (Lucil. lib. I u. 9). Neque reliquorum Persii carminum initia spectes: nam insectatio poetarum et oratorum, quam scriptor ille commemorat, in sola satura prima potest agnosci. Itaque hanc primam saturam Persii totam ad Lucilii libri X exemplum compositam esse ueteres docebant grammatici: tamen uersum primum ex Lucilii prima satura sumptum esse iidem poterant adnotare suo iure.

385. Nonius p. 262, 11 'Confidentia rursum temeritas, audacia. Pacuuius . . . *idem* lib. X "inprobus . . . *malus* uideatur".' Lucilii uersum esse libri X intellexit I. Dousa (uide ad lib. I u. 45): *ut* addidit Lachmannus. Sententiam ita restituit Buechelerus l. s. s. 'orator iam non fit ut maiores uoluerunt uir bonus sed ita moratus improbus e. q. s. ut uideatur'. Luciani *ῥητόρ. διδάσκ.* 24 gloriatur similibus uerbis: *ὑπῆρχε γάρ μοι, ὦ φίλη Ἀδράστεια, πάντα ἐκεῖνα ἃ προεῖπον* (15) *ἐφόδια, τὸ θράσος, ἡ ἀμαθία, ἡ ἀναισχυντία.*

'Hominis nequam atque improbi' Plaut. Bacchid. 573, 'Malus et nequam est homo' Pseud. 1103, 'utrumque faxo habebit et nequam et malum' Poen. 162, 'seruom hercle te esse oportet et nequam et malum' 1030, 'quin malus nequamque sis' Asin. 305: Cic. Phil. VII 1, 3 'nequam est homo ille atque confidens, multi praeterea improbi'. *Nequam* uocabulo Terentius non uidetur uti.

386. Nonius p. 396, 17 'Sumere etiam significat eligere.... Lucilius satyrarum lib. X "*honorum* est iudicium *crassis ut* discribimus ante . . . locemus".' *Horum* recte posuit Rothius, pro *crassis*, quod codd habent, *crisis* posui: Crassos enim exturbat metrum. *Discribimus* eodem modo quo nos dicimus 'ut Lucilius ante scribit' potuit opinor dicere poeta. Itaque post uocabulum Latinum posuerat poeta artis uocabulum Graecum tamquam interpretamentum necessarium. Pertinere uersus istos ad uerba eligenda suspicatur Buechelerus l. s. s. id est ad *ἐκλογὴν ὀνομάτων*, cum Nonius *sumere* idem esse dicat atque *eligere:* itaque *in quoque locemus* pertineant oportet ad *σύνθεσιν ὀνομάτων* quae docet in quo potissimum loco enuntiati ponantur commodissime uocabula. Tamen si ea quae de uersu sequenti disputaui, consideraueris, probabilius esse statues pertinere hos uersus non ad uerba, sed ad res, i. e. ad materiam poeseos eligendam. 'Horum inprimis hominum est iudicium siue crisis quam dicunt Graeci (uide ad XXX u. 1009), ut supra discribimus: hoc est, illi iudicare possunt recte, quid sumam, quid non, et in quo locemus unumquidque loco recta dum utimur oeconomia. Homines eruditos doctos sanos antea segregauerat ab ineptis indoctis prauo iudicio praeditis.

388. Donatus ad Terentii Andriam II 1, 24 'Ne iste haud mecum sentit. ne ualde, aut, ut quidam uolunt, o quam. Lucilius in decimo "*ne* (ita ABV, *ne quem* olim impressi, *neque* codd deteriores) in arce . . . inquit".' Lucem attulit huic uersui primus Otto Iahnius Herm. III 1869 p. 181. Prouerbio Attico uti poetam Clitomachi Attici philosophi amicum satis uidetur esse memorabile: nosse tamen Lucilium egregie poetas comoediae Atticae unde hoc sumpserit manifestum est aliis locis. Quod prouerbium enarrant scriptores quos adferunt Iahnius Michaelis Hitzigius Bluemnerus alii ad Pausaniae descript. arcis Athen. I cap. 24, 2: Diogenian. III 67 *βοῦς ἐν πόλει· ἐπὶ τῶν θαυμαζομένων* Hesychius *βοῦς ἐν πόλει· χαλκοῦς ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀνατεθείς* Paus. l. s. s. *ἔστι δὲ καὶ ταῦρος, ἀνάθημα τῆς βουλῆς τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κτλ.* Heniochus CAF II p. 432, 2 K *ὁ βοῦς ὁ χαλκοῦς ἦν ἂν ἑφθὸς δεκάπαλαι.* Clarissimus omnium taurus Marathonius ille erat quem Apollini in arce immolauit Theseus: quam rem magnifice descripserat Callimachus poeta in Hecale carmine (Schneideri Callimachea II p. 190). Versum supplendum esse censui ex optimorum codicum scriptura: pronomen *illum* ad *in arce bouem* ut

adiciatur flagitat sensus. *neque* codices deteriores quod habent interpolatori debetur, *ne qui* quod Dziatzko proposuit non potest commendari consuetudine sermonis Latini (conf Fleckeisenus Philolog. II 1847 p. 68). *Ne* in exordio uersuum plerumque poni apud Plautum adnotat Lorenzius ad Mostell. 75. Magnifice, i. e. *μεγαλοπρεπῶς* (Quintil. IV 2, 61. 62), sicuti Plato conuiu. p. 199 C *ἐπειδὴ καὶ τἆλλα καλῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς διῆλθες.* Interlocutor Lucilii suam laudat artem: 'At ego', inquit, 'magnus sum poeta, qui illum in arce bouem descripsi magnifice'. Similiter Horatius de arte poetic. 14 seqq. 'inceptis grauibus plerumque et magna professis purpureus late qui splendeat unus et alter adsuitur pannus, cum lucus et ara Dianae et properantis aquae per amoenos ambitus agros aut flumen Rhenum aut pluuius describitur arcus. sed nunc non erat his locus' . . . idem 416 'nunc satis est dixisse "ego mira poemata pango: occupet extremum scabies" . . . ut praeco, ad mercis turbam qui cogit emendas adsentatores iubet ad lucrum ire poeta, diues agris, diues positis in faenore nummis': uide ad incert. u. 1282 seq.

389. Nonius p. 235, 2 'Aptum rursum conexum et conligatum significat. . . . Lucilius satyrarum libro X "consellas quoque ualidis in funibus (*praeualidis in funibus* "uetus liber" F. Dousae) aptas".' Vetus iste liber Dousae si recte ille tradidit correctus erat a uiro docto saeculi ut uidetur XV. *Tonsillas* recte agnouit Iunius. Vocabulum explanant Isidor. orig. XIX 2, 14 'Tonsilla uncinus ferreus uel ligneus, ad quem in litore defixum funes nauium illigantur. De quo Ennius' (annal. u. 499 V). Festus p. 356 M '⟨*Tonsillam ait ess*⟩e Verrius palum dolatum — — cuspide praeferratum ut existi⟨*mat*⟩ — configi in litore nauis re⟨*ligandae*⟩ causa. Pacuuius in Medo (218 R) — — ⟨*Accius in Phi*⟩nidis (574 R): utriusque tragici uersus corrupti sunt. Paul. Fest. p. 224 M 'Prym*n*esius palus (incert. u. 1371) ad quem funis nauticus religatur, quem alii *tosillam* dicunt'. Itaque funis ille Graece dicitur *πρυμνήσιος κάλως* siue *πρυμνήσιον*, quo puppis ad terram religatur unde *ἐπίγεια* eiusmodi rudentes appellabantur. Homerus *ι* 136 *ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ἵν' οὐ χρεὼ πείσματός ἐστιν, οὔτ' εὐνὰς βαλέειν οὔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι* ubi uide ueteres et huius aetatis interpretes. Tonsilla uero palus est praeferratus in litore fixus ubi *πρυμνήσιον* alligatur: quo fit ut quieta et secura sit nauis tuta a fluctibus et uentis (u. 390). Vnde Euripides ait Med. 768 *οὗτος γὰρ ἀνὴρ ᾗ μάλιστ' ἐκάμνομεν λιμὴν πέφανται τῶν ἐμῶν βουλευμάτων· ἐκ τοῦδ' ἀναψόμεσθαι πρυμνήτην κάλων.* Hercul. 478 *ὡς ἀνημμένοι κάλῳς πρυμνησίοισι βίον ἔχοιτ' εὐδαίμονα* AP XII 159 *ἐν σοὶ τἀμά, Μυΐσκε, βίου πρυμνήσι' ἀνῆπται* Polyb. III 46, 3 *τὴν δ' ἀπὸ τοῦ ῥεύματος πλευρὰν ἠσφαλίζοντο τοῖς ἐκ τῆς γῆς ἐπιγείοις εἰς τὰ περὶ τὸ χεῖλος πεφυκότα τῶν*

δένδρων ἐνάπτοντες. Plenam sententiam non continet Lucilii uersus: nam *ualidis in funibus aptas* non tonsillas, sed naues tantummodo dicere potuit poeta neque inepte ita dicere potuit. Nam naues sunt in funibus ualidis aptae, non funes in nauibus, quia funes tamquam agunt id est continent, naues patiuntur, id est continentur: Cato de agri cult. 152 'facito scopas uirgeas ulmeas aridas, in asserculo alligato'. *Aptus* uocabulum in hac locutione sollemne esse uidetur: conf Cic. Tusc. V 40 'non sane optabilis ista quidem ... rudentibus apta fortuna'. Itaque post *quoque* arbitror excidisse *quae* ut et uersus stet et sententia 'tonsillas quoque, ⟨*quae*⟩ ualidis in funibus aptas Contineant naues figunt in litore aduncas': *quoque* illud quo magis intellegas statuendum erit in uersu antecedenti Lucilium de ancoris egisse.

390. Nonius p. 512, 18 'Firmiter pro firme. Lucilius satyrarum lib. X "fluctibus a uentisque (*ucnentisque* Leidensis: in Guelferbytano quoque *cn* superscr.) *aversis* firmiter essent".' *Aduersis* quod recte ueteres editiones exhibent recepto uersus talis qualem iam Dousa in editione posuit sanus erit. Ancoras iecerunt, tonsillas quoque fixerunt, quae naues in ualidis funibus aptas continerent, ut securae starent a fluctibus et a uentis aduersis tutae essent. *Firmiter essent* scripsit pro *tuto essent*, siue *tutae essent:* tum *a uentisque* ut solebant, nam *aque* ante Vergilium et Ouidium non inueniri iudicat Draegerus de syntaxi l. Lat. histor. II² p. 36: praepositio *ἀπὸ κοινοῦ* postposita ut incert. u. 1240: conf interpp. ad Hor. epist. II 1, 25 'uel Gabiis uel cum rigidis aequata Sabinis' 31 'nil intra est olea, nil extra est in nuce duri'.

391. Nonius p. 219, 10 'Pigror generis masculini. Lucilius satyrarum lib. X "languor *obressitque* . . . quietis".' *Languor,* si recte traditum est, o productam adhibuit poeta sicuti Plautus et Ennius, cum corriperet aliis in uersibus (uide lib. XXX u. 1049). Languor, pigritia, ignauia. Homines inuasit inertes languor, obrepsitque pigror torporque hominibus quietis. Claudian. de IV cons. Hon. (VIII) 323 'non brumae requies non hibernacula segnes Eneruent torpore manus' Suid. s. u. *ἀκινησία· καὶ τοὺς ἵππους ἐξελαύνειν προσέταξεν, ὡς διαλύοιτο αὐτοῖς τὸ ὑπὸ τοῦ παράπλου νεναρκηκὸς ὑπὸ ἀκινησίας*. Cato ap. Gell. XI 2, 6.

392. Nonius p. 517, 30 'Desubito. ... Lucilius satyrarum lib. X "quamuis ... scalis".' *Quamuis desubito,* ut Plaut. Bacchid. 82 'quamuis subito uenias', 339 'ab eo licebit quamuis subito sumere' Mostell. 411 'quamuis desubito facile est facere nequiter' (ubi Lorenzii conf adnotat.), Stichus 721 'Namque edepol quamuis desubito uel cadus uerti potest', Lucret. II 391 'et quamuis subito per colum uina uidemus perfluere': IV 155. Recte comparauit Buechelerus l. s. s. Martial. I 117, 7 'et scalis habito tribus, sed altis' (Liu. XXI 62, 3): nam illis iam temporibus altitudo aedium Romae molesta erat quod testatur P. Rutilii Rufi cos. 649/105 amici Lucilii oratio de modo aedificiorum (Meyeri ORF² p. 265). Colloqu. Monac. CGL III p. 649 med. 'ascendite. quot scalas? duas'. De meretrice agi suspicatur Buechelerus comparato uersu Iuuen. III 136 'dubitas alta Chionen deducere sella'. Pro *desubito* Peregrin. Silu. Itiner. Hierosol. ed. P. Geyeri p. 59, 12. 22 p. 63, 3 *adsubito.*

393. Nonius p. 553, 4 'Rorarii. ... idem lib. X "pone ... uelox".' De rorariis Liuius VIII 8, 8 'primum uexillum triarios ducebat, ueteranum militem spectatae uirtutis, secundum rorarios, minus roboris aetate factisque, tertium accensos, minimae fiduciae manum' Veget. II 15 med. 'Prima acies principum, secunda hastatorum armis talibus docetur instructa. Post hos erant ferentarii et leuis armatura ... erant item sagittarii ... erant funditores' ... cap. 17 'Ferentarii autem ... sagittarii funditores, hoc est leuis armatura, aduersarios prouocabant ante aciem praecedentes. Si hostes fugare potuerant, sequebantur, si eorum uirtute aut multitudine premebantur, reuertebantur ad suos et *post eos stabant*'. Descripsit igitur poeta aciem quo modo instructa fuerit ante pugnam, sicuti Vegetius l. s. II cap. 15 init. 'qualiter instruenda sit acies, si pugna immineat'. Rorarius paludatus erat, i. e. sago siue clamyde indutus sicuti funditores in columna Traiani: conf Cichorii die Reliefs der Trajanssaeule I tab. XLVII 167.

XI.

394. Gellius IV 17, 1 'Lucilii ex XI uersus sunt "Scipiadae ... fuisse". obiciebat o littera producta multos legere audio'. *Magnus* Scipio audit apud Lucilium, sicut incert. u. 1138 'Cornelius Publius *noster*' Latinorum patronus: praeclarum hic uersus est gloriae Scipionis testimonium. De Ti. Claudii Aselli et P. Cornelii inimicitiis conf Meyeri ORF² p. 183 seqq. Versus uidentur fuisse saturae alicuius exordium.

396. Ciceronem ex Lucilii libro XI hanc fabulam sumpsisse patet: unde Lucilius sumpserit, facile intellegitur. Censor fuit P. Africanus anno 612/142, lustrum condidit L. Mummius collega teste Lucilio: unde nil nisi lepidam fabellam efficitur esse ea quae narrat Valer. Maxim. IV 1, 10 qua de re egimus Mus. Rhen. XXXIX 1884 p. 65 seqq. Accusauit Scipionem Asellus tribunus plebis anno 614/140 conf Oxyrhynch. Pap. uol. IV p. 112 (182—184): ex Scipionis orationibus (Meyeri ORF²

p. 183 seqq.) locum istum facete uidetur expressisse poeta. Nam aperte altercationem Scipionis et Aselli produnt uerba Ciceronis sicuti alter locus de orat. II 258 'ut illud Scipionis, cum Asellus omnis se prouincias stipendia merentem peragrasse gloriaretur: "Agas asellum" et cetera', id est idem quod Febris dea Herculi dicit apud Senecam apocoloc. 6 'tu autem, qui plura loca calcasti, quam ullus mulio perpetuarius, . . . scire debes multa milia inter Xanthum et Rhodanum interesse'. Conf Martial. I 79 'Semper agis causas . . . Si res et causae desunt, agis, Attale, mulas. Attale, ne quod agas, desit, agas animam'.

397. Nonius p. 181, 29 'Tenta dictum pro extensa. . . . idem lib. XI "hic . . . in *ordines* tentae".' Agitur de castris uel hibernaculis: pelles enim sunt tentoria militum. Concedere uocabulum militare est: conf Liu. XXXVII 39, 2 'instare hiemem; aut sub pellibus habendos milites fore, aut si concedere in hiberna uellet, differendum esse in aestatem bellum'. XXVI 20, 6 'in hiberna diuersi concesserant' V 2, 1 'hibernacula etiam, res noua militi Romano, aedificari coepta' 6 'quippe illos hiemem sub tectis suis agere, . . . militem Romanum in opere ac labore, niuibus pruinisque obrutum sub pellibus durare' XXIII 18, 15 'nam et redierunt plerique scortis inpliciti, et, ubi primum sub pellibus haberi coepti sunt, uiaque et alius militaris labor excepit, tironum modo corporibus animisque deficiebant'. *Vbi concessum* i. e. ubi milites in unum locum coacti: uerbum substantiuum bis omissum est. Potest pertinere fragmentum ad bellum Hispanicum.

398. Nonius ex grammatico p. 394, 22 'Spurcum etiam fetidum. . . . Lucilius lib. XI "praetor . . . quam *spurcus* ore . . . unum".' *Spurcos* ore i. e. *δυσώδεις* (Plato CAF I 652 K) Lachmannus: *spurcos ore* quales sint explicat Cic. in Verr. III 23 'Apronius ille, qui, ut ipse non solum uita, sed corpore atque *ore* significat, immensa aliqua uorago est et gurges uitiorum . . . postremo ut odor Aproni taeterrimus oris et corporis, quem, ut aiunt ne bestiae quidem ferre possent, uni isti suauis et iucundus uideretur'. in Pison. 13 'cum isto ore fetido taeterrimam nobis popinam inhalasses'. At Lucilius non ganeones et helluones, sed homines pathicos spectat et scorta uirilia: conf Martial. XI 30 'os male causidicis et dicis olere poetis: sed fellatori Zoile peius olet' Petron. 9 'muliebris patientiae scortum, cuius ne spiritus quidem purus est' 21 'cinaedus . . . nos . . . basiis olidissimis inquinauit'. Appiani locum Iber. 85 *ἐλθὼν δὲ* (*ὁ Σκιπίων ἐπὶ Νομαντίαν*) *ἐμπόρους τε πάντας ἐξήλαυνε καὶ ἑταίρας καὶ μάντεις καὶ θύτας* cursim cum his uersibus contulit R. Bouterwekius de C. Lucilio satirico Merseburg 1871 p. 6. Agitur aperte de Scipione quem laudat miles quidam cum dicit

'nulla re magis rebus nostris afflictis profuit praetor noster adhuc quam scorta mascula omnia quod e castris eiecit adueniens'. Idem narrat [Plutarch.] apopthegm. Scip. min. 16 p. 201 B *μάντεις μὲν εὐθὺς ἐξήλασε καὶ θύτας καὶ πορνοβοσκούς* Liuius perioch. 57 'duo milia scortorum e castris eiecit' (Flor. I 34, 10 Frontin. strateg. IV 1, 1) Val. Max. II 7, 1 'eodem momento temporis, quo castra intrauit, edixit ut omnia ex his, quae uoluptatis causa conparata erant, auferrentur ac summouerentur: nam constat tum maximum inde institorum et lixarum numerum cum duobus milibus scortorum abisse'. *Spurcas* quominus scribas uerbis *ad unum* (Cic. ep. XII 14, 2 Caes. b. c. III 27) impedimur, propius cum illud absit a traditis et historicorum memoriae magis congruens: similiter Iuuenalis VI 48 'auratam Iunoni caede iuuencam si tibi contigerit capitis matrona pudici. paucae adeo Cereris uittas contingere dignae quarum non timeat pater oscula (conf 301 X 238) ubi Martial. I 94 XII 55 adfert Friedlaenderus. *Spurcus* denique proprie est lenonum et scortorum uocabulum CIL I 1418 'quei quaestum spurcum professi essent' Martial. I 34, 8 'abscondunt spurcas et monumenta lupas' IV 4, 9 'quod spurcae moriens lucerna Ledae': sed hoc loco ad odorem pertinet ut lib. XXVIII u. 798 'quaeque aspectu sunt spurca et odore'. De *praetor* uocabulo egimus ad lib. XIV u. 467, de scortis masculis in prouinciam adductis ad lib. VII u. 273. Scipionis Aemiliani apud Numantiam illam disciplinam belli Iugurthini tempore inprimis reuocauit in memoriam Q. Metelli similis Numidici exercitus coercendi ratio qua milites incredibili luxuria corruptos acriter castigauit imperator (Val. Max. II 7, 2).

400. Nonius ex grammatico p. 212, 8 'Latrinas genere feminino. et est lauatrina quod nunc balneum dicitur. Lucilius lib. XI "qui . . . *languae*". (*lang:* L m. 1.) *Neutro* Laberius' e. q. s. Pertinere haec uerba arbitror ad Scipionis edictum, quo de balneis interdixit militibus: [Plutarch.] apopthegm. Scip. min. 16 p. 201 C *λούεσθαι δὲ ἀπεῖπε, τῶν δὲ ἀλειφομένων τρίβειν ἕκαστον ἑαυτόν· τὰ γὰρ ὑποζύγια χεῖρας μὴ ἔχοντα ἑτέρου τρίψοντος δεῖσθαι.* Apud Appian. Iber. 85 med. uerba corrupta sunt aut manca: *ἀπεῖπε δὲ καὶ ὁδεύοντας ἡμιόνοις ἐπικαθέζεσθαι . . . κἂν τοῖς ἀλείμμασι καὶ λουτροῖς ἑαυτοὺς ἀλείφειν·* (*ἤλειφον* uulgo), *ἐπισκώπτοντος τοῦ Σκιπίωνος ὡς αἱ ἡμίονοι χεῖρας οὐκ ἔχουσαι χρῄζουσι τριβόντων.* Itaque haec fere dixerat poeta: 'nam qui in latrina languet, fit mollis cinaedus'.

401—404. Charisius GL I p. 94, 21 K 'Forfices et forcipes quidam distinguunt. . . . sed inepta haec esse Lucilius docet, qui etiam medicorum forcipes dicit (*dici* N) libro XIX "*scalptorum* (*scalprorum* impressi) forcipiumque milia uiginti", item paulo post "*eunis* . . . *uellere*".' Lucilii satyr. q. s. ed. F. Dousa lib. XIX 9

'Scalprorum * forcipumque millia uiginti (*in adnotatione critica: f. forcipiumque Millia uig.*). Charisius lib. I Medicorum *Forcipes* dicit lib. * XIX (*in adnotatione critica:* V. C. (*i. e. uetus codex*) XI.) *Scalpror.* etc. 10 — — et uncis (*in adnotatione critica:* ita ex V. C. emendandum) Forcipibus dentes euelleret. — *Charisius lib. I loco praecedente citato addit:* Item paulo post: — *et uncis Forcipibus dentes euelleret*'. — Et in commentario ad hunc locum 'Sic corrigendum fide uetusti codicis. nam uulgati multo corruptissime: *Quiuis forcipibus dentes uellere*'. De codice uetusto Charisii quem adhibuit Dousa diximus ad IX u. 362. Qui sicuti illo loco, ita etiam hoc loco praestantior est Neapolitano quem non norat Dousa: nam uulgatos libros sequitur in *forcipumque* et in libri numero *XIX*, ubi N habet notam priorem X puncto notatam. Ego malui quia codicis N librarius aperte errauit in numero XIX et uerba 'eunis forcipibus dentes uellere' admodum mendose scripsit, etiam in numero *XI* sequi Coloniensem, cum emendate exhibeat illa uerba et diligenter scripta. Verba uidentur pertinere ad instrumenta medica, quae miles nimis anxius salutis suae secum uexerat ad Numantiam increpante Scipione et irridente.

405. Nonius p. 344, 30 'Meret, militat. ... idem lib. XI "annos hic *errat tam* (ita *Guelf.*: *erarat tam* L m. 1) ... *hiberna* ... meret".' Versum emendauit Palmerius. Sicuti uerbis *annos iam plures* apparet, loquitur miles qui iam ante Scipionem in Hispania meruerat et agitur de milite exercitus ueteris, quem Scipio inuenerat mollitia et desidia corruptum. Nam Scipio ne duos quidem annos in Hispania commoratus est. — *Hibera* terra, ut lib. XV u. 490, *hic* aduerbium.

407. Nonius p. 18, 17 'Rudus, stercus, quod raditur. Lucilius satyrarum lib. XI "*uim sternenda et* iaciendum huc aggerem (sic Guelferbytanus: Leidensis *agerem*) et id genus rudus".' (*rudis* G m. 1). Aggerem iacere quid sit, ipse poeta lib. XXVI u. 633 explicat 'aggere in iaciundo si quost uineis actis opus': itaque non recte de uia sternenda cogitarunt editores Mercerum secuti. Sententiam ita fere suppleas: non signis collatis esse dimicandum, sed obsidione horum hostium ait uim sternendam et iaciendum huc aggerem et id genus rudus. Romanus sedendo uincit uetus est prouerbium cuius memor Scipio *οὐδ' ἐπεχείρει τοῖς ἐχθροῖς, ἔτι περισκοπῶν αὐτόν τε τὸν πόλεμον καὶ τὸν καιρὸν αὐτοῦ καὶ τὴν τῶν Νομαντίνων ὁρμὴν ἐς ὅτι τρέψοιντο.* (Appian. Iber. 87) ... *εἶθ' ἡγεμόνας ἐπιστήσας ἑκάστῳ μέρει προσέταξε περιταφρεύειν καὶ περιχαρακοῦν τὴν πόλιν* (90 med.) ... *ὃ δ' ἦν ἄρα στρατηγικώτερος αὐτῶν, ἐς χεῖρας οὐκ ἰὼν θηρίοις, ἀλλὰ τῷ λιμῷ σφᾶς κατεργαζόμενος ἀμάχῳ κακῷ κτλ.* (97 med.) 'Fundit fugat prosternit maxumas legiones' (FPR p. 56 Baehrensii), 'alius sit fortis in armis, sternat et aduersos Marte fauente duces' Tibull. I 10, 29.

409. Nonius p. 227, 33 '*torquem* generis masculini. Lucilius satyrarum lib. XI "conuentus ... *braces* (braches *Guelf.*) ... *torquem datis* magni".' Idem p. 506, 20 'Fulgere correpte ... Lucilius satyrarum lib. XI "conuentus ... torques *magni*".' De conuentu Gallorum agi intellexit Guilelmius Verisim. II cap. 7 quod bracarum sagorum denique torquium nominibus fit apertum. Similem conuentum Asianorum describit Dio. Prus. XXXV I p. 335. 336 Arn.: aliter comparata sunt quae narrat Varro in satura *ἔχω σε* 170 B: 'tela dextra uibrant † russatia emicant atque † insignibus Martis torques aureae scuta caelata Hiberon (*n add Buechelerus*) argento graui crebra fulgent'. De Gallis Cic. pro Fonteio 15, 33 'Sic existimatis eos hic sagatos bracatosque uersari animo demisso atque humili ...?' Formam uulgarem *braces* quam reiciunt grammatici GL V p. 572, 11 VII p. 108, 10 K altero Nonii loco casu ortam esse cum sequatur *saga* probabile est: *pro bracibus* Ed. Dioclet. VII 46. Conf Gallorum descriptionem in Verg. Aen. VIII 659 'Aurea caesaries ollis atque aurea uestis, uirgatis lucent sagulis; tum lactea colla auro innectuntur' unde Silius IV 154 'Colla uiri fuluo radiabant lactea torque, auro uirgatae uestes, manicaeque rigebant ex auro, et simili uibrabat crista metallo'.

411. Gellius IV 17, 1 'Lucilii ex XI uersus sunt ... (394. 395) Idem infra "conicere ... Grani". in hac quoque primi uerbi praepositione ob eandem causam producunt'. Cicero in Bruto 43, 160 'Multae deinde causae; sed ita tacitus tribunatus (*anno* 647/107), ut nisi in eo magistratu cenauisset apud praeconem Granium idque nobis bis narrauisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse'. Ibidem 46, 172 'Ego memini T. Tincam Placentinum hominem facetissimum cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare. eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? isto ipso: sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore uernaculo'. Tinca Placentinus cuius cognomen Gallicum legitur Auson. Mosell. u. 125, Gallus erat, Granius Romae uixit et teste Cicerone urbana lingua utebatur, cum Tinca auditores offenderet rusticitate sermonis prouincialis. Romae Graniorum familiam artem praeconiam exercuisse lapis urbanae originis testatur apud Buechelerum Carm. Lat. epigraph. I p. 26, 53 in quo uersus extant 'pudentis hominis frugi cum magna fide praeconis Oli Grani sunt ossa heic sita', subscriptio est 'A. Granius M. l. Stabilio praeco'. Tincam et Granium dicacitate certantes, ut apud Horatium serm. I 5, 52 altercantur Sarmentus Messiusque Cicirrus, audierat Cicero adulescens decem uel quindecim annos post Crassi tribunatum:

rusticitatem Tincae Hortensius quoque orator riserat ut Quintilianus auctor est I 5, 12. Quo libro Lucilius Crassi et Granii conuiuium enarrarit, non constat: tamen libro XX hoc factum esse probabile esse diximus prolegg. p. XLIX: uide ad lib. XX u. 568 incert. u. 1180. 1181. II u. 95. Granium Cicero commemorat praeterea epist. IX 15, 2 de orat. II 244. 254. 281. 282 pro Planc. 33, quo loco Granii dictum in consulem P. Nasicam anno 643/111 et alterum quoddam in M. Drusum anno 663/91 cum fuerit tribunus plebis memoratur: unde apparet per quattuor lustra floruisse praeconis dicacitem. Graniorum familia Puteolis oriunda erat (CIL I 577 Cic. in Verr. V 154 Caes. b. c. III 71, 1). Dicacitatem praeconum commemorant multi scriptores (Quintil. X 1, 8): lepidissime eam describit Apuleius metam. VIII 23 extr. 'tunc praeco diruptis faucibus et rauca uoce saucius in meas fortunas ridiculos construebat iocos' e. q. s. iam secuntur praeconis ioci, cuius extremum exscribam (cap. 25): 'at praeco "ueruecem", inquit, "non asinum uides . . . nam si faciem tuam mediis eius feminibus immiseris, facile periclitaberis, quam grandem tibi demonstret patientiam". Sic praeco lurconem tractabat dicacule, sed ille . . . "at te" inquit, . . . "cum suo Adone Venus domina caecum reddant, qui scurrilibus iam dudum contra me uelitaris iocis"' (Martial. I 85). Lucilius narrat poesi sua se occupatum siue amici aduentu siue alia quadam re, cum nouissimum Granii dictum uersibus effingeret, conturbatum esse. Gallonii praeconis cenae luxuria (incert. u. 1238), Granii iocis celebres fuere, uidelicet hominum infimi ordinis sed quaestu suo diuites qui erant facti ut uel Crassi apud eos cenarent. Similis Granii erat Sex. ille Naeuius de quo Cic. pro Quinct. 11 'nam neque parum facetus scurra Sex. Naeuius neque inhumanus praeco est umquam existimatus. Quid ergo est? Cum ei natura nihil melius quam uocem dedisset, pater nihil praeter libertatem reliquisset, uocem in quaestum contulit, libertate usus est, quo impunius dicax esset'. — conicere in uersus] Graeci dicunt ueluti *ἐντείνειν δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιητάς τινας* (Strabo IX p. 419), similiter *ὅτι τὸ πληθυντικὸν εἰς τὸ μέτρον οὐκ ἐμπίπτει* (Strabo XIV p. 661 extr.). — Inter annos u. c. 638—644 a. Chr. 116—110 quo tempore lib. XI compositus est, clarissimum erat sine dubio dictum illud Granii de quo Cicero pro Planc. 33 'Consuli P. Nasicae (*anni* 643/111) praeco Granius medio in foro, cum ille edicto iustitio domum decedens rogasset Granium, quid tristis esset, an quod reiectae auctiones essent: "Immo uero", inquit, "quod legationes"' (Sallust. Iug. 28, 2): quod dictum dubito an Lucilius hoc loco narrarit qui u. 418 Iugurtinos eadem acerbitate carpat, qua Granius illo dicto significarat pecuniosis Iugurthae legationibus reiectis reculam Romae uulgo minus prospere augeri.

413. Nonius p. 22, 30 'Tricones, morosi et ad reddendum duri. Lucilius satyrarum lib. XI "*Lucilius* (*om G*) Cotta . . . *paceni* (*paneci G*) magnus fuit trico . . . lentus", id est facilis'. Idem p. 338, 10 'Lentum, facile. Lucilius satyrarum lib. XI "Cotta . . . *pacem* magnus *trico fuit* . . . lentus".' Vocabulo *trico* usus est auctor uitae Veri imperatoris cap. 4, 6 'ut uagaretur nocte per tabernas ac lupanaria obtecto capite cucullione uulgari uiatorio et comissaretur cum triconibus'. Adde tesseras lusorias de quibus Huelsenus egit Mitteil. d. roem. arch. Inst. XI 1896 p. 231: apud Comenses etiamnunc *trigon* cunctatorem appellari Diezius edocet uocabul. etymolog. (ed. 1887) p. 327. — L. Aurelius Cotta, de quo his uersibus agitur, illo tempore iam erat defunctus, qui consul erat anno 610/144. Aere alieno obrutus et inops fuit, Scipionis inimicus, qui auctore Val. Max. VI 4, 2 'cum Ser. Sulpicius Galba et Aurelius consules in senatu contenderent uter aduersus Viriathum in Hispaniam mitteretur . . . "neutrum", inquit, "mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis" 5, 4 "magnam laudem et illud collegium tribunorum tulit, quod, cum unus ex eo L. Cotta fiducia sacrosanctae potestatis creditoribus suis satis facere nollet, decreuit si *neque solueret pecuniam* neque daret cum quo sponsio fieret, se appellantibus eum creditoribus auxilio futurum".' 'Bis consul fuerat P. Africanus et duos terrores huius imperii, Carthaginem Numantiamque, deleuerat, cum accusauit L. Cottam' (Cic. pro Mur. 58: Oxyrhynch. Pap. uol. IV p. 115). Filius qui fuerit, non constat. *Paceni* uocatiuus est a *Pacenius*, quod nomen agnoscas oportet Cic. pro Cluent. 59, 161 'Anchari et Paceni pastoribus huius uilicum uim et manus attulisse'. Nomen est Paelignum, (Albia Pacina CIL II 150 Pagnius IX 3633 Pacinius XI 2779) *Pacinus* rex memoratur Fest. p. 222, 11. Scripsit igitur Lucilius siue saturam unam huius libri siue totum librum ad Pacenium quendam amicum: similes sunt uersus lib. IV 149 seqq. De lectione constat: nam apud Non. p. 338 codd *pacem*, p. 22 *paceni* L. Itaque nihili est cod G lectio, qui hoc loco habeat *paneci*, neque omnino probanda uetus illa coniectura *Panaeti*, unde ad Panaetium hunc librum esse scriptum effecerunt nonnulli. — L. Cotta senex, crassi pater huius] eodem modo u. 418 loquitur nec aliter Cicero de or. II 265 'M. Cicero senex, huius uiri optimi nostri familiaris pater' de nat. deor. I 79 'Q. Catulus, huius collegae et familiaris nostri pater' II 2, 6 de off. III 16, 66 'Arbronium Silonem, patrem huius Silonis' Sen. suasor. II 19. Satis lepide Cottam dixit *soluere nulli lentum*, i. e. *γλίσχρον*, infinitiuum Graecorum more adiectiuo adnectens: Senec. de benef. V 22, 1 'segnes et tardi, lenta nomina, non mala' Cic. ad Att. X 11, 2 'Illa de ratione nummaria non sunt eius modi . . . an existimas illum in isto genere lentulum

aut restrictum? nemo est minus'. [Paceni genetiuum posuit Lindsayus, cuius locus in illo uersu me iudice non est.]

416. Nonius p. 8, 23 'Tricae sunt inpedimenta et inplicationes. ... Lucilius satyrarum lib. XI "nec mihi *amore* ... uadato".' *Amatore* Iunius et librarii cod Bambergensis aliorum suo Marte restituerunt. Trico uadatus Cotta ille est qui uadimonium promiserat in ius uocatus a creditoribus. Eundem Egilium, qui uocatur, uidetur lacessisse Cotta quem Opimius (u. 421), mollitudinem eius irridens, nec minus gnauiter ille huic respondit quam Opimio, cum hunc triconem appellarit, illum famosum.

417. Gellius XI 7, 9 'At ille iactans et gestiens "non enim Lucilium" inquit "legistis, qui tergiuersatorem bouinatorem dicit". est autem in Lucilii XI uersus *hic, stricosus* (strichosus *nonnulli codd*) ... duro".' hinc Nonius p. 79, 26 '*Bouiatores* quos nunc malitiosos et tergiuersatores dicimus. Lucilius lib. XI "*hic sitricosus bouiatorque* ... duro".' Bouinator nunc hoc tantummodo loco inuenitur uocabulum: alium locum explicarat Verrius, ut Paulus (p. 30) testatur qui habet *bouinatur. conuiciatur*: ubi scribi L. Muellerus uoluit: *bouinator. conuiciator.* Glossas ad Verrii locum pertinentes collegit Goetzius in Thesauro glossarum s. u. *bouinor,* quod uerbum sicuti a Verrio explicatur uerbis *clamo conuicior* (CGL V 8, 23. 50, 32. 492, 69. 493, 2), Lucilii locum alio modo atque faciunt Gellius et Nonius habes explicatum in glossis Latinograecis II 31, 13 'bouinatores θορυβοποιοί, θρῦλον ποιοῦντες ἢ ταραχήν'. Bouinatorem nimirum conuiciatorem esse dicebant grammatici nonnulli his ipsis Lucilii uerbis parum recte usi quae secuntur '*ore inprobus duro*': '*os durum*' Ter. Eun. 806. Cic. pro Quinct. 77 'mihi uideri ore durissimo esse, qui praesente eo gestum agere conarentur' Ouid. metam. V 451 'duri puer oris et audax constitit ante deam, risitque auidamque uocauit' (Petron. 43 'durae buccae fuit'). Sed e Ciceronis loco s. s. apparere uidetur hominem *duri oris* non esse nimis contumacem lingua sed facie et uultu parum pudicum. Alii grammatici non ea quae secuntur uerba sed id quod antecedit uocabulum pro fundamento posuerunt explicationis ueluti Placid. CGL V 8, 11 'bobinator tricosus et inconstans' (= 50, 33) IV 26, 23 † 'bounator tricat insidiosus' V 271, 38 bibinatur tricatur insidiat' (= IV 602, 3). In quibus Placidi glossae summi sane momenti ideo, quod sine dubio lectionem uersus Lucilii initio confirmant praebentes *tricosus.* Quod uocabulum admodum est rarum: explicatur CGL II 201, 41 'tricosus ἀχρεῖος λαγγών δυσέκλυτος', praeterea extat in inscriptione metrica apud Buechelerum CLE II p. 403, 870 'Alcmenae Iouis et magni fortissima proles tricosus subito post mea facta uocor' quae suspecta erat editoribus CIL VI 3623*: tamen *pertricosus* Martial. III 63, 14. Tricosus a tricis quin sit deriuandum non potest esse dubium: bouinator quid sit nescimus. Compares licet βουγάιε Homeri uocabulum et βουφάγος similia. De uersus scriptura haec F. Dousa: 'Emendabat Pater: *hic tricosus* sententia et uersu exigente . . . uerum Ios. Scaliger rescribendum censet *Hicce strigosus* autumatque strigosum dictum a Lucilio non ἰσχνὸν, ut uulgo accipimus, sed morabundum et tergiuersatorem'. *Hic* Gellii esse uidit Hertzius cuius conf adnotationem. *Si tricosus* Lachmannus cum Nonio, recte opinor. Verba utrum ad Granii contumaciam pertineant an ad Cottae impudentiam qua creditores non curabat non liquet: hoc tamen probabilius est propter *tricosus* uocabulum. Respondit ille quem appellarat Cotta: tu si tricosus, bouinatorque ore improbus duro, ad alios ire meliust (Plaut. Trucul. 150). [In app. crit. scrib. Non. p. 79, 26.]

418. Nonius p. 305, 29 'Fama est rursus infamia . . . unde et famosum dictum est infame. . . . Lucilius satyrarum lib. XI "quintus *opimus* . . . *da* rectius sese".' Opimius *Bentinus,* dare *Turnebus,* dat *cod B* librarius neque tamen ex archetypo ut opinor. *Dare sese rectius* pro *gerere se* rectius ut Caelius ap. Cic. epist. VIII 15, 2 'usque quaque', inquis, 'se Domitii male dant' Terent. Eun. 230 'mirum ni ego me turpiter hodie hic dabo cum meo decrepito hoc eunucho' Vergil. georg. I 287 'multa adeo gelida melius se nocte dedere'. Q. Opimius cos. 600/154: illo tempore quo Lucilius lib. XI scripsit iam obierat. — Iugurtini pater huius] L. Opimii, cos. 633/121 de quo Sallust. Iugurth. 16 'decretum (anno 638/116) fit uti decem legati regnum . . . inter Iugurtham et Adherbalem diuiderent. cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus et tum in senatu potens . . . eum Iugurtha, tametsi Romae in inimicis habuerat, tamen adcuratissime recepit, dando et pollicendo multa perfecit, uti fama, fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret'. Anno 644/110 'C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senati decreta neglegisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent' (Sallust. Iugurth. 40). Qua lege L. Opimius damnatus (Cic. Brut. 128 pro Planc. 69. 70) in exilio Dyrrachii mortuus est (pro Sest. 140). Vocabulum *Iugurtini* indicat inuidia illo tempore flagrare Opimium: quare inter annos 638/116 et 644/110 conscriptum esse librum XI statuendum erit. De *huius* uide quae diximus ad u. 413. — *formonsus* formam hoc solo loco uitauit poeta propter homoeoteleuton. — *utrumque*] satis iocose dictum pro *id* quia una et lasciuiam iuuentutis et pulchritudinem amissam esse ab Opimio significat poeta. *adulescens*] mirum est hoc uocabulo neque Catullum nisi 63, 63 neque Horatium esse usum neque apud Lucretium et Ennium uidetur extare neque apud elegiarum poetas neque apud Vergilium Martialem Calpurnium Persium

Iuuenalem. Similis huius Opimii fuit Q. Fabius Maximus Allobrogicus quo 'adulescente nihil magis infame, nihil eodem sene ornatius aut speciosius illo saeculo nostra ciuitas habuit' Val. Max. VI 9, 4.

421. Eandem quam Cicero hic enarrat fabulam Lucilium quoque enarrasse id est Lucilii satura usum fuisse Ciceronem non uno argumento indicatur. Nam uterque scriptor *adulescentem* Opimium male audisse tradit, uterque uocabulo *famosus* utitur, denique extrema Ciceronis uerba facile efficiunt heroum 'nam uetuit me ad famosas accedere mater'; adde quod *accedere ad* inprimis Lucilianum est ut lib. II u. 92 VII u. 287. Sicuti Granii ita alius hominis festiui iocos duos uel tres narrauerat Lucilius qui quo nomine fuerit nominatus parum constat: *Egilius* uulgo scribitur apud Ciceronem, ubi codd *ecilius*. De gente Egilia tamen non constat, *Egrilius* Ellendtius in adn. critica proposuit; facilius scribas *Icilius* (Ἰκέλιος Appian. b. c. IV 27 med. et extr.) et *Icilia,* nisi Nonius p. 198 haberet *Decilla:* quod si recte traditum est, homo ille festiuus fuit *Decius* quidam, priore loco datiuus apud Ciceronem est interpolatoris. De feminino genere uide interpretes ad Horat. serm. I 8, 39.

422. Nonius p. 276, 23 'Damnare est exheredare. Lucilius satyrarum lib. XI "cassius gaius . . . sectorem (*sextorem* Guelferbytanus) *furiumque* hunc tullius *quem index* (*iudex* olim impressi) . . . omnes".' Verbis *et damnati alii omnes* intellegitur multos heredipetas sordidi hominis alicuius, qui antea debuit esse sine dubio nomine suo nominatus, et gratiam et rem petiisse. Itaque cum postea legatur accurate nominatus *Tullius Quintus Index,* is non potest esse ille qui antea iam memorabatur accurate et testamentum fecit sed *Q. Tullius* reuera *iudex* erat ad quem lis fuerat delata: adde quod teste Vlpiano lib. sing. regul. XXI 'illa autem institutio "heredem instituo, heredem facio" plerisque improbata est': quare hoc loco rectius de iudice cogites quam de eo qui testamentum scripsit. Narrauerat Lucilius: 'Mortuus erat praediues ille. Multi multis argumentis prolatis et tabulis ad iudicem sese heredes esse clamabant uiri honesti et probi. At quid factum est? Quis uictor euasit? Cassius, Gaius homo hic sordidissimus: hunc Tullius iudex heredem facit, et reliqui omnes damnati sunt, i. e. causa ceciderunt et litem perdiderunt. Quae si recte constituta sunt, grauissimum hi uersus sunt testimonium Lucilii aetate id est tempore fere Iugurthini belli nondum apud centumuiros hereditatum lites actas esse qua de temporis quaestione conf Wlassakius in Paulyi-Wissowae encyclop. s. u. centumuiri I. Nam accuratius annum definire non licet quo iudicium illud Tullii fuerit factum: sed Lucilii memoria factum esse apparet. Potuit poeta scribere et *Gaius Cassius hic* et *Cassius, Gaius hic* qui scripserat *L. Cotta, Q. Opimius:* sed uoluit hominem distinguere ab aliis Cassiis, cuius rei causa et praenomen et cognomen postponi maluit. Cognomen tamen unum addidit, cum uideri uellet addere per iocum tria cognomina. *Cephalo,* i. e. *Capito,* sicuti σοφός pro sapiens incert. u. 1236: conf Valer. Max. VIIII 14, 3 'eximiae uero nobilitatis adulescens Cornelius Scipio cum plurimis et clarissimis familiae suae cognominibus abundaret, in seruilem Serapionis appellationem uulgi sermone inpactus est, quod huiusce nominis uictimari perquam similis erat'. Cephalo Cassius reuera audit (Κεφάλων Polyb. VIII 14, 5, C. Marcius Cephalo CIL II 1936 (conf 155)), per iocum e uestigio duo addit noua cognomina, *furem* quod Scaliger recte restituit, et *sectorem* unde apparet cuius generis fuerit Cassius. Gaius instit. IV 146 'sectores uocantur qui publice bona mercantur' Cic. pro Rosc. Amer. 103 'is qui et sector est et sicarius, hoc est, qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est, et eum hominem occidendum curauit, de cuius morte quaeritur'. Itaque turpissimi quaestus homo erat, quales ei sunt, qui damnatorum bona quae sub hasta uenibant coemere solebant: sector et sicarius Cicero l. s., sector et fur Lucilius. *Quintus* recte Lachmannus: conf ad incert. u. 1138 Zeitschrift f. d. oesterr. Gymnasien XLIX 1898 p. 1092. — *damnati,* id est causa ceciderunt. — *alii,* reliqui est uulgaris sermonis: Sallust. Iug. 91, 6 'Numidae puberes interfecti, alii omnes uenumdati' (54, 6); ad Her. IV 8, 12 'optimatibus trucidatis, aliis abreptis in seruitutem' (conf 39, 51 extr. 'arma qui contra tulerunt, . . . trucidantur, ceteri . . . rapiuntur in seruitutem'); Sallust. Iug. 52, 2 'alia omnia praeter milites opportuna'; 63, 2. 87, 2. 46, 2. longe opera ante *alia omnia* Lucilius lib. XXIX u. 829 Ter. Adelph. 832. *alios omnes* Lucil. XXIX u. 913.

425. Priscianus GL II p. 231, 13 K ex Suetonio (p. 347 R) 'Non est tamen ignorandum quod etiam hic puerus et hic et haec puer uetustissimi protulisse inueniuntur, et puellus puella. Lucilius in XI "inde . . . puellus".' Describitur uita alicuius sicuti Trimalchionis uita narratur apud Petron. 75 'tam magnus ex Asia ueni, quam hic candelabrus est. ad summam, cotidie me solebam ad illum metiri, et ut celerius rostrum barbatum haberem, labra de lucerna ungebam'.

426. Iulius Romanus apud Charisium GL I p. 240, 8 K 'Mu pro muttire. Lucilius saturarum libro 'non laudare hominem quemquam neq, facere $\overset{in}{u}$mquam".' Ita Neapolitanus: adnotat Dousa (XI 12) ueterem suum codicem habuisse *inquam,* in contextu posuit tamen *neque mu facere * unquam.* Excerpta cod Parisini cum habeant 'mu pro muttire lucius neque enim mu facere in quemquam' archetypum 'neque mu facere inquam' habuisse aperte testantur. Quod istud fragmentum libro II tribuunt excerpta Cauchii, facile conieceris deceptum eum fuisse illo *non*

uocabulo Lucilii posito post *libro*, cum scriptum fuerit n̄. Tamen desiderari apud Charisium numerum libri Luciliani post *saturarum libro* apparet. Praeterea in codice illo quem et Dousa et Cauchius adhibuerunt numerum libri fuisse appositum ea re suspicetur aliquis, quod Dousa editor in libro XI posuit hoc fragmentum neque quicquam de numero libri addidit neque in adnotatione neque in commentario neque omnino exposuit qua re ita fecerit. Itaque Cauchii excerpta cum non facta sint ad codicem ipsum, sed ad apographon codicis (Keil GL I p. XXVI), numerum illum Dousae XI male intellectum a uiro docto, cui Cauchius sua debuit, in numerum II abiisse statuemus: quod facile fieri potuit, cum X nota hastis atramentoue coeuntibus minus accurate inspicienti facile potuerit uideri I. Quare Cauchium tantummodo ut errantem non ut interpolatorem reiciemus tacito Dousae testimonio freti et libro XI uersum tribuemus: uide ad lib. XIV u. 453. — Scipio Aemilianus ap. Cic. de rep. (IV 10, 12) quem locum adfert Augustinus de ciu. dei II 9 'dicit deinde alia et sic concludit hunc locum ut ostendat ueteribus displicuisse Romanis uel laudari quemquam in scaena uiuum hominem uel uituperari'. *mu facere* idem fere ac uituperare: attulit Dousa Ennii uersum (incert. 10 V) ap. Varronem de l. L. VII 101 'neque ut aiunt mu facere audent': idem (incert. 9 V) ap. Donat. ad Ter. Andr. III 2, 25 'nec dico nec facio ⟨*mu*⟩' ubi excidit uocabulum in codd sicut in Neapolitano Charisii.

XII.

427. Seruius auctus ad Aeneidos II 77 'Fuerit quodcumque. ... sane "quodcumque" uetusta uoce mortem significari Lucilius docet in XII "hunc ... fuisset", hoc est si mors uel me uel fratrem oppressisset'. Admodum probabilis est L. Muelleri sententia Lucilium de uita sua hoc uersu egisse suspicantis. Laudauit igitur tutorem quem pater dederat fidelem: quodsi Lucilius poeta eiusque frater pueri mortui essent stirpe non relicta, hic homo sororum rem familiarem patris uoluntate totamque domum fideliter administrasset. Si quid fuisset, i. e. si quid mali accidisset, ut Thucyd. II 74, 3 *ἤν τι ποιῶμεν· εὐφήμως* pro *ἤν τι κακὸν αὐτὴν ποιῶμεν*, Plato Menex. p. 246 C *εἴ τι πάσχοιεν* Cic. Tusc. I 104 'si quid accidisset'. Ennius ann. 125 V 'siquid me fuerit humanitus ut teneatis' (Heyius archiu. lexicogr. Lat. IX p. 456 XI p. 524). De ablatiuo uide interpretes ad Plauti Trin. 157. Reuera diutius pater poetae sospes fuit nec Lucilius eo rectore orbatus est in prima pueritia.

428. Nonius p. 513, 2 'Publicitus pro publice. Lucilius satyrarum lib. XII "huic homini questore ... corago ... *mihi* atque *episco* (e fisco *Guilelmius*) praebeat aurum".' Crepat pater poetae Lucilio prodigo quaestore aliquo opus esse atque corago, qui publice ei sumptum praebeat et aurum. Huic homini, i. e. mihi, ut Plaut. Epid. 141 'huic homini opust quadraginta minis celeriter calidis, danistae quas resoluat, et cito' Horat. serm. I 9, 47 'hunc hominem uelles si tradere' (Spengelius ad Ter. Andr. 310). — quaestore, nam is aerario praeest qui mercedem soluat: Mommsenus de iure publ. p. R. II[3] (1887) p. 553. — corago, lautia quae hospitibus p. R. publice praebentur per quaestorem nominantur *χορήγια* (Sitzungsber. der Berl. Akad. d. W. 1889 p. 964). Inscriptio Mittheil. des arch. Inst. zu Ath. XIX 1894 p. 57 '*Ἑρμῆς εἰμι Τύχων ἐκ Χαλκίδος οὗτος ἐκεῖνος Ἀντίλοχος μ' ἐποίησε πολίταις πᾶσι χορηγόν* (Insch. v. Magnes. 203). e fisco, e corbulis nummariis quales uides in anaglypho Musei Treuerorum Nouiomagensi (Hettnerus Führer d. d. Provinzialmuseum in Trier, Trier 1903 p. 16). — Imitatus esse uidetur hunc locum Horatius serm. I 4, 105 seqq.

430. Gellius IX 14, 9 'Fames fami ... M. enim Cato in oratione quam de bello Carthaginiensi composuit ita scripsit "pueri atque mulieres extrudebantur fami causa". Lucilius in XII "rugosum ... plenum".' Suppleas: rugosum atque fami plenum distendere uentrem (Plaut. Cas. 777). Rugas conducere uentris lib. XV u. 501.

431. Nonius p. 512, 20 'Firmiter pro firme. ... idem lib. XII "firmiter hoc ... fixum".' Non est quod *pariterque* temptemus: conf Verg. Aen. XI 673 'quorum alter habenas suffuso reuolutus equo dum colligit, alter dum subit et dextram labenti tendit inermem, praecipites pariterque ruunt'. — Homer. A 297 *ἄλλο δέ τοι ἐρέω. σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι* ο 27 *ἄλλο δέ τοί τι ἔπος ἐρέω, σὺ δὲ σύνθεο θυμῷ* Verg. Aen. III 388 'tu condita mente teneto'. Alii distinguunt post *hoc*.

432. Priscianus GL II p. 399, 12 K 'Assentio et assentior dissentio et dissentior in una eademque inueniuntur significatione. ... Lucilius in XII "assensus sum homini".' Epicum charactera habet uersus ut Verg. Aen. II 130 'Adsensere omnes' Pers. I 36 'Adsensere uiri'.

433. Diomedes GL I p. 365, 4 K 'Decollo decollaui. hoc uerbum apud ueteres decipio significat, ut apud Plautum (Capt. 496) "una † est decollauit"; item Lucilius duodecimo "quibus ... decollaui uictus". * quae significatio apud Fenestellam inuenitur in libro epitomarum secundo "quemadmodum Caesar a piratis captus sit utque eos ipse postea ceperit et decollauerit". ueteres autem securi caesos dicebant'. Locum et lacunosum esse et corruptum Plauti uersus demonstrat corruptus qui sic est apud Plaut.

Capt. 496 'est illic mi una spes cenatica; si ea decolabit, redibo huc ad senem ad cenam asperam' ubi codd omnes *decollabit* sicuti Casin. 307 'si sors autem decolassit gladium faciam culcitam eumque incumbam' codd habent *decollasit*. Correxit Gronouius ad Liu. XXVII 17, 4 usus loco Varronis recte tradito rer. rust. I 2, 8 'duo inprimis spectasse uidentur Italici homines in colendo, possentne fructus pro inpensa ac labore redire et utrum saluber locus esset an non. quorum si alterutrum decolat et nihilo minus quis uult colere, mente est captus' e. q. s. Itaque grammaticus uetus quem sequitur Diomedes apud Plautum duplex *ll* legerat sicuti nostri habent codices mendose nec aliter apud Lucilium. Nam credi nequit apud Lucilium *decollaui me* legi debere pro *priuaui me* positum, sed idem illud restituendum est *decolaui me* a *colo* deductum. Dixerat intransitiue Plautus *spes decolabit, sors decolassit* pro *effluet, euanescet* similitudine usus aquae in colo uel cribro sensim defluentis et pereuntis; similiter Varro *fructus decolat* ponit: sed Lucilius *fructibus me decolaui* ait transitiue et qui magis proprie decolandi uerbum adhibeat simile *percolandi* uerbo. Scripseritne Lucilius 'quibus fructibus me de Colaui uictus' rupto uerbo, an manca sint eius uerba apud Diomedem tradita difficile est ad diiudicandum: illud tamen magis uidetur esse probabile. — Fructus uictus sunt quos *fructus uitae* dicit Fronto ad M. Caesarem III 3 p. 41 N 'merito fructus uitae meae omnis in te ac tuo parente constitui': uitai fructibus Lucret. III 1007. Euripid. Meleag. 518 Nauckii (TGF² p. 526) *παῖδες δὲ χρηστοί, κἂν θάνωσι, δώμασιν καλόν τι θησαύρισμα τοῖς τεκοῦσί τε ἀνάθημα βιότου: ὑποσακίζεται τὰ χρήματα* legitur CAF III p. 523, 645 K.

435. Nonius p. 363, 7 'Protelare rursus adiuuare. . . . idem lib. XII "hunc . . . possunt".' De protelo diximus ad VI u. 248. Versus Homerici exemplo uidentur fuisse ι 240 *αὐτὰρ ἔπειτ' ἐπέθηκε θυρεὸν μέγαν ὑψόσ' ἀείρας ὄβριμον· οὐκ ἂν τόν γε δύω καὶ εἴκοσ' ἅμαξαι ἐσθλαὶ τετράκυκλοι ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν*. Cyclopean diligenter poetam legisse intellegitur e fragmentis libri XV. Modestius Ouid. metam. XII 432 'caudice qui misso quem uix iuga bina mouerent' fast. I 564 'uix iuga mouissent quinque bis illud opus'.

437. Diomed. GL I p. 487, 23 K 'Alii autem putant a faece, quam Graecorum quidam *τρύγα* appellant, tragoediam nominatam, per mutationem litterarum *υ* in *α* uersa, quoniam olim nondum personis a Thespide repertis, tales fabulas peruncti ora faecibus agitabant, ut rursum est Horatius testis sic: "Ignotum tragicae genus inuenisse Camenae . . . infecti faecibus ora" (AP 275) Alii *a* uino arbitrantur, propterea *quod* olim *τρύξ* dictitabatur a quo *τρύγητος* hodieque uindemia est, quia Liberalibus apud Atticos die festo Liberi patris uinum cantoribus pro corollario

dabatur, cuius rei testis est Lucilius in duodecimo'. Minime probabile est Lucilium nil narrasse nisi uinum Dionysiis pro corollario datum esse cantoribus, sed hoc potius ideo narrauit, quia tragoedia inde exordium suum cepisse tradebatur. Sed Graeci scriptores non de tragoedia, sed de comoedia ita tradunt: ueluti schol. Aristoph. Acharn. 499 *τρυγῳδίαν ποιῶν· κωμῳδίαν· ἤτοι διὰ τὸ τρύγα ἔπαθλον λαμβάνειν τουτέστι νέον οἶνον, ἢ διὰ τὸ μὴ ὄντων προσωπείων τὴν ἀρχὴν τρυγὶ χρίεσθαι τὰς ὄψεις* Prolegg. de comoed. II Kaibelii CGF I 1 p. 7, 6 *τὴν αὐτὴν δὲ καὶ τρυγῳδίαν φασὶ διὰ τὸ τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἐπὶ τῷ Ληναίῳ γλεῦκος δίδοσθαι, ὅπερ ἐκάλουν τρύγα, ἢ ὅτι μήπω προσωπείων ηὑρημένων τρυγὶ διαχρίοντες τὰ πρόσωπα ὑπεκρίνοντο.* Athen. II p. 40 A *Σιμωνίδης τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τίθησιν οἴνου καὶ μουσικῆς· ἀπὸ μέθης καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτόν τὸν τῆς τρύγης καιρόν ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία.* Contra et Horatius et Lucilius docent tragoediam a uino nomen et originem duxisse, hic docet Liberi cantores praemium uini cadum accepisse, ille faece uinaria illitos cantasse antiquitus. Quo auctore ita docuerint, non constat. Accius sane didascalicon libro II tractauerat similia. Mores Atticos saepissime tangit poeta, ut lib. IX u. 321 X u. 388.

XIII.

438. Nonius p. 281, 24 'Dominus rursum appellatur conuiuii exhibitor; unde et dominia conuiuia. . . . idem lib. XIII "primum . . . tollantur". Turpilius' e. q. s. Nihil probabilius uisum est Haueto Rev. d. phil. XIV 1890 p. 29 quam integrum uersum a grammatico adferri, qui secundum Lucilii consuetudinem caesuram semiquinariam habuerit in *atque* particula. Quare cum L. Muellero *tollant* scribendum duxit, *ur* ut natum sit ex sequenti *Tur*pilii nomine: quam sententiam ego quoque probaram neque *domnia* potius scribendum cum Baeherensio neque *domina* i et hic et in *omnia* extrita cum Lachmanno (comm. in Lucr. p. 73. 129) et L. Muellero, qui de *dominia* uocabuli mensura consentit cum Lachmanno, de *omnia* dissentit. Statuendum esse credidi poetam qui apud Homeri interpretes legerit passim *ἐκτετάσθαι τὴν πρώτην συλλαβήν, ὡς ἐπὶ τοῦ ἀθανάτου καὶ ἀκαμάτου* (Strab. IX p. 419 extr. Schulzei Quaest. epic. p. 141) in uocabulo proceleusmatico produxisse primam syllabam ut uulgo fit in *reliquiae religio*. Tamen talia uitasse se poeta demonstrat incert. u. 1295: passiuum *tollantur* hic unice aptum est, actiuum *tollant* languidum. De

omnia disyllabo constat Vergilii uersibus (Aen. VI 33 georg. IV 221 ubi uide interpretes), ubi item in exitu uersus ponitur qua sede uersus Lucilium synizesin sicuti alios admisisse apparet u. 328. Itaque Lachmannum sequi melius esse nunc arbitrati sumus: uide indic. gramm. s. u. synizesis. — Dominium appellatur non quoduis conuiuium, sed epulae sollemnes hominum nobilium ad quos conuersus Cicero Verr. III 9 'huius argento dominia uestra, huius signis et tabulis forum comitiumque ornari?' Gell. II 24, 2 'senatus decretum uetus . . . in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est mutua inter sese dominia agitarent, iurare . . . non amplius in singulas cenas sumptus se esse facturos quam centenos uicenosque aeris' e. q. s. Neque obscurum est quo spectet Lucilii uersus: 'primum', inquit, 'non singula, sed omnia conuiuia collegiorum et sodalicia ipsa tollant' qui luxuriam et annonae caritatem tollere student. Nam illae collegiorum cenae causa et origo sunt luxuriae et sumptus: Varro rer. rust. III 2, 16 'sed ad hunc bolum (*id est lucrum ex turdis diuenditis factum*) *ut* peruenias, opus erit tibi aut epulum aut triumphus alicuius, ut tunc fuit Scipionis Metelli, aut collegiorum cenae, quae nunc innumerabiles excandefaciunt annonam macelli' e. q. s. Reuera 'L. Iulio C. Marcio consulibus (690/64) . . . senatus consulto collegia sublata sunt quae aduersus rempublicam uidebantur esse . . . post † nouem deinde annos quam sublata erant P. Clodius tr. pl. lege lata restituit collegia (696/58)' auctore Ascon. in Pison. p. 6, 20 K S. Anno 698/56 'senatus consultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent' (Cic. ad Quint. fr. II 3, 5).

440. Nonius p. 216, 17 'Ostrea . . . neutri . . . idem lib. XIII "hoc . . . empta".' Anno 639/115 conchylia M. Aemilius Scaurus consul traditur ademisse cenis lege sua sumptuaria: 'glires quos censoriae leges princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cenis ademere ⟨*ac*⟩ conchylia aut ex alio orbe conuectas aues' (Plin. nat. hist. VIII 223). Sed consulem omnia omnino conchylia mensis adhiberi uetuisse credi nequit, quia legibus sumptuariis et Italici tenebantur (Macrob. III 17, 6) et homines ad oram maritimam habitantes arcere isto cibo insanum erat. Agi uidetur tantummodo de nimis pretiosis ostreis et de conchyliis luxuriae causa ad cenam comparatis extraneis et transmarinis sicuti l. s. de auibus eiusdem generis: item postea censores unguenta exotica et uina Graeca oppressere (Plin. l. s. XIII 24 XIV 95). Sed in cena qui milibus nummum ostrea empta dabit, is et Fannia et Licinia lege tenetur quae ne festis quidem diebus plus quam centenos aut ducenos asses impendi in cenam passae sint (Gell. II 24, 5. 7 Macrob. III 17, 9). De turbis lege illa Aemilia sumptuaria lata anno 639/115 Romae factis uidetur hoc libro actum esse

Versus initium extat ap. Lucret. VI 299 'hoc fit idem in partis alias' = 1017.

442. Nonius ex grammatico p. 511, 16 'Ampliter. Lucilius lib. XIII "nam sumptibus magnis extruct*am* ampliter *atque cum* accumbimus *mensa*".' Ex eodem Priscianus GL III p. 71, 2 K 'Lucilius ampliter, ignauiter'. Licet Accius dixerit in tragoedia (217 R) 'accumbat mensam', cautius erit ablatiuo loci *mensa* tradito niti in emendandis uersibus corruptis sicuti Vergil. Aen. I 79 scripsit 'tu das epulis accumbere diuom'. Proposuit *atque unctam cum* Franckenus, *ac decumanam* Lachmannus, *atque apte cum* L. Muellerus, alii alia: ego arbitror ueluti *opibus* aut *epulis* excidisse. Extruere proprie est mensarum: Cic. Tusc. V 62 'mensae conquisitissimis epulis extruebantur' de sen. 44 'caret epulis extructisque mensis' in Pis. 67 'extructa mensa non conchyliis . . . sed multa carne subraucida' Ouid. met. XI 120 'mensas posuere ministri extructas dapibus'.

444. Nonius p. 204, 17 'Epulum generis neutri est. feminini Lucilius satyrarum lib. XIII "idem . . . atque *epulatio* iouis omnipotentis"; qui uersus utrumque designat. Vergilius lib. VI (604) "Epulaeque ante ora paratae regifico luxu".' *Epulae Iouis* Lipsius. Versus exitus ex Ennii annalibus est sumptus (458 V) 'riserunt omnes risu Iouis omnipotentis'. Sententiam recte hanc statuit esse Lachmannus 'idem cibus eaedemque epulae in epulo Iouis optimi maximi'. Nam epulum Iouis (Marquardtii Mommseni antiquit. Rom. VI [1885] p. 348) non potest non agnosci hoc uersu, cuius sententia quo spectet obscurum est. Neque tamen uidetur agi de cenis Capitolinis lautissimis (Martial. XII 48, 12) quibus delectabantur nobiles in epulo Iouis, sed de cibis eis qui Ioui ipsi in uasculo fictili apponebantur more maiorum tenues et inopes ita ut poeta dixerit 'tu hunc contemnis cibum ut uilem "et non, pauper uti, Samio curtoque catino" (u. 445) uti uoles in cena: at idem cibus in epulo Iouis omnipotentis apponitur ubi etiam uasis Samiis contentus est deus'. Conf Senec. epist. 98, 13 'Tubero paupertatem et se dignam et Capitolio iudicauit, cum fictilibus in publica cena usus ostendit debere iis homines esse contentum, quibus di etiamnunc uterentur' Athen. VI p. 274, ubi de lege Fannia a triumuiris Stoicis religiose obseruata agitur (C—F), antea Larensis Posidonio usus haec de Romanorum moribus profert '*τοῦτο δ' ἔστιν ἐκ τῶν πατρίων θυσιῶν ὧν ἐπιτελοῦμεν ἰδεῖν . . . κεράμεα δὲ καὶ χαλκᾶ τὰ διακονήματα κομίζομεν κἀν τούτοις βρωτὰ καὶ ποτὰ πάντων ἀπεριεργότατα, ἄτοπον ἡγούμενοι τοῖς μὲν θεοῖς πέμπειν κατὰ τὰ πάτρια, αὑτοῖς δὲ χορηγεῖν κατὰ τὰ ἐπείσακτα*'.

445. Nonius p. 398, 24 'Samium est testeum. Lucilius satyrarum lib. XIII "et non *pauperitiae* samio curtoque catino".

M. Tullius de re publica [*lib. III* "et non *pauper uti*] oratio". et in lib. VI (2, 2 M) "Laeli"' etc. (Iunius 'M. Tullius de repub. libro VI "extat oratio (*oratio exstat* Mercerus) Laelii"'.) De Samiis uasis conf ad lib. VII u. 280. Plaut. Stich 693 'quibus diuitiae domi sunt, scaphio et cantharis batiocis bibunt, at nos nostro Samiolo poterio' Cic. pro Mur. 75 '... Q. Tubero. Is cum epulum Q. Maximus P. Africani ... nomine populo Romano daret, rogatus ... a Maximo, ut triclinium sterneret ... strauit pelliculis haedinis lectulos Punicanos et exposuit uasa Samia'. Vasa Samia terrena etiam Plinii tempore 'in esculentis laudantur' (nat. hist. XXXV 160), sicuti aetate Lucilii: adde ad Her. IV 64 extr. Gutum Samium memorat Gell. XVII 8, 5. De uasis Samiis Isidor. orig. XX 4, 3. 6. — curtoque catino] Pers. IV 52 'noris quam sit tibi curta supellex' Lucr. IV 1026 'dolia curta' appellat amphoras urinam quae capiant meientium.

446. Nonius ex grammatico p. 151, 12 'Pasceolus, ex aluta sacculus. ... Lucilius lib. XIII "adde ... pasceolum *alutamen*".' Agitur de hominibus, qui optima quaeque diuersis e regionibus arcessere solent delicati et sumptuosi (Varro sat. Menipp. 403 B Athen. VII p. 278 D Theophr. charact. 5 p. 37 edit. Lips. 1897) ueluti Trimalchio Petronii (cap. 38) 'arietes a Tarento emit, ... apes ab Athenis iussit afferri, ... scripsit ut ... ex India semen boletorum mitteretur'. In Sicilia inprimis corium fiebat bonum: Strabo VI p. 273 extr. *καλοῦσιν αὐτὴν ταμεῖον τῆς Ῥώμης· κομίζεται γὰρ τὰ γινόμενα πάντα πλὴν ὀλίγων τῶν αὐτόθι ἀναλισκομένων δεῦρο· ταῦτα δ' ἐστὶν οὐχ οἱ καρποὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοσκήματα καὶ δέρματα καὶ ἔρια καὶ τὰ τοιαῦτα.* Cic. Verr. II 5 'nam sine ullo sumptu nostro coriis, tunicis frumentoque suppeditando maximos exercitus nostros uestiuit'. Syracusis sola, i. e. sola Syracusana ut incert. u. 1276 'Aegypto sargus' 'hospitem Zacyntho' Plaut. Merc. 940, 'Periphanes Rhodo mercator' Asin. 499. *Optimam* suppleui ut Cato de agr. cult. 135 'Romae dolia ... tegulae ex Venafro ... iuga Romanica optima erunt' e. q. s.

447. Nonius p. 425, 14 'Fors et fortuna hoc distant: fors est casus temporalis, fortuna dea ipsa est ... Lucilius satyrarum lib. XIII "cui ... fors".' *Parilis* uocabulum non uidetur inueniri ante Lucilium. *Locus* significat genus nobile et ordinem honestum: Cic. Lael. 94 'multi autem Gnathonum similes cum sint loco, fortuna, fama superiores' e. q. s. Si non integrum est enuntiatum quod hoc uersu continetur, aut *par* sequebatur in sequenti uersu aut *simile* uocabulum: si integrum est, quod est probabilius, melius erit *fatum* habere pro genetiuo plurali quam tacite ad *fatus* uocabuli accusatiuum *parilem* supplere uel ad *fatum* neutri generis ex antecedenti *parile*. — tulit fors] fors a ferendo dicta: Ter. Phorm. 138 'quod fors feret, feremus aequo animo' Sallust. Iug. 78, 2 'cetera, uti fors tulit' Ouid. metam. I 297 'figitur in uiridi, si fors tulit, ancora prato' ubi uide Heinsii adnot., fortuna et fors ut Archiloch. 16 B *πάντα τύχη καὶ μοῖρα, Περίκλεες, ἀνδρὶ δίδωσι.* 'Fatum autem a fortuna separant et fortunam, quasi sit in his, quae fortuitu ueniunt, ⟨*definiunt*,⟩ nulla palam causa, fatum uero appositum singulis et statutum' Isid. orig. VIII 11, 94. — 'cui parilem locum tulit' ut Ennius ann. 109 V 'o Tite ... tibi tanta tyranne tulisti'.

448. Nonius p. 519, 12 'Veterum memorabilis scientia paucorum numerum pro bonis ponebat, multos contra malos appellabant. ... idem lib. XIII "unus ... sit".' Quid dicat poeta intellegas collatis Cic. de fin. II 66 'Tenuis L. Verginius unusque de multis ... filiam sua manu occidit potius, quam ea Ap. Claudii libidini, qui tum erat summo imperio, dederetur'. Tusc. I 17 'explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo ... sed ut homunculus unus e multis' Brut. 274 '(*M. Calidius*) non fuit orator unus e multis, potius inter multos prope singularis fuit' Plin. ep. I 3, 2 'si te possident, felix beatusque es: si minus, unus ex multis'. Demosth. in Mid. 96 *καὶ ταῦτα πέπονθεν ὑπὸ Μειδίου καὶ τοῦ Μειδίου πλούτου καὶ τῆς ὑπερηφανίας παρὰ τὴν ἐρημίαν ... καὶ τὸ τῶν πολλῶν εἷς εἶναι* (Dionys. Hal. archaeol. VI 96, 1 VII 68, 4). Et de Sophocle Ion ap. Athen. XIII 604 D *τὰ μέντοι πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων.* Itaque agitur de homine qui ingenio non praestans, sed quasi unus est de populo: 'sum paullo infirmior, unus multorum' Hor. serm. I 9, 71. Philippid. CAF III p. 306, 18 K *εἶναι δ' ὑπόλαβε καὶ σὲ τῶν πολλῶν ἕνα.* De *modo* posito pro iambo conf lib. XXVII u. 703 et Lachmanni comment. ad Lucret. p. 140. 141.

449. Nonius p. 261, 5 'Cernere rursum disponere. ... idem lib. XIII "acribus ... cernit".' Fretus Nonii interpretatione *crerint* scripsit Lachmannus, *cernunt* Franckenus: neque tamen *inter se* bene positum uidetur si hanc interpretationem amplectimur ueluti 'ambae gentes acribus inter se cum armis confligere cernunt uel crerint'; nam languet et superuacaneum est. Melius erit seruare *cernit* nec curare Nonii interpretationem: cernit opinor Iuppiter duas gentes armis inter se confligere sicuti apud Homerum Θ 51 *αὐτὸς δ' ἐν κορυφῇσι καθέξετο κύδεϊ γαίων εἰσορόων Τρώων τε πόλιν καὶ νῆας Ἀχαιῶν. οἳ δ' ἄρα ... Ἀχαιοὶ ... ἀπὸ δ' αὐτοῦ θωρήσσοντο. Τρῶες δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ἀνὰ πτόλιν ὡπλίζοντο,* similiter Neptunum inducit N 10 seqq. Vterque locus clarus Scipionis fuit dicto quod seruauit Appian. Lib. 71 *ὁ δὲ Σκιπίων ἐθεᾶτο τὴν μάχην ἀφ' ὑψηλοῦ καθάπερ ἐκ θεάτρου. ἔλεγέ τε πολλάκις ὕστερον ... δύο πρὸ αὐτοῦ τὴν τοιάνδε θέαν ἰδεῖν ἐν τῷ Τρωικῷ πολέμῳ, τὸν Δία ἀπὸ τῆς Ἴδης καὶ τὸν Ποσειδῶνα ἐκ Σαμοθρᾴκης.*

inter se confligere Cic. Cat. II 25 'si . . . causas ipsas, quae inter se confligunt, contendere uelimus'; in Pison. 20 'ne armis confligeret'.

450. Nonius p. 425, 16 'Fors et fortuna hoc distant. . . . idem in eodem "aut forte . . . quid *cursum* ad honorem".' Pro *cursum* Lachmannus et L. Muellerus *rursum* posuere, ego arbitror me rectius tradita esse interpretatum cum posuerim *quorsum:* Cic. de legg. I 4 'Quorsum tandem aut cur ista quaeris?' cod Vossianus B manu priore praebet *cur sum:* eadem corruptela Val. Max. I 6 ext. 2 III 2, 19. Praecepta dat poeta de bello gerendo qualia in L. Aemilii Pauli domo obseruabantur. Consulem anni 538/216 his uerbis commonet Q. Fabius Maximus apud Liuium XXII 39, 20 'omnia audentem contemnet Hannibal, nihil temere agentem metuet. nec ego, ut nihil agatur ⟨*moneo*⟩, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna. tuae potestatis semper tu tuaque omnia sint . . . neque occasioni tuae desis neque suam occasionem hosti des'. Simile fuit filii iudicium et nepotis: Gell. XIII 3, 6 'cum legerem Sempronii Asellionis . . . quartum ex historia librum, in quo de P. Africano, Pauli filio, ita scriptum est: "Nam se patrem suum audisse dicere, L. Aemilium Paulum, *numquam* (nimis codd) bonum imperatorem signis conlatis decertare, nisi summa necessitudo aut summa occasio data esset"'; idem dictum Africani tradunt Appian. Iber. 87 Valer. Max. VII 2, 2 Veget. III 26 p. 123, 1 Lang. Itaque poeta dixerat: 'fortuna caeca est neque gloriam neque honorem parit sola neque imperator bonus omnia se debere uolet casui aut forte omnino ac fortuna uincere bello. Si forte ac temere omnino quid, quorsum? ad honorem?' In ellipsibus satis audax est poeta: supplendum est et *pertinet* et *fit* ut Cic. de diuin. II 20 'de quo alias; nunc quod necesse est. Si omnia fato, quid mihi diuinatio prodest?' Cic. Brut. 292 'Quorsus, inquam, istuc? Non enim intellego'.

452. Seruius auctus in librum IV georgicon Vergilii u. 25 'Et inertem hic pro otioso posuit . . . quae uox ponitur pro ignauo . . . et pro eo qui sine arte sit, ut apud *Lucillum* in tertio decimo "ut . . . non *est* ulla".' Idem ad Aeneidis IV 158 'inertia autem pro ignauis et innocuis posuit . . . nam iners proprie quid sit Lucilius declarat "ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla".' Similiter ad Her. III 7, 13 'principio tractato . . . narratio non erit ulla'. Eadem etymologia ap. Cic. de fin. II 115 'lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a maioribus nominabantur'. Ludit hac etymologia Varro sat. Menipp. 359 B 'artemque expromis inertem' Ouidius art. am. III 208 'non est pro uestris ars mea rebus iners'. Similitudinis lege adhibita explicarat poeta uocabuli alicuius ueluti *inops* significationem per etymologiam: Varro de l. Lat. V 92 'opulentus ab ope . . . ab eadem inops qui eius indiget'.

XIV.

453. Charisius GL I p. 106, 24 K (Beda GL VII p. 285, 23 K) '*Palumbes* Vergilius feminino genere dixit (ecl. III 69 I 57: conf p. 140, 14) . . . sed Lucilius XIIII (XVI excerpta Cauchiana) masculine "macrosque *palumbos*". Varro autem in Scauro *palumbi* dicit, quod consuetudo quoque usurpauit'. Nonius ex grammatico p. 219, 6 '*Palumbi:* feminino Vergilius in bucolicis . . . palumbes. masculino Lucilius lib. XIIII "macrosque palumbes".' *Palumbos* ap. Charisium legerat Beda, nullius enim est momenti quod cod Paris. Bedae praebet solus corrupta uerba *macorque palumbes.* Sed uidetur in scriptura errasse librarius archetypi Charisii, ideo quia *palumbus* apud poetas uetustiores non inuenitur, sed ubique legitur *palumbes:* praeterea, ut L. Muellerus monet, uerba Charisii ipsius 'Varro *autem* . . . *palumbi* dicit' e. q. s. antea *palumbes* scriptum fuisse apud Charisium aperte demonstrant. — *Palumbes* Plaut. Bacchid. 51 Poen. 676 Pompon. 41 R Cic. ap. Seru. eclog. I 57 Hor. serm. II 8, 91 carm. III 4, 12: *palumbus* Sabini dixere Cato de agri cult. 90 Varro rer. rust. III 9, 21 id. ap. Charis. l. s. s. — Macros turdos Muellerus comparat Horatii serm. I 5, 72. — Dousa haec uerba posuit numero 19 lib. XIV, cui tribuit reuera Neapolitanus illi ignotus, etiamsi in adnotatione locum Charisii secundum editiones uulgares scribat 'sed Lucilius XV masculine', in commentario hanc lectionem Charisii iterum adferat ubi temere conicit reuera 'ad V transferenda' uerba illa esse. Quod recte lib. XIV filius in editione posuit, id codicis sui auctoritate commotum iam patrem fecisse suspicor, cuius rationem filius non intellexit: excerpta Cauchiana quod exhibent XVI, id simili errore factum esse uidetur atque lib. XI u. 426.

454. Charisius GL I p. 79, 15 K 'Caseus masculini generis est. . . . et Lucilius XIIII "caseus *ala molis* (sic Coloniensis: editio prima *ala molliet,* Neapolitanus *ala mol lit* aut *alumol liet.* Coloniensi deperdito, de quo Dousa in Lucilii edit. XIV 18 adn., fidem esse maiorem saepe habendam quam Neapolitano diximus ad IX u. 362 XI u. 401. Itaque *molis* illud uix aliud poterit esse quam adiectiuum *mollis* quod epitheton casei fere sollemne est: Cels. II 20 'lac, caseus mollis' Scribon. Larg. cap. 140 'ueteratum caseum mollem' 158 'caseus mollis recens' Pomponius ap. Charis. l. s. 'caseum molle' Plaut. Capt. 851 'mollem caseum' (Poen. 367); AP XI 74, 3 τυροὺς ἁπαλούς. Varro rer. rust. II 11, 3 'cum molles sint magis alibiles, in corpore non resides' Paul. ex Fest. p. 90 'fiscellus casei mollis appetitor'. *Mollis* iam Hauetus proposuit Rev. d. phil. XIV 1890 p. 131, *ala* pro *aula* quare scriptum fuerit, omnes sciunt qui linguae uulgaris nouerunt proprietates.

456. Nonius p. 477, 10 'Manducatur pro manducat. ... idem lib. XIIII "cum illud ... ore".' Cenabimus bene, cum illud quid faciat, quod manducamur in ore, quo stare possit corpus nostrum et ualetudo nostra. *Quid* pro *aliquid* cum *facere* uocabulo Lucr. I 440 'aut faciet quid' Cic. de diuin. II 125 'nec frustra ac sine causa quid facere dignum deo est' de fin. III 71 'non modo iniuriam cui facere' Caes. b. c. III 32, 3 'qui horum quid acerbissime crudelissimeque fecerat'.

457. Priscianus GL II p. 215, 7 K 'Hilum enim pro ullum uetustissimi proferebant. Lucilius in XIIII "naumachiam ... uiuas".' Ludi enumerantur adulescentulorum: de naumachia (*νεῶν ἅμιλλα*: Dittenbergerus ad Syllog.² 668, 78) Seruius ad Verg. Aen. V 114 'Punico bello primum naumachiam ad exercitium instituere Romani coeperunt, postquam probarunt ⟨*apud*⟩ gentes ⟨*se*⟩ etiam nauali certamine plurimum posse: ad quam rem in hoc certamine plurimum adludit poeta'. Naumachiam praeterea contemplari poterat poeta in Neapolitano: conf Auson. Mosell. 218. Altero loco ludus duodecim scriptorum memoratur, quo calculis in alueo ludere solebant. *Calces* posuit quia calculos plurali numero metrum non capit: Anth. Lat. I (1894) Riesei 193 p. 159 'In parte alueoli pyrgus uelut urna resedit ... sub quarum iactu discordans cauculus exit' e. q. s. Qui ludus P. Mucii Scaeuolae sollertia inprimis inclaruit illis temporibus quem 'alueo quoque et calculis interdum uacasse' Valer. Max. VIII 8, 2 tradit, 'pila bene et duodecim scriptis' lusisse Cic. de or. I 217 Quintil. XI 2, 38. Agitur de uanis hominum studiis gloriae honorum diuitiarum: haec ludibria sunt, licetque haec naumachiam et puerorum lusus putare (Dio Prus. VIII 16 I p. 98, 27 Arnim.). His si delectabere, ne minimum quidem proficies in recte uiuendo. At ueritatis et philosophiae studio si delectaberis, senties te pectore purgari rectiusque uitam agere castigatam studiis ingenuis. *Rectius uiuas*, ut Hor. carm. II 10, 1 epist. I 2, 41. 6, 29. 8, 4. 16, 17. II 2, 213. Epicureus ita loqui uidetur: Lucretius II 11 'certare ingenio, contendere nobilitate, noctes atque dies niti praestante labore ad summas emergere opes rerumque potiri ... 47 quod si ridicula haec ludibriaque esse uidemus' e. q. s.

459. Nonius ex grammatico p. 426, 4 'Antiquior, melior. ... Lucilius lib. XIIII "quin potius *uita* (*uitam* olim impressi) ... *quantu* antiquius ... *uidearis*".' *uiderist* Lachmannus. Commendat alter causidico uitam quietam: 'melius erit remotam a iudiciis, pacatam uitam degere et tranquillam!' Respondet alter: 'quanto antiquius quam facere hoc, est iudicio publico damnari'. Epicuri discipulus prior loqui uidetur (Lucr. V 11). — De *quin* cum coniunctiuo conf incert. u. 936; lib. XXX u. 1037; quin potius Titius ap. Macrob. Sat. III 16, 16 Liu. XXVI 19, 8. —

Quanto recte Dousa, nam saepe ita loquitur Horatius in saturis I 2, 47. 73. 3, 83 II 1, 21. — *facere hoc*, quod antea u. 459 memoratum erat, uitam quietam degere: Cic. pro Cluent. 56, 153 'se ... uitam illam tranquillam et quietam, remotam a procellis inuidiarum et huiuscemodi iudiciorum sequi maluisse'. — *fecisse uideri* de damnatis locutio sollemnis: conf lex de repet. CIL I 198, 42 Cic. ad. Att. IV 17, 5 in Verr. V 6, 14 pro Caec. 25, 73 in Pis. 40, 97 'tum tu ipse de te "fecisse uideri" pronuntiauisti'.

461. Nonius p. 230, 18 'Vulgus neutro genere solum dici putant. Lucilius satyrarum lib. XIIII "dilectum ... habere". Masculino Sisenna historiarum lib. III "inperitum concitat uulgum".' Neutro genere apud Lucilium *uulgus* dici manifestum est accusatiuo *uulgus*. Itaque *dilectum* non pertinet ad *uulgus*, sed ad hominem quendam, quem uulgus carum habet. Cassius in Cic. epist. XII 12, 4 'mirifice te diligit carumque habet' Cic. pro Balb. 59 'ut eos qui principes fuerunt conseruandae salutis aut dignitatis meae diligitis et caros habetis' (Thielmannus arch. lexic. Lat. II 1885 p. 385). Dixerat poeta: 'ego quidem non inuideo ei, quem dilectum uideo studiose uulgus habere'.

462. Nonius p. 519, 9 'Veterum memorabilis scientia paucorum numerum pro bonis ponebat, multos contra malos appellabant. ... Lucilius satyrarum lib. XIIII "non paucis malle (*male* Guelferb.) *acsa sipientibus* (ita L m. 1: *ac sia sapientibus* G) ... NEHYECCI HATAHOMENOICIN ANACCEIN".' Librarium archetypi in Graecis K pro H habuisse apparet: descripsit igitur librum capitalibus litteris exaratum quo in genere scripturae illae ab imperitis non poterant dinosci. Fortasse Scipionis dictum narrat Lucilius qui Homeri uersus saepenumero habuit in ore (Plut. Ti. Gracch. 21 Appian. Lib. 71. 132) uulgusque contempsit ([Plut.] apopthegm. Scip. min. 22). Heraclitus *ὁ ὀχλολοίδορος* similiter dixerat *εἷς ἐμοὶ μύριοι* (fragm. 49 D AP VII 128 Cic. ad Att. XVI 11, 1 II 5, 1 Brut. 191). Versus Graecus antiquitus uidetur scriptus fuisse litteris Latinis: nam HATAHOMENOICIN uidetur nunc esse, quod in archetypo fuerat KATAΠΘIMENOICIN, quod Latinum est *catapthimenoisin*. Nam *Pthia* similia dicunt Latini. Antecesserunt fere haec: 'quem credimus porro'.

464. Nonius p. 533, 29 '*Cercyrus* nauis est Asiana pergrandis. ... idem lib. XIIII "ad ... *etbatanam* ... *cyrcerum* sumam (*summam* Guelferbytanus)".' De cercuro diximus ad lib. VII u. 316. Ecbatanam, ut Oros. V 10, 8 VI 4, 9 Ptolem. VIII 21, 9: Vulg. Maccab. II 9, 3 iam Muellerus attulit. Bouterwekius de Lucilio satirico p. 9 alios secutus haec uerba arbitratur esse Lucilii ipsius negantis sese munus eiusmodi suscepturum: quod parum probabile esse apparet uel inde, quod uerba tam distincta non possunt non spectare ad rem certam ac ueram. Dicuntur illa sine dubio

a uiro summae dignitatis in republica, qui sese legatum populi Romani ad regem quendam, Rhodum, in Syriam esse iturum narrat, ab eodem ni fallor consulari uel praetorio qui dicit u. 467. 468 'Publius Pauus mihi . . . quaestor Hibera in terra fuit, lucifugus, nebulo, id genus sane'. Vt breuis sim, Lucilius hoc libro Scipionem induxit loquentem, quem a sapiente Lucilio scriptum esse et iustum et fortem tam Horatius dicit quam ex poetae ipsius fragmentis efficitur. Tangitur hoc fragmento legatio illa Aemiliani qua inter annos 614/140 et 616/138[1]) totum fere orbem terrarum obiit persaepe a scriptoribus laudata. (Conf de tempore huius legationis Mus. Rhen. XXXIX 1884 p. 68—71 Vngerum Philol. LV 1896 p. 97.) Cic. Acad. II 5 tradit 'Africani . . . in legatione illa nobili quam ante censuram obiit Panaetium unum omnino comitem fuisse'. Recte Mueller fragm. hist. Gr. II p. XX statuit Ciceronem hoc loco errare Scipionemque post censuram legationem illam suscepisse: argumentis ibi prolatis adde hoc, quod Plutarchus q. d. in apopth. Scip. min. optimis ille quidem fontibus usus legationis ante bellum Numantinum, post censuram Scipionis meminit sicuti facit Cic. de rep. VI 11 'Cum autem Karthaginem deleueris triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum Syriam Asiam Graeciam' e. q. s. Posidon. ap. Plut. cum princ. esse philos. p. 777 A *Σκιπίων . . . ὅτε αὐτὸν ἡ σύγκλητος ἐξέπεμψεν 'ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα'* (Clitom. ap. [Plut.] apopth. Scip. min. 13. 14. Polyb. ap. Athen. VI p. 273 A Val. Max. IV 3, 13 de uir. ill. 58). Vectus est primum Alexandream ad regem Ptolemaeum Physconem Sp. Mummio et L. Metello comitibus (Iustin. XXXVIII 8, 8 Posidon. ap. Athen. XII p. 549 D). Diodor. XXXIII 28ª 3 porro narrat *Οἱ μὲν οὖν πρεσβευταὶ κατασκεψάμενοι τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐπὶ Κύπρου κἀκεῖθεν ἐπὶ Συρίας τὴν ἀναγωγὴν ἐποιήσαντο. Καθόλου δὲ καὶ τὰ πλεῖστα μέρη τῆς οἰκουμένης ἐπῆλθον κτλ.* Rhodi Scipionem fuisse Cicero testatur de rep. III 35, 48 'Quid? tibi tandem, Spuri, Rhodiorum, apud quos nuper fuimus una, nullane uidetur esse res publica?' Denique Pergamum eum uenisse [Lucian.] Macrob. 12 narrat *Ἄτταλος δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Φιλάδελφος, τῶν Περγαμηνῶν καὶ οὗτος βασιλεύων* (595/159—616/138), *πρὸς ὃν καὶ Σκιπίων ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ἀφίκετο κτλ.* Conf E. Linckeus P. Cornelius Scipio Aemilianus Dresd. 1898 p. 25 Croenertus Sitzungsb. d. Berlin. Akad. 1904 p. 476. 477. Missus est Scipio *ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς κατὰ τὴν οἰκουμένην βασιλείας ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσιν* (Athen. VI p. 273 A). Praeterea piratarum (conf ad Lucil. incert. u. 1292) contumaciam et audaciam comprimere curae erat Romanis: Strab. XIV p. 668 *τοῖς δὲ Κίλιξιν ἀρχὴν τοῦ τὰ πειρατικὰ συνίστασθαι Τρύφων* (612/142—616/138) *αἴτιος κατέστη καὶ ἡ τῶν βασιλέων οὐδένεια τῶν τότε ἐκ διαδοχῆς ἐπιστατούντων τῆς Συρίας ἅμα καὶ τῆς Κιλικίας* p. 669 *Συνήργουν δ' εἰς ταῦτα καὶ οἱ τῆς Κύπρου καὶ οἱ τῆς Αἰγύπτου βασιλεῖς ἐχθροὶ τοῖς Σύροις ὄντες· οὐδ' οἱ Ῥόδιοι δὲ φίλοι ἦσαν αὐτοῖς ὥστ' οὐδὲν ἐβοήθουν· ἅμα δὲ καὶ οἱ λῃσταὶ προσποιούμενοι σωματεμπορεῖν ἄλυτον τὴν κακουργίαν εἶχον. Ἀλλ' οὐδὲ Ῥωμαῖοί πω τοσοῦτον ἐφρόντιζον τῶν ἔξω τοῦ Ταύρου, ἀλλ' ἔπεμψαν μὲν καὶ Σκιπίωνα τὸν Αἰμιλιανὸν ἐπισκεψόμενον τὰ ἔθνη καὶ τὰς πόλεις καὶ πάλιν ἄλλους τινάς, ἔγνωσαν δὲ κακίᾳ τῶν ἀρχόντων συμβαῖνον τοῦτο κτλ.* Inprimis regni Syriaci turbas, quas rege Antiocho VI anno fere 611/143 uel 612/142 a Tryphone occiso motas esse aegre ferebant Romani, componere oportebat legatos: conf Niesei histor. ciuit. Graec. III (1903) p. 283. — Ecbatanis et Babylone illo tempore regnabat Demetrius II Nicator (609/145—615/139: conf A. Holmii hist. Gr. IV (1894) p. 533. 553 Wilckenus Paulyi Wissowae encycl. s. u. Antiochos VI Epiphanes Dionysos). Nominat Scipio praeter Babylonem Ecbatana quod sciebat aestate regem degere solere Ecbatanis (Xen. anab. III 5, 15 Strab. XI p. 524). Reuerane petierit has urbes an postea abiecerit consilium, nihil ad hunc uersum. Nam Lucilius Scipionem hoc libro induxit cursum legationis suae pronuntiantem quod fecerat anno fere 614/140 Romae coram amicis suis. Quem regem dicat, Ptolemaeum illum an Demetrium II, Nicator qui audiebat, cuius illo tempore erat Babylon (conf Nieseus l. s. p. 289, 5), non liquet: Rhodi insulae nomine interposito adducimur ut Ptolemaeum potius intellegamus. Easdem duas urbes quas Lucilius Orosius V 10, 8 quoque nominauit in historia illius temporis 'Isdem temporibus (624/130) Antiochus (*VII Sidetes*), non contentus Babylona atque Ecbatana, totoque Mediae imperio, aduersus Phrahatem, Parthorum regem, congressus et uictus est'. Ne hoc quidem pro certo licet affirmari, eadem uia reuera Aemilianum postea uectum esse, quam hoc loco apud Lucilium in itineris praeparatione indicauit. Nam secundum Diodorum l. s. s. Alexandria profecti *ἐπὶ Κύπρου κἀκεῖθεν ἐπὶ Συρίας τὴν ἀναγωγὴν ἐποιήσαντο*, apud Lucilium Alexandrea Rhodum quo pacto iter fiat dixerit aliquis indicari his uersibus 466 incert. u. 1291:

Carpathium mare transuectus cenabis Rhodi
⟨*qua*⟩ Rhodus Carpathium in pelagus se inclinat apertum

quos uersus propter Rhodi insulae nomen huic libro attribuit L. Muellerus. Sed uide ad u. seq.

1) Anno 614/140 Romae erat Scipio quo anno Claudius Asellus erat tribunus plebis: uide ad lib. XI u. 396: anno 616/138 Romae Cottam accusauit auctore Liuio Oxyrhynch. Pap. uol. IV p. 115.

466. Seruius auctus ad Vergilii georgica IV 387 (Est in Carpathio Neptuni gurgite uates) 'Carpathio, Aegyptio. Carpathos enim insula est Aegypti, uel ut Pompeius dicit Rodiorum. alii sic: Carpatium mare inter Rodum et Alexandriam quod † obesse (appellatum esse *Lachmannus*) dicitur a Carpatho insula, ut *Lucillius: "Carphatium* mare transuectus cenabis Rodi". ... Carpathos insula est contra Aegyptum, a qua uicinum pelagus Carpathium appellatum est' e. q. s. Seruius ad Aen. V 595 'Carpathium mare inter Aegyptum et Rhodum' Isid. orig. XIV 6, 24 'Carpathos ... a meridie posita contra Aegyptum ... a qua Carpathium mare appellatum est ... est enim inter Aegyptum et Rhodum' Lact. Placid. ad Stat. Theb. I 181 'mare Carpathium, id est Aegyptium, nam Carpathus insula est inter Aegyptum et Rhodon'. Quae omnia ex Vergilii commentario Seruiano ducta esse apparet. Strabo tamen X p. 488 inter Carpathion pelagus et Aegyptum docet interponi mare Aegyptium. Idem fere iter atque Scipio postea suscepit Maecius Celer Statii amicus, qui Puteolis Alexandriam, inde in Asiam iter fecit. Quem Statius silu. III 2, 83 his uersibus alloquitur 'quis cuncta pauenti nuntius, an facili te praetermiserit unda Lucani rabida ora maris, num torta Charybdis fluctuet aut Siculi populatrix uirgo profundi, quos tibi currenti praeceps gerat Hadria mores, quae pax Carpathio, quali te subuehat aura Doris Agenorei furtis blandita iuuenci' (conf Theb. I 181) ... 101 'Isi ... nunc regina Phari ... excipe multisono puppem Mareotida sistro' 106 'ipsa manu placida per limina festa sacrosque duc portus urbesque tuas' 121 'usque et in Assyrias sedes mandataque castra prosequere et Marti iuuenem, dea, trade Latino' ... 135 'inque uicem medios narrabimus annos, tu rapidum Euphraten et regia Bactra sacrasque antiquae Babylonis opes et Zeuma' e. q. s. Denique uerba 'cenabis Rhodi': — ante quae posita erant ueluti haec *cum mane solueris* — uidentur indicare non longi spatii iter, quale est dierum IV (Diodor. III 34, 7) inter Alexandriam et Rhodum, sed breuius quoddam ueluti unius diei, quale inter Cretam est et Rhodum: ubi reuera esse mare Carpathium a Strabone dici supra uidimus. Itaque cum Cicero de rep. VI 11 uerbis 'cum ... obieris legatus Aegyptum Syriam Asiam Graeciam' ordinem itineris accurate uideatur referre, Scipionem primum Rhodum, tum Alexandriam et Aegyptum deinde Cyprum, Syriam, Babyloniam, Pergamum aut petiisse, aut petere uoluisse, postremo Graeciam, satius erit statuere. Simili modo P. Annius Florus (p. 184. 185 Rossbach.) iter suum descripsit 'Primum Siciliam nobilem uidi, domesticam Cereris, fecundam deinde Creten, patriam Tonantis, et a latere uicinas Cycladas salutaui. inde me Rhodos † et ab regressu Aegyptium pelagus, ut ora Nili uiderem et populum semper in templis otiosum peregrinae deae sistra pulsantem', ubi scribatur fere oportet 'inde me Rhodos e naue egressum ⟨tenuit: tum transuectus sum⟩ Aegyptium pelagus, ut' e. q. s.

467. Nonius p. 18, 32 'Nebulones et tenebriones ... Lucilius satyrarum lib. XIIII "Publius pauus mihi *turbitanus* (ita Leidensis, *tubitanus* Guelferb.) ... sane".' Gerlachius ed. p. XLI *Pauus* putat esse nomen ioculare a pauonibus saginandis deductum — neglexit quae Plin. nat. hist. X 45 tradit — similiter Franckenus coni. cr. p. 72 iudicat. *Pauus* iustum cognomen est sicut Anser Aquila Gallus Graculus Mergus Merula Noctua Parra Passer Pica Turdus alia, urbana cognominis inuenitur forma apud Varr. rer. rust. III 2, 2 *Fircellius Pauo Reatinus.* Sine dubio Scipio hos uersus dicit, quod cum iam multi suspicati sint (conf Franckenus l. s. et Gerlachius l. s.), noluerunt conciliare cum hac opinione uu. 469. 470: 'Si mihi non praetor siet additus atque agitet me, non male sit: ille, ut dico, me exenterat unus'. Aperte sunt uerba quaestoris illius lucifugi de Scipione: quanta enim fuerit exercitus Romani segnitia et pigritia ante Numantiam et quantopere inertes Aemilianus castigauerit et puniuerit, constat ex multis scriptoribus (Liu. per. 57 [Plut.] apopth. Scip. min. 16—21 Appian. Iber. 85. 86). Scipionem igitur dicit *praetorem* Pauus: fuit ille quidem consul iterum, sed praeses prouinciae etiamsi proconsul uel consul est saepenumero *praetor* dicitur: conf Fest. p. 241 s. u. praetor Mommsenus de iure publico p. R. II 1 (1887) p. 240, 5 Dittenbergeri SIG I² 275, 2. Accedit aliud. *Praetor* enim idem significare quod *dux* uocabulum ueteres saepe et nostri saeculi uiri docti dixere quorum testimonia contulit Mommsenus l. s. p. 74. Sed Aemilianum maxime omnium praetorem appellatum esse consentaneum est, quod cohortem praetoriam bello Numantino consul iterum condidit primus: conf Paul. ex Fest. p. 223 'Praetoria cohors est dicta quod a praetore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent' e. q. s. (Appian. Iber. 84: Cic. ad Att. VII 2, 3): uide quae diximus ad lib. I u. 10 XI u. 398. *Tubitanus* quod habet Guelferbytanus, cum *turbitanus* praebeat Leidensis temere mutarunt in *Tuditanus* homini tenui cognomen tribuentes inclutum: neque enim altero cognomine opus est neque gentilicium aut patronymicum qualia sunt *Turranius Turianus* credibile est postponi, sed quaestoris dignitas flagitat hominem Latinae originis nominari, terminatio indicat aut oppidi aut pagi nomen esse restituendum. Quare *Bubetanus* temptaui quo de nomine conf Plin. nat. hist. III 69 (Nissenus Ital. Landeskunde II 2 p. 556): in homine loco obscuro nato nomen oppidi Latini addi sicuti in Bolanis consentaneum est. — mihi quaestor] Cic. ep. XIII

26, 1 ‘L. Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quod mihi quaestor fuit’ 10, 1 ‘Cum ad te tuus quaestor . . . proficisceretur, . . . satis . . . commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum, qui . . . hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam uoluit esse’: uide interpr. ad de orat. II 200. — *fuit* monosyllabon, ut *fuisse* lib. XVII u. 542, *maluisti* trisyllabon: uide ad lib. II u. 91. 92. — *lucifugus*, inde Cic. de fin. I 61, *tenebrio* ex Afranio (109 R) Varro in Menippeis 195. 377. — nebulo, id genus, nebulo et talis quales antea descripsi: *quod genus* pro *qualis* XVI u. 534.

469. Macrobius Saturn. VI 4, 2 ‘Nam quod ait “nec Teucris addita Iuno usquam aberit” id est adfixa et per hoc infesta, hoc iam dixerat Lucilius in libro quarto decimo his uersibus “si mihi . . . *extenterat* unus”.’ Seruius ad Aeneidos VI 90 ‘Addita Iuno’: ‘inimica. est autem uerbum Lucilii et antiquorum, ut Plautus “additus Ioni Argus”.’ Scripsit Plautus Aulul. 556 ‘Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit’. Recte Eyssenhardtius *exenterat:* hoc quoque uocabulum Plautinum est: Epid. 320 ‘Expectando exedor miser atque exenteror’. Ex cod Parisino utique *sit* recipiendum est: nihili est *sic* quod in deterioribus extare uidetur libris. Syllaba producitur in caesura semiternaria ut lib. IX uu. 330. 361. Grauiter suspirat quaestor ille lucifugus sub imperio noui praetoris qui uexet per noctes et dies milites desidia inertes factos *προσκείμενος*.

471. Nonius p. 481, 22 ‘Libertatem uti pro uti libertate. . . . Lucilius satyrarum lib. XIIII “quem . . . libenter”.’ Praetoris mores lepide describit quaestor ille lucifugus: Appian. Iber. 86 de Scipione: *οὕτω μὲν αὐτοὺς ἐς σωφροσύνην μετέβαλλεν ἀθρόως, εἴθιζε δὲ καὶ ἐς αἰδῶ καὶ φόβον, δυσπρόσιτος ὢν καὶ δυσχερὴς ἐς τὰς χάριτας, καὶ μάλιστα τὰς παρανόμους. ἔλεγέ τε πολλάκις τοὺς μὲν αὐστηροὺς καὶ ἐννόμους τῶν στρατηγῶν τοῖς οἰκείοις, τοὺς δὲ εὐχερεῖς καὶ φιλοδώρους τοῖς πολεμίοις εἶναι χρησίμους κτλ.*

472. Donatus ad Terentii Phormionem I 4, 7 ‘Tum temporis mihi punctum. Punctum pro momento; ut Lucilius in XIIII (*ita V et deteriores:* X in *Lincoln.*, ex III *Ricard.* ex ui *Oxon.*) “puncto uno *hora et* qui quoque (*hoc* V) inuasit”.’ Horai *Lachmannus,* horae *Baehrensius:* Hor. epist. II 2, 172 ‘tamquam sit proprium quiddam puncto quod mobilis horae . . . permutet dominos’. Punctum est *στιγμή* (conf Tanneryus Rev. archéol. 1895 p. 362), tamquam pars horae: Cic. pro Sest. 53 ‘immo hora atque etiam puncto temporis eodem’. Graeci dicunt *στιγμὴ χρόνου* (Menander CAF III p. 261, 1067 Wyttenb. ad Plut. mor. p. 13 A; p. 104 B: *ἀκαρὲς ὥρας μόριον ἀκμάσασαν* p. 1098 E). Agitur de impigro hoste, ‘qui unoquoque puncto horae inuasit’ i. e. lacessiuit aduersarium.

473. Nonius ex grammatico p. 220, 20 ‘Prosecta, exta quae aris dantur ex fibris pecudum dissecta, sunt generis neutri. . . . feminino Lucilius lib. XIIII “cenam inquin (ita *L:* inquit *G*) . . . *prosectam* ullam”. Varro ertipr diuinarum lib. XI “prosiciem extorum uel in mensam porricere”.’ Cenam, inquisne, nullam neque diuo prosiciem ullam fieri fremunt omnes? Recte e Varronis uerbis *prosiciem* restituit Scaliger. Nam *prosecta* quod seruauit Baehrensius ferri hic nequit, et quod spondeiazon offendit et quia Nonius generis neutri et pluraliter dici istud testatur Macri exemplo allato ‘Vulcani tosta uapore cum uirgis prosecta ferunt’. Appian. Iber. 85 *ἐλθὼν δὲ ἐμπόρους τε πάντας ἐξήλαυνε καὶ ἑταίρας καὶ μάντεις καὶ θύτας, οἷς διὰ τὰς δυσπραξίας οἱ στρατιῶται περιδεεῖς γεγονότες ἐχρῶντο συνεχῶς· ἔς τε τὸ μέλλον ἀπεῖπε μηδὲν ἐσφέρεσθαι τῶν περισσῶν, μηδὲ ἱερεῖον ἐς μαντείαν πεποιημένον.* Agitur de eiusmodi hostia qualem immolat leno ad futura cognoscenda Plaut. Poen. 453 ‘sex immolaui agnos . . . quoniam litare nequeo, abii illim ilico iratus, uotui *exta prosicarier*’ 463 ‘condigne haruspex, non homo trioboli, omnibus in extis aibat portendi mihi malum damnumque et deos esse iratos mihi’ 468 ‘sed quaeso, ubi nam illic restitit miles modo . . . quem ego uocaui ad prandium?’ (Rud. 130. 142). Hoc prandium cenam appellat Lucilius (Marquardtius Mommsenus enchir. antiqu. p. R. VI [1885] p. 183). — Inquin, ut pergin, scin, audin.

474. Nonius ex Lucilio p. 184, 17 ‘Viscus positum pro uiscere (*uiscera* Lachmannus). Lucretius lib. I (837) uisceribus uiscus gigni sanguenque creari . . . Lucilius satyrarum lib. XIIII “idne *aegri* est . . . largi”.’ Idem ex grammatico p. 470, 24 ‘Largi pro largire. Lucilius lib. XIIII “quod uiscus . . . largi”.’ Gratissimum fecerunt et Nonius quod u. 475 bis attulit et librarii quod nulla in eo scripturae extat discrepantia: unde suo iure Buechelerus archiu. lex. Lat. III 1886 p. 145 *tuquidem* pro anapaesto positum esse statuit sicuti uulgo *siquidem* poni constat. At sententia uersuum satis est obscura. Contulit Buechelerus l. s. Pers. VI 48 ‘Dis igitur, genioque ducis centum paria ob res egregie gestas induco . . . oleum *artocreasque* popello largior’ et de ludis agi suspicatus est, quibus uiscerationem, i. e. largitionem panis et carnis coercuerit Scipio, qui hoc modo interroget ‘idne aegre est magis, an quod pane et uiscere priuo?’ Respondet alter ‘Quod uiscus singulari numero dederas, hoc est aegre, uiscera pluraliter largi’. Qua in interpretatione illud minus placet, quod Scipio modo dixit sese omnino priuare omni uiscere, modo alter respondet illum uiscus dedisse. Itaque de uiscere comedendo id est de prandio uel cena (Plaut. Mil. 712 Amphitr. 968) post sacrificium uel exta in aris prosecta facta (uide quae diximus ad u. 473) potius agi probabilius. Seru. ad Aen. VI 253 ‘uiscera

sunt, quidquid inter ossa et cutem est, unde etiam uisceratio dicitur ut diximus supra (ad I 211 ‘uiscera ... quicquid sub corio est, ut in Albano Latinis uisceratio dabatur, id est caro’); ad III 622 ‘uiscera proprie carnes sunt’. Plaut. Mil. 711 ‘Sacrificant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi: abducunt ad exta, me ad se ad prandium, ad cenam uocant’ Stich. 251 ‘iamne exta cocta sunt? quot agnis fecerat?’ Itaque sicut apud Lucretium l. s. s. uiscus et uiscera promiscue poni hoc loco arbitror. Epulanti militi superuenit Scipio, unde epulae tam opimae proueniant, interrogat. Conqueritur ille de disciplinae duritie: diuo nullam fieri prosiciem. Tum interrogat Scipio ‘idne aegre (ita recte I. Dousa: *aegri* codd) est magis, an quod pane et uiscere priuo?’ Respondet miles ‘quod uiscus comedere concesseras edicto tuo, hoc est: nempe istud non fuit haruspicinae. Viscera igitur haec legitima saltem largi nobis i. e. concede nos habere. [Plut.] apopthegm. Scip. min. 16 *προσέταξε δὲ . . . δειπνεῖν δὲ κατακειμένους ἄρτον ἢ πολτὸν ἁπλῶς καὶ κρέας ὀπτὸν ἢ ἑφθόν.* — largi, ut Verg. Aen. X 493 ‘quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi, largior’. Aliter de hoc loco iudicat Hauetus Rev. d. phil. XX 1896 p. 65 qui *hoc est* interpretatur *hoc edit* et ita scribit ‘idne aegri est magis, an quod pane et uiscere priuo, quod uiscus dederas tuquidem?’ ‘hoc est, uiscera largi’, quod medicorum duorum esse colloquium suspicatur.

476. Nonius p. 17, 24 ‘Gradarius est molli gradu et sine succussatura nitens. Lucilius satyrarum lib. XIIII ‘‘ipse ecus ... optimus *uictor*’’.’ Rei equestris peritissimum fuisse poetam et multi uersus indicant (lib. VIII u. 313—316 XV u. 506 seqq. alii) et artis uocabula quae passim usurpat. Hoc loco ecum Hispanicum describi suspicetur aliquis: uide quae adnotauimus ad lib. VIII u. 313. — Gradarium appellauit Seneca epist. 40, 11 Ciceronem oratorem, qui non cursor fuerit rapida et salebrosa oratione, sed molli et sedato gressu uerba uoluerit proferri. — optimus uector: ad equitandum ecus aptissimus, quem calce (uide u. 477) fatigare opus non sit. Tradita non necesse erit mutare si legetur ‘gradarius optimus, uictor’ ...: tamen sensum finitum esse cum uersu probabilius.

478. Priscianus GL II p. 534, 25 K ‘Lacesso lacessiui. sic Probus. et uidetur mihi melius dicere: participium enim passiuum lacessitus. Caper tamen lacessi dicit esse, ut facessi, et profert exemplum Lucilii, quo usus est in XIIII ‘num (cod G *nam*) uetus ille *Cato* lacessisse *appellari quod* conscius ... sibi’. sed potest ‘lacessisse per syncopam esse prolatum ‘‘ui’’ syllabae, ut ‘‘cupisse’’ ‘‘petisse’’ dicimus pro ‘‘cupiuisse’’ ‘‘petiuisse’’.’ De infinitiuo uerissime Priscianus contra Caprum iudicat qui infinitiuus omisso accusatiuo pendet a *conscius sibi erat* ut Ter. Adelph. 348 Matius ap. Cic. ep. XI 28, 1 Cic. Tusc. II 4, 10 Quintil. XII 11, 8 ‘conscius sum mihi ... me ... protulisse’. Vetus ille Cato, i. e. senex ille ut Cic. pro Arch. 16 ‘M. Catonem illum senem’. Ante *lacessisse* uocabulum trochaicum excidisse uidit Baehrensius qui *inde* inseruit: mihi *illa* aptius uisum est. *ad scelera inquit* posui quia *conscius* tale uocabulum poscere uidebatur neque meliorem scripturam adhuc uidi prolatam.

XV.

De argumento huius libri uide ad u. 515. — **480.** Nonius p. 533, 14 ‘Corbita est genus nauigii tardum et grande. ... Lucilius satyrarum lib. XV ‘‘multa ... *uersi ficta* (ita Leidensis: *uersificata* Guelferb.) ... *bacchillum ... nauis in* corbita maximus *ulla*’’.’ Opus musiuum Musei Tunesiani nondum editum ad corbitae picturam exhibet uersum ‘quam malus naui e corbita maximus ullast’. Videtur saturae fuisse exordium. *Τὰ περὶ τὸν Κύκλωπα* uituperari concedit Longin. de sublim. IX 14. Odyss. ι 190 *καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐῴκει ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων*: ad 187 scholiasta *εἰκότως προσυνίστησι τὸ μέγεθος, ἵνα ἀξιόπιστος φανῇ τὰ δύο σώματα σιτούμενος. πλείστας δὲ παραβολὰς ποιεῖται τοῦ μεγέθους αὐτοῦ ... τοῦτο δέ ἐστιν ὑπερβολὴ ὑπερβολῆς.* Longum ducentos pedes fuisse Polyphemum poeta Romanus addidit eo numero usus quo solent uti Romani (Plaut. Asin. 276 Hor. serm. I 6, 42. 3, 11. 4, 9. 10, 60 Martial. III 93, 18). De bacillo, quod iocum ut moueret deminutiuum posuit poeta, ι 319 *Κύκλωπος γὰρ ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ σηκῷ ... τὸ μὲν ἄμμες ἐίσκομεν εἰσορόωντες ὅσσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης φορτίδος εὐρείης, ἥτ' ἐκπεραᾷ μέγα λαῖτμα.* V. 480 codicis Leidensis praestantiam licet agnoscere. — 481. *monstra* putant, ut Cic. ad Att. IV 7, 1 ‘uenerat horis duabus ante Chaerippus, mera monstra nuntiarat’ Tusc. IV 54 ‘iam uidebuntur monstra dicere’, id est absurda et incredibilia: conf Martial. IV 63, 3 X 4, 2. Dixit poeta homines monstra et inepta portenta illa ab Homero excogitata et ficta putare: at deorum signa a fictoribus efficta uiuere et esse ualida ac potentia (u. 487). — 482. et porro huic maius bacillum] et porro male legebatur olim Cic. de fin. V 78 ubi uide Maduigii adnot. — 483. *quam malus nauis in corbita maximus ulla* Nonius, *quam malus naui e corbita maximus ullast* inscriptio Africana. Nonii codicum scripturam seruauit Christophorus Waseus in libro Senarius s. de licentia uet. poet. Ox. 1687 p. 185 cap. XIV, quam commendat

Homeri illud l. s. s. *ἱστὸν νηός*: reuera apud Plautum Bacchid. 797 'bene nauis agitatur, pulcre haec confertur ratis' *nauis* monosyllabon esse ideo probabile est, quod traditur Menaech. 344 'nunc in istoc portu stat nauis praedatoria', tum Bacchid. 331 'sed diuesne est istic Theotimus? Etiam rogas' *diues* monosyllabon esse iusto uersus exitu ⏑|⏑ ⏑ –¦⏑ – probatur, Amphitr. 90. 'nunc proferatur Iouem facere histrioniam', *Iouem* monosyllabon esse debere ut *Noembres* CIL I 831. 909 falsus euincit qui sine hac ratione oritur proceleumaticus. Denique *malus nauis* adfert Georges ex Vulg. Ies. XXX 17. Sed *ullast* recte titulus Africanus, *ulla* Nonii codd quos omnino in re dubia sequi nolui. [Conf Buechelerus Mus. Rhen. LIX 1904 p. 322.]

484. Lactantius instit. I 22, 13 p. 90 Brandt. et in epitomes capite 22 p. 688 Brandt. 'Reliquit ergo posteris Faunus quoque non parum erroris, quem tamen prudentes quique perspiciunt. Nam Lucilius eorum stultitiam, qui simulacra deos putant esse, deridet his uersibus'. epitome: 'Ideo Lucilius, deridens ineptias istorum qui uanis superstitionibus seruiunt, hos uersus posuit'. 'terriculas . . . sic isti *omnia* ficta . . . inesse in ahenis (*haenis* Taurinensis epitomes) . . . ueri nihil omnia ficta (*picta* Taurinensis epitomes)'. Nonius ex grammatico p. 56, 6 'Infans a non fando dictus est. . . . *curius* lib. XVIIII "ut pueri infantes faciunt mulierculam honestam". et XV "*et* pueri infantes credunt signa omnia aena (ita *G:* ena *L*) uiuere et esse homines".' Mendosum Lucilii hunc locum iam Lactantius legit: nam consentit et epitome et opus ipsum institutionum l. s. s. in lectione u. 487 *isti omnia ficta.* Agitur hoc loco de superstitione quam deridet poeta ut philosophus, cuius uersus clarum sunt illius saeculi monumentum contemptae religionis. Conf Plutarch. de superst. 4 p. 166 D ubi audit superstitiosus *ὁ φρίττων τοὺς σωτῆρας καὶ τοὺς μειλιχίους τρέμων καὶ δεδοικώς* . . . Deinde pergit (E): *ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμός, ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν, καὶ πολεμίους οἱ φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ, θαρροῦσιν· ὁ δὲ δεισιδαίμων ταῦτα μάλιστα φρίττει καὶ φοβεῖται καὶ δέδοικεν.* — terriculas] Afran. 270 R 'pertimuistis cassam terriculam aduersari', *δείματα* et *μορμολυκεῖα.* — Lamias] M. Antonin. XI 23 *Σωκράτης καὶ τὰ τῶν πολλῶν δόγματα Λαμίας ἐκάλει, παιδίων δείματα.* — Fauni] regem Faunum pluraliter posuit Ennium secutus (annal. u. 214 V), Numam non ut signorum, sed ut deorum posuit inuentorem: nam Numam tradebatur signa deorum adorari non esse passum (Plutarch. Num. 8 Marquardtii Mommseni enchirid. antiqu. Rom. VI [1885] p. 5, 1). — 485. hic omnia ponit] idem uersus exitus Iuuen. XIII 86 'sunt in fortunae qui casibus omnia ponant' et apud Lucilium lib. XVII u. 550 'in usura omnia ponit non magna': quae locutio a re aleatoria uidetur esse deducta

(*ἐπιδιατιθέναι, ἐπιδιάκεισθαι* Pollux IX 96) et hoc loco significat 'in fructu uitae arbitratur omnia esse' (conf ad lib. XXVI u. 614 XVII u. 550 VI u. 245). Cic. de fin. II 8, 24 'qui in uoluptate nihil ponens, negat eum bene cenare qui omnia ponat in uoluptate'. pro Cluent. 70, 200 'cui posita sunt in uobis omnia'. — 486. *pueri infantes παῖδες νήπιοι* ut lib. XIX u. 566 ad Herenn. II 25, 39 initio: infans ante Lucilium hac significatione positum non uidetur inueniri. — 487. *somnia ficta* recte Lachmannus: *omnia* pro *somnia* mendose praebuit Palatinorum archetypus Plaut. Rud. 594, ipsi sibi somnia fingunt Verg. eclog. VIII 108. — 488. cor inesse in aenis] mirum est quod tantummodo de aenis signis, non omnino de signis hoc loco loquitur poeta. Cuius locutionem parum elegantem h. l. recte notat F. Dousa qui aegre fert ter deinceps *omnia* positum esse. — 489. Versum quomodo intellegi uoluerint tacite indicarunt editores uerbis in tria cola ita dissectis, ut omnia quae antecedentibus uersibus culpauerit poeta clamitet esse omnia ficta, ueri nihil, pergula pictorum, i. e. *ζωγραφεῖον.* Sed pictorum mentionem fieri probarem si antea de Acherontis fabulosa regione ageretur, uelut apud Lucr. III 627: atqui in eos apparet inuehi scriptorem, qui superstitiosa ueneratione signorum ridiculi sunt. Itaque nihil Polygnoti ad nostrum locum, sed Polycleti Phidiae alii, neque terriculamenta ista superstitiosorum ne omisso quidem uocabulo *aenis* dici possunt opus pictorum sed *fictorum: fictor* audit Phidias Apul. de mund. 32. Plut. de superst. 6 p. 167 D *Εἶτα χαλκοτύποις μὲν (οἱ δεισιδαίμονες) πείθονται καὶ λιθοξόοις καὶ κηροπλάσταις ἀνθρωπόμορφα τῶν θεῶν τὰ εἴδη ποιοῦσι καὶ τοιαῦτα πλάττουσι καὶ κατασκευάζουσι καὶ προσκυνοῦσι· φιλοσόφων δὲ καὶ πολιτικῶν ἀνδρῶν καταφρονοῦσιν κτλ.*: de Stoic. repugn. 6 p. 1034 B *δόγμα Ζήνωνός ἐστιν ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν· ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐκ ἔστιν· οἰκοδόμων δ' ἔργον καὶ βαναύσων οὐδέν ἐστι πολλοῦ ἄξιον.* Huic correcturae, qua in epitomae codice Taurinensi, qui praebeat *omnia picta,* bis opus est, coniungatur oportet alia totius uersus interpretatio. Nimirum minime probabile est simulacra deorum posse dici *pergula* fictorum uelut si dicantur *opus* fictorum: nam pergula pars aedificii uel taberna est, in qua artifices opus faciebant et uenale proponebant, doctores docebant: (Apellis pergula Plin. nat. hist. XXXV 84): templa quidem ipsa puto uocari posse ab homine simulacra deorum insectante pergulas opificum, signa ipsa non item. Itaque scribendum 'pergula *f*ictorum ueri nihil, omnia ficta'. Supplendum: *habet, continet.* Verba eodem modo in enuntiatis quae *nihil* uocabulum habent omissa sunt Verg. Aen. II 287 'ille nihil' (Ouid. met. V 30) Terent. Phorm. 80 'noster mali nil quicquam primo'. Cic. pro Mil. 36 'nihil per uim umquam Clodius, omnia per uim Milo' Philipp. VIII 6, 19 'satis multa cum Fufio ac

sine odio omnia, nihil sine dolore' conf XIII 21, 49; I 2, 6 'nihil per senatum' (Tacit. Agr. 19); inscriptio Africana Jahrb. d. arch. Inst. Anzeiger XVII 1902 p. 53 Rev. archéol. XLI 1902 p. 400 'Eros omnia per te': uide ad lib. XXVII u. 720. Similis igitur Ciceronis est sententia de off. I 150 'nec enim quicquam ingenuum habere potest officina'. Seneca ap. Lactant. instit. II 2, 14 p. 101 Brandt. 'simulacra deorum uenerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum adsident diem aut adstant, illis stipem iaciunt, uictimas caedunt: et cum haec tanto opere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt'.

490. Nonius p. 344, 28 'Meret, militat. Lucilius satyrarum lib. XV "dum miles Hibera *terras ac meret tersa ex aetate* quasi annos".' Falsum esse quod Muellerus posuit *annis* demonstratur titulo CIL V 938 Buecheleri Carm. Lat. epigr. 372 (I p. 174) 'Natus sum summa in pauperie, merui post classicus miles ad latus Augusti annos septemque decemque nullo odio, sine offensa, missus quoque honeste'. *Quasi* eodem modo positum est quo *ὡσεί* apud Graecos: pertinet ad numerum XVIII: Plaut. Mostell. 622 'huic debet Philolaches Paulum. # Quantillum? # Quasi quadraginta minas (Capt. 20). Terent. Heaut. 145 'mercedem quasi talenta ad quindecim coegi'. Cato de agr. cult. 156, 3 'exurgeto sucum quasi heminam in pocillum fictile'. Scribon. Larg. cap. 230 'si anatis sanguinis quasi duae ligulae adiunctae fuerint'. Sallust. Iug. 50, 3 'praesidio quasi duum milium peditum montem occupat'. Histor. IV 16 Maurenbr. 'quasi par in oppido festinatio'. IV 3 'demissis partem quasi tertiam antemnis'. Postpositum est quasi in Lucilii uersu sicut apud Sallust. Iug. 48, 3 'sed ex eo medio quasi collis oriebatur'. Histor. I 126 Maurenbr. 'Sertorius . . . per calonum corpora ad medium quasi, dein super adstantium manibus in murum attollitur'. Xenoph. Hellen. I 2, 9 *ἀποκτείναντες ἐξ αὐτῶν ὡσεὶ ἑκατόν* II 4, 25 *ἱππεῖς ὡσεὶ ἑβδομήκοντα* alias. Inde apparet Lachmannum recte posuisse genetiuum *aetati'* (sicuti *nobilitatis* posuimus similiter lib. VI u. 259 ubi codd *nobilitate*) qui pertineat ad *annos.* Neque in exordio uersus a Lachmanni scriptura discedendum arbitror qui recte *terrast* ubi codd *terras*: quod idem scripsit *atque* pro *ac*, ego *hic* inserui: conf lib. XI u. 405. De stipendiorum numero tradit Polybius loco corrupto VI 19, 2: anno 614/140 *τῷ τε Πομπηίῳ σύμβουλοι παρῆσαν ἐκ Ῥώμης καὶ τοῖς στρατιώταις (ἓξ γὰρ ἔτη διεληλύθει στρατευομένοις) διάδοχοι νεοκατάγραφοί τε καὶ ἔτι ἀγύμναστοι* (Appian. Iber. 78: Mommseni Marquardtii enchirid. antiqu. Rom. V [1884] p. 381, 2). Itaque milites sex annos qui meruerant exercitus sunt consulis Fabii Aemiliani anni 609/145 (Appian. l. s. 65). Denique qui hoc loco memoratur miles meruisse uidetur inde a consule C. Fuluio Nobiliore anno 601/153 (Appian. l. s. 44 Liu. fragm. 12

e Hertzii Perioch. 47) quo bellum Celtibericum exarsit fere usque ad 619/135 quo Scipio Aemilianus consul est creatus ad bellum Numantinum componendum: totum igitur bellum Celtibericum iure dicitur *εἰκοσαετές* Strab. III p. 162 med. *δεισιδαιμονίαν* militum coercuit Scipio ad Numantiam, conf ad lib. XIV u. 473.

492. Nonius ex grammatico p. 124, 16 'Inuncare, quasi unco inuadere et adripere. Lucilius lib. XV "aut (at *L*) . . . inuncat".' Sicuti *inunco*, ita *adunco* (Paul. ex Fest. p. 11) *obunco* raro inuenitur. Vsus est illo uerbo Colum. VII 3, 11 de lana, quae 'obnoxia est rubis, quibus uelut hamis inuncata a pascentium tergoribus auellitur', ubi *inuncata* idem est quod *unco arrepta* sicuti Lucilii illud *inuncat* explicat Nonii auctor: similiter de piscium captura Apul. apolog. 30 extr. 'hamis inuncanda', florid. 2 extr. de aquila 'unde unguibus inuncet uel agnum . . . uel leporem'. Faenerator igitur Lucilii *uncis digitis* (Colum. VII 11, 2) uel *uncis manibus* (Verg. Aen. VI 360) arripit nummos: quamquam *tristis* uocabulum *στρυφνότητα* nummularii quod indicat magis ad tenacitatem spectare uidetur quam ad rapacitatem auari: danista AP XI 289 *τέθνηκεν εὐθὺς ἐν ῥοπῆς καιρῷ βραχεῖ ἐν δακτύλοισι τοὺς τόκους σφίγγων ἔτι.* In app. crit. adde: *aut* G *at* L.

493. Nonius p. 2, 27 'Senium . . . Lucilius satyrarum lib. XV "in . . . primus trebellius *multos titos lucios narcesibai* febris . . . *plus* (*pus* olim impressi)".' L. Trebellii nomen restituit Andreas Dacerus: familia uidetur fuisse orta Fregellis (Liu. XLIII 21, 2), Ciceronis aequalis erat L. Trebellius aedilis (CIL VI 1324 Cic. Phil. VI 11). *multost* legendum esse uidit Lachmannus Lucret. comm. p. 66. *narcessibai* Leidensis, *narcesibai* Guelferbytanus: unde *narce, saeua i(s)* (uide ad lib. V u. 191) temptaui: uiri docti proposuere *nam sanat* Lachmannus, *nam arcessit* L. Muellerus, *marcebat* Dacerus, *multost ἕλκος ἀκέσσασθαι* Buechelerus, *narcesis* Stowasserus, *Arcesilai* Ribbeckius. — Obruit hominem conuiciis poeta: *febris*, ut Plaut. Pseud. 643 Aristoph. Vesp. 1037 *ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ, φησίν τε μετ' αὐτοῦ τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν οἳ τοὺς πατέρας τ' ἦγχον νύκτωρ κτλ.* — *senium* (Buechelerus Mus. Rhen. XLII 1887 p. 588) conuicium ut incert. u. 1117. — *uomitum* ut *sputum:* neque enim ad *pus* est referendum: *uomitus* F. Dousa. 'Rupili pus atque uenenum' Hor. serm. I 7, 1: conf Lucil. lib. I u. 44. Febris producta priore syllaba hac uersus sede uix posuit Lucilius: uide indic. gramm. s. u. productio.

495. Nonius p. 536, 28 'Tunica est uestimentum sine manicis. . . . idem lib. XV "scit *poeticon* . . . *tunicam* . . . sit".' Muellerus *poleticon* scripserat, quod recte refutat Kellerus in Mus. Rhen. XXXI 1876 p. 143; qui *poeeticon* ad poesin refert et hoc modo interpretatur: Der Weise weiß Wahrheit und Dichtung zu unter-

scheiden, er weiß, was Hut ist und was Haube. Hoc quidem non recte. Sententiam intelleges si comparaueris Alexid. CAF II p. 297, 1 K:

Λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα, συγγενῶς τρέχων
Πλάτωνι καὶ γνώσει λίτρον καὶ κρόμμυον.

Ludit igitur philosophos Lucilius inprimis Platonicos: conf quae de Platonis placitis tradit Diog. Laert. III 84 *Τῆς ἐπιστήμης εἴδη ἐστὶ τρία. τὸ μὲν γάρ ἐστι πρακτικόν, τὸ δὲ ποιητικόν, τὸ δὲ θεωρητικόν. Ἡ μὲν γὰρ οἰκοδομικὴ καὶ ναυπηγικὴ ποιητικαί εἰσιν. Ἔστι γὰρ αὐτῶν ἰδεῖν ἔργον πεποιημένον· πολιτικὴ δὲ καὶ αὐλητικὴ καὶ κιθαριστικὴ καὶ αἱ τοιαῦται πρακτικαί· οὐ γάρ ἐστιν οὐδὲν ἰδεῖν θεατὸν αὐτῶν πεποιημένον, ἀλλὰ πράττουσί τι . . . Τῶν ἄρα ἐπιστημῶν αἱ μέν εἰσι θεωρητικαί, αἱ δὲ πρακτικαί, αἱ δὲ ποιητικαί.* Eadem dicit Latine Quintil. II 18, 1 'Cum sint autem artium aliae positae in inspectione . . . aliae in agendo . . . aliae in effectu, quae operis, quod oculis subicitur, consummatione finem accipiunt, quam *ποιητικὴν* appellamus' e. q. s. Conf praeterea Plat. Soph. p. 219 B D 265 A Aristot. de part. anim. *α* p. 640^{a} 27 *Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν αὐτομάτως δοκούντων γίνεσθαι, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν τεχναστῶν. Ἔνια γὰρ καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεται ταὐτὰ τοῖς ἀπὸ τέχνης οἷον ὑγίεια. Τῶν μὲν οὖν προϋπάρχει τὸ ποιητικὸν ὅμοιον, οἷον ἀνδριαντοποιητική· οὐ γὰρ γίνεται αὐτόματον.* Magna mor. *α* p. 1197^{a} 3 *Ἔστιν δὴ τῶν ποιουμένων καὶ πραττομένων οὐ ταὐτὸ τὸ ποιητικὸν καὶ πρακτικόν· τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐστί τι παρὰ τὴν ποίησιν ἄλλο τέλος, οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικήν, ἐπειδή ἐστι ποιητικὴ οἰκίας, οἰκία αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν ποίησιν. Ὁμοίως ἐπὶ τεκτονικῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν ποιητικῶν.* Top. *ζ* p. 145^{a} 13 Metaph. *ε* p. 1025^{b} 25. *Poeeticon* igitur illud referatur necesse est ad hanc de artibus doctrinam, quam ludit poeta cum dicit de philosopho 'textoris pectinem aduncum scit poeeticon esse, uidet tunica et toga quid sit'. Inprimis huc facit eiusdem Aristotelis locus Polit. *α* cap. 4 p. 1253^{b} 33: *εἰ γὰρ ἠδύνατο ἕκαστον τῶν ὀργάνων κελευσθὲν . . . ἀποτελεῖν τὸ αὐτοῦ ἔργον, ὥσπερ τὰ Δαιδάλου φασὶν ἢ τοὺς τοῦ Ἡφαίστου τρίποδας . . . οὕτως αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὐταὶ καὶ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν, οὐδὲν ἂν ἔδει οὔτε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν οὔτε τοῖς δεσπόταις δούλων. τὰ μὲν οὖν λεγόμενα ὄργανα ποιητικὰ ὄργανά ἐστι, τὸ δὲ κτῆμα πρακτικόν. ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς κερκίδος ἕτερόν τι γίνεται παρὰ τὴν χρῆσιν αὐτῆς, ἀπὸ δὲ τῆς ἐσθῆτος καὶ τῆς κλίνης ἡ χρῆσις μόνον.* Similiter Platonicos ludit Epicrates comicus CAF II p. 287, 11 K. Auctoris nomine subtracto probat hanc interpretationem Muellerus ad Non. l. s. s.

496. Charisius GL I p. 96, 9 K 'Alicam sine adspiratione dictam Verrius tradit, et sic multi dixerunt; ⟨*quamuis*⟩ Lucilius XV

"nemo est *halicaribus* posterior te" cum adspiratione ⟨*dixerit*⟩'. Charisii locum ita constituit Keilius qui in contextu scriptoris ut edit. pr. praebet Lucilius XV, in adnot. negat sibi adparuisse utrum XV an XII scriptum fuerit in codice. Tamen numerum XV seruaui, quia Dousa omnino de Coloniensis sui tacet discrepantia. *halicarius* recte edit. pr. Nil huc pertinet Plaut. Poen. 266 'prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias' cuius uersus scholion extat ap. Paul. ex Fest. p. 7 'alicariae meretrices appellabantur in Campania solitae ante pistrina alicariorum uersari quaestus gratia' e. q. s. Quo loco, sicuti *frumentarius* a frumento, ita *halicarius* ab alica est dictum, quod frumenti genus proprium est Campanorum: Plin. nat. hist. XVIII 112 'Alica fit e zea quam semen appellauimus . . . admiscetur creta quae transit in corpus coloremque et teneritatem adfert. inuenitur haec inter Puteolos et Neapolim . . . quoniam negassent Campani alicam confici sine eo metallo posse'. Apparet Charisii auctorem satis confisum esse libro suo Lucilii eiusque librarii diligentia. Nec tamen temere confisus est: nam *alicarius* Plauti codd l. s. s., qui ubique consentiunt in *ciulo* (Aulul. 318. 727. 796 Capt. 201 Merc. 682), Lucilium lib. VI u. 261 *heiulitabit* scripsisse constat, sicuti Apuleius *heiulo* posuit (de Vlietius ad metam. III 1 extr.), idem Gellii (XII 5, 9) et Ciceronis (Tusc. II 19) codices. Nihil huc pertinet quod *holus* dicit Lucilius, non *olus, Hibera,* non *Ibera:* contra Annibal lib. XXIX u. 827 XXVI u. 616. Denique *alicam* et *halicam* scripturas tangit Vel. Long. GL VII p. 68, 18 exc. ex Capro p. 107, 12 K. Alicarius uidetur conuicii loco esse positum pro homine sordido et rustico ut *hordearius* Suet. de rhet. 2 'hordearium eum rhetorem appellat deridens ut inflatum ac leuem et sordidum'. Dinarchum nonnulli *κρίθινον Δημοσθένην εἰρήκασιν* Hermog. RG III p. 384, 17 W II p. 413, 15 Sp., idem dictum enarrat Dionys. Hal. de Dinarch. cap. 8 extr. *καὶ ἀγροῖκόν τινες Δημοσθένην ἔφασαν εἶναι* (Blassius de eloqu. Attic. III 2 [Lips. 1898] p. 308). Itaque dixerat poeta: rusticitate superas omnes: doctrina et humanitate nemo est halicarius posterior te. — posterior, ut Graeci dicunt *οὐδενὸς ὕστεροι γνώμῃ* Thucyd. I 91, 5 (Nauckius ad Soph. Phil. 181), *ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον* Herod. I 23: quam locutionem inuertit Lucilius.

497. Nonius p. 397, 26 'Sacrum etiam scelestum et detestabile. . . . Lucilius satyrarum lib. XV "ac de *istos* sacer *illoto colfo sax* sirofenix . . . solitus".' Tocoglyfos recte posuit Rothius: Lucian. uit. auct. 23 Plut. de aud. poet. p. 18 E *λόγοι . . . τοκογλύφῳ πρεσβύτῃ πρέποντες*: AP IX 570, 7: *γλύφων τόκους* XI 289 *τοκογλυφεῖς* Plut. l. s. p. 34 D. — *axsirofenix,* similis scriptura in codd lib. VII u. 284 *mouet aximad.* Syrophoenix hoc loco *τοκογλύφος* et *δανειστής* quidam uocatur: de Syris uide quae adnot.

ad III u. 128 XXVI u. 669. Distinguitur autem Syrophoenix a Libyphoenice. Zenonem ut danistam calumniabantur philosophum (Diog. Laert. VII 13), item Menippum Phoenices (Diog. VI 99). *Συροφοίνιξ ἔμπορος* Luc. conc. deor. 4, Syrophoenix caupo Iuuen. VIII 159. 160 ubi uide Friedlaenderi adnot., Syrocilices Mela I 13, Syromedi Ammian. XXIII 6, 39 Ptolem. VI 2, 6. — *sacer* audit faenerator sicuti leno ap. Plaut. Poen. 90 Rud. 158. — *ac de isto* Lachmannus, *adde isto* Turnebus alii: sed *de isto* rectius: Plaut. Pseud. 123 'de istac re in oculum utrumuis conquiescito'. Ter. Eun. 456 'ecquid nos amas de fidicina ista'. Plaut. Mil. 1094 'Quid nunc mihi es auctor ut faciam Palaestrio de concubina'. Cic. in Verr. III 18, 45 'quod quidem ... nullo umquam de homine factum est'. conf Friedlaenderi adnot. ad Mart. I 18, 5 Rothsteinii ad Propert. II 18 b 29 Giussanii ad Lucret. V 154.

499. Nonius p. 213, 18 'Medimnum generis neutri. masculini Lucilius satyrarum lib. XV "praeter ... *seminisse* (ita Leidensis: *seminis* Guelferbytanus: *semisse* impressi) ... *plures* (*pluris* impressi) ... medimnus".' Leidensis codicis bonitas hoc loco inprimis intellegitur: archetypus habuit *seminisse* pro *semisse* quo de genere uitiorum egit H. Vsenerus Mus. Rhen. LVI 1901 p. 305: conf prolegg. p. CXIV. Quo spectent uerba, uix licebit statuere. Videtur agi de annonae caritate, qua per singulos dies augetur modii unius pretium, ita ut tertius qui emitur modius pluris ueneat quam totus antea medimnus, i. e. modii sex. Primus modius semisse, secundus quincuplici uenit pretio, id est nummo sestertio siue assibus duobus et semisse; totus medimnus si antea uenibat sexiens semisse, i. e. tribus assibus, apparet pretio denuo aucto tertium modium iam pluris esse quam totum medimnum. Itaque sic fere sententiam suppleas: carior in dies fiebat annona, tres tribus diebus emebantur modii, qui nihil inter se diuersi erant praeterquam in pretio: primus semisse, secundus nummo, tertius pluris erat quam totus medimnus. De tritico agi probabile non est quia modius tritici non poterat uenire semisse (Marquardtii Mommseni enchirid. antiqu. Rom. V [1884] p. 111, 8): agitur potius de farre uel hordeo. Aliter comparatus est Plauti locus Poen. 330 seqq.: 'quod fuit in pretio' Lucr. V 1277. 1273.

501. Nonius p. 445, 18 ex grammatico 'Acerosum namque panem ferre (*farre*) minus purgatio (*purgato*), nec sordibus a candido separato (*separatis* L. Muellerus) dicendum ueteres putauerunt. Lucilius lib. XV "quae gallam *uiuere* ... uentris ... *olei* decumano pane *cumano* coegit". tunc (*hunc*) Graeci *αὐτόπυρον* uocant'. Paulus ex Festo p. 96, 3 'Gallam bibere ac rugas conducere *uentri* cum ait Lucilius, praemonet parsimonia esse utendum neque gulae indulgendum uentremque coartandum'. Galla, *ὀξίνης οἶνος*, unde dictum sit, non liquet. Probabile est acidam

potionem ita uocatam esse quod galla quae *κηκίς* Graece dicitur acidissimum habet saporem. Praeter uinum uile memoratur panis sordidus ut ap. Gell. XI 7, 3 'inopi quendam miseroque uictu uiuere et furfureum panem esitare uinumque eructum et fetidum potare'. Neque igitur probem quod Lachmannus far acerosum de pulte intellegit quam comedit bene coctam quiuis pater familias, sed duobus ut saepe uocabulis eandem rem appellat poeta (uide indic. gramm. s. u. hendiadyoin). Versum alterum correxere editores hunc in modum priorem nihil mutantes 'farre aceroso, oleo decumano, pane coegit' nisi quod Lachmannus qui *oleo* ineptum esse uidit, scripsit *oleris:* uocem *cumano* recte ut librarii mendo natam eiecerunt. Interpretatur Nonius l. s. uocem *acerosum* his uerbis: 'Acerosum namque panem farre minus purgato nec sordibus a candido separatis dicendum ueteres putauerunt ... Hunc Graeci *αὐτόπυρον* uocant' (Cels. II 18 p. 65, 1 D. Petron. 66). Panis eiusmodi dicitur sordidus (Plaut. Asin. 142 *ῥυπαρός* Athen. VI p. 246 A) uel *αὐτοπυρίτης* Athen. III p. 110 E cui contrarius est *καθαρός*, candidus, mundus: Teles p. 30, 3 Hensei *τότε μὲν γὰρ ἐξ ἀνάγκης ἔδει ὑπόδημα ἔχειν καὶ τοῦτο ἀκάττυτον ... ὅπως ἄρτοι καθαροί, ὄψον μὴ τὸ τυχόν, οἶνος ἡδύς.* Quod restitui *oleis* ubi *olei* codd (stud. Lucil. p. 19), *ὄψον* est *τὸ τυχόν* et uilissimi generis: Colloq. Monac. CGL III p. 646 extr. 'accipio panem candidum, oliuas, caseum' e. q. s. Poliochos CAF III p. 390, 2 K *μελαγχρῆ μᾶζαν ἠχυρωμένην ἑκάτερος ἡμῶν εἶχε ... θλαστή τ' ἐλάα καὶ πιεῖν οἰνάριον ἦν ἀμφίβολον.* Plut. de tranqu. an. p. 466 D *ὁ γὰρ ἐχθὲς ᾠὰ καὶ ἀμύλια καὶ σητάνειον ἄρτον διαπτύων, τήμερον αὐτόπυρον ἐπ' ἐλαίαις ἢ καρδαμίδι σιτεῖται προσφιλῶς καὶ προθύμως:* conf de sanit. p. 125 F Hor. serm. II 2, 46. 57. Diog. Laert. II 129 Alciphr. I 21 Cat. de agr. cult. 57 'uinum familiae ... loram bibant menses tres' 58 'pulmentarium familiae. oleae caducae quam plurimum condito. postea oleas tempestiuas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito'. decumano pane, Athen. III p. 110 D *Πλάτων δὲ ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν Νυκτὶ μακρᾷ* (CAF I p. 624 K) *τοὺς μεγάλους ἄρτους καὶ ῥυπαροὺς Κιλικίους ὀνομάζει διὰ τούτων· κᾆθ' ἧκεν ἄρτους πριάμενος μὴ τῶν καθαρύλλων, ἀλλὰ μεγάλους Κιλικίους.* Coegit istiusmodi cibis uti aut paupertas aut fames: de *decumanus* adiectiuo uide ad incert. u. 1150 seqq. 1240.

503. Nonius ex grammatico p. 447, 7 'Ergastilum et ergastilus ut genere ita intellectibus differunt: nam neutro carceris locus est, masculino custos poenalis loci. Lucilius lib. XV "non ergastilus unus". et alius "iudicem (*indicem* I. Dousa) adposuit, ut nemo sententiam libere, quasi ergastilus, possit dicere".' ita haec distinxit I. Lipsius qui recte iudicat (elect. lib. II cap. 15) ergastulum esse ipsum seruum, non custodem. Esse uidetur ser-

uus compeditus uilissimi generis, qui in ergastulo subterraneo uinctus operatur: uocabulum alibi non extat. Decumano pane, quem non ergastilus unus, non fossor comedet, uesci coegit paupertas hominem liberum. — non ergastilus unus, ut Plaut. Capt. 331 'unum nummum ne duis' Flor. I 34, 17 'unus enim uir Numantinus non fuit qui in catenis duceretur'.

504. Nonius p. 538, 2 'Palla est honestae mulieris uestimentum, hoc est tunicae pallium (tunicopallium *Forcellinius*). . . . Lucilius satyrarum lib. XV "cum . . . promit".' Agi apparet de mulierum placendi cupiditate qua marito numquam, alienis hominibus semper uolunt pulchrae uideri et honestae: Iuuen. VI 464 'quando uideri uult formonsa domi? moechis foliata parantur, his emitur quidquid graciles huc mittitis Indi'. Tib. I 9, 67 'tune putas illam pro te disponere crines aut tenues denso pectere dente comas? . . . non tibi, sed iuueni cuidam uult bella uideri' e. q. s. — Quiduis satis est, Ter. Heautont. 641 'Credo id cogitasti "quiduis satis est dum uiuat modo".' Turpil. 144 R 'ut philosophi aiunt isti, quibus quiduis sat est' (Hor. serm. II 3, 127). Spira quid sit nouit ille qui interpolauit Plin. nat. hist. IX 117 uerba 'Lolliam Paulinam . . . uidi zmaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, [spira,] auribus, collo, [monilibus] digitisque' unde apparet spiram fuisse ornamentum muliebre crinibus quod apponebatur. Neque tamen recte I. Dousa maluit scribi *spiras pallam* ideo quod multis pallis uti simul non poterat mulier: promit multas pallas multa redimicula ex arca ut eligeret optimam, pretiosissimum capitis ornamentum tantummodo habuit unum quo praestringeret hospitum oculos.

506. Gellius I 16, 10 et ex eo Macrobius Saturn. I 5, 7 de *mille* substantiuo 'Lucilius . . . nam in libro XV ita dicit: "hunc milli . . . *succuslior* (*subcursor* apud Macrobium) nullus sequetur maiore in (*in* abest Macrobio) spatio . . . uidebitur (*ire* add. Macrob.)".' Nonius p. 16, 31 'Succussare est susum frequenter excutere. . . . Lucilius satyrarum lib. IIII . . . idem lib. XV "Campanus — sequetur".' Agitur de equo optimo, gradario illo, qualem lib. XIV u. 476 descripserat, i. e. sine succussatura nitente, cui contrarius est Campanus sonipes successor. Campani equites clarissimi Liu. XXVI 4, 3. 6 Valer. Max. II 3, 3 Liu. VIII 11, 15. *Sonipes* uocabulum ioci causa posuit: primus uidetur usus esse hoc uocabulo Accius (602 R) nisi uterque poeta Ennium secutus est: sicuti hic ecus sonipes, ita lepus *δασύπους* uocatur a poetis Graecis: conf Bonnetus Mélanges Boissier p. 71. De sententia Muellerus 'sensus hic: equum qui talem, qualem modo descripsi, uno atque (*utque* typotheta) adeo duobus passuum milibus uicit Campanus nullus poterit sequi sonipes maiore uiae spatio, ac diuersus i. e. minime comes illi uidebitur ire'. Vellem accuratius

et magis dilucide dixisset. De equo uiatorio loquitur poeta, cuius praestantiam extollit in longo spatio itineris conficiendo. Nam de itineris longo spatio agi, non de circo et ludis inde apparet, quod mille passus memorantur et duo milia quibus alter alterum superauerit. Ego hoc modo uerba interpretor 'hunc ecum ecus Campanus, qui uel milli passum uel duobus milibus initio superarit, maiore in spatio itineris, quam duo sunt milia passum, nullo pacto poterit sequi ac diuersus uidebitur ire, id est plus quam remanere'. Itaque mille passum atque duo milia passum id spatium indicant, quod uiae praeceperit Campanus ille, priusquam hic ecus incipiat progredi: alio modo *atque* particula bene intellegi nequit. 507. *nullus sequetur*, non sequetur, minime sequetur ut saepe Plautus nullus uenit (Rud. 143). — 508. diuersus uidebitur ire] Plaut. Pseud. 955 'ut transuersus non prouersus cedit quasi cancer solet', diuersus igitur idem atque retrouersus. Sallust. Iug. 25, 6 'metu atque libidine diuorsus agitabatur' Liu. XXVI 5, 1. De Hispaniensi equo agi probabile est propter illud *Campanus* sonipes succussor: uide ad lib. VIII u. 313 XIV u. 476.

509. Gellius IV 17, 3 'Item XV "subicit . . . suffercitus posteriorem", subicit u littera longa legunt'. Subiecta et humilis [Sen.] Octau. 196. Agi de seruo qui posteriorem corporis partem ad poenam suffert domino minus probabile uidetur, quia homo talis non citus tergum suffert uerberibus: recte enim Lio posuit *suffert citus* pro *suffercitus* quod non explicare possumus analogia formae *expergitus*. De *sufferre* uocabulo conf Plaut. Casin. 948 'sufferamque ei meum tergum ob iniuriam' Poen. 855 'ut enim ubi mihi uapulandum sit, tu corium sufferas'. Videtur agi de equo *ὀκλάζοντι* Hispanico de quo Strab. III p. 163 *δεδιδαγμένων ἵππων ὀρειβατεῖν καὶ κατοκλάζεσθαι ῥαδίως ἀπὸ προστάγματος* (Plutarch. coniug. praec. p. 139 B): 'ecus iussu domini sese subicit huic humilem et suffert citus posteriorem corporis partem eques ut ascendat'.

510. Nonius p. 490, 23 'Holerorum pro holerum Lucilius satyrarum lib. XV "tintinnabulum . . . holerorum".' Tintinabulum *L m. 1* et *G:* conf Hauetus ad Phaedr. II 7, 5. *Surpiculi* uocabulum pluraliter ubique ponitur praeter Colum. X 305 (ubi recte codd *surpiculum*) quia duo solent uno iugo contineri surpiculi: Varr. rer. rust. II 2, 10 'cum inter haec bina loca, ut iugum continet sirpiculos, sic calles publicae distantes pastiones'. Surpiculi Graece dicuntur *σπυρίδες* quae iugo quod *ἄσιλλα* appellatur portantur: Alciphr. I 1, 4 narrat piscator: *εὐθὺς οὖν ὀψῶναι πλησίον, καὶ τὰς ἀσίλλας ἐπωμίους ἀνελόμενοι καὶ τὰς ἑκατέρωθεν σπυρίδας ἐξαρτήσαντες ἄστυδ' ἠπείγοντο* Plaut. Capt. 813 'tum piscatores qui praebent populo pisces foetidos qui aduehuntur

quadrupedanti crucianti cantherio . . . eis ego ora uerberabo surpiculis piscariis ut sciant alieno naso quam exhibeant molestiam' uide Pompon. 119 R de Schneiderum Archaeol. Epigr. Mittheil. aus Oesterr. III 1879 tab. III p. 26. Lucilii uersu s. s. agitur de oleribus quae ueneunt: surpiculi holerorum dictum est ut Alexis 273 CAF II p. 398 K *ἢ κοκκυμήλων σπυρίδα πεπόνων* Aristot. rhetor. III 11 p. 1413 a 20 *συκαμίνων κάλαθον*. Apud Propert. IV 2, 39 'pastorem ad baculum possum curare uel idem sirpiculis (*serpiculis* codd) medio puluere ferre rosam' rosarii eiusmodi surpiculis utuntur in circo. Tintinnabulum uel cantherii uel equi uel asini uel muli esse arbitror qui tergo portare solet *ζεῦγος σπυρίδων* (AP VI 28, 5): conf Phaedr. II 7, 5 Apul. metam. X 18: *abest hinc*, ut Plaut. Most. 79 Amphitr. 640 Pers. 811 alibi. Cantherius uel asinus qui hortulano seruiebat (Lucian. Luc. 43 Apul. metam. IX 32. 39 extr. Babrius ed. Crusius Lips. 1897 p. 182) ut alii homini seruiret potius, rogabat, unde tintinnabulum abesset et surpiculi holerorum: memoratur holitoris caballus Horat. epist. I 18, 36. Aliter iudicat Lachmannus qui haec adnotet: 'instrumentum ni fallor gallorum. nam *τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων ἀγνῷ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης* (Babr. 126, 8)' [ed. Crusius p. 133]. *Oleris* datiuum pluralis Cato posuit de agr. cult. 149, 2.

511. Nonius p. 22, 27 '*Postomis* dicitur ferrum quod ad cohibendam equorum tenaciam (conf Enn. trag. 157 R) naribus uel morsui inponitur, Graece, *ἀπὸ τοῦ στόματος.* Lucilius satyrarum lib. XV "*truleus postomide* . . . pendet".' Agitur de equo mordaci, cuius os in uasculum, quo hordeum solet ministrari, capiti alligatum insertum est. Hoc uasculum *trulleus* appellari a poeta patet. Cuius uocabuli memoria nititur Plin. nat. hist. XXXIV 7, cum neutri generis forma truleum siue trulleum sit usitatior. De *postomis* uerbo dum probetur quid sit, scite iudicasse uidetur Salmasius, qui *pro stomide* apud Lucilium scribi oportere censuit. Praepositiones enim cum a substantiuis in scriptura non separatae fuerint, accidit ut grammatici errarint in uerbis exscribendis ueluti Paul. Fest. epit. p. 28, 20 *aduelitatio* pertinet ad Plaut. Rud. 525 'me ad uelitationem exerceo': uitioso praeterea hoc loco usus est Nonius Lucilii exemplari. Enumerat *στόμια καὶ ὑποστόμια καὶ στομίδας* in apparatu equestri Pollux X 56, idem uocabulum ap. Apul. metam. VIII 25, ubi habet cod φ *stumidas partea*, restitui uoluit Sittelius archiu. lexic. Lat. I 1884 p. 581. Recte si Nonius illud uocabulum explicuit idem significat *stomis* quod *φιμός* et *κημός*. Hesych. s. u. *κημός: ὁ περιτιθέμενος τοῖς ἵπποις, εἰς ὃν αἱ κριθαὶ βάλλονται . . . κημός· στομὶς* (*κημοστόμης* cod) *τῷ χαλινῷ ἐμφερής* EM p. 392, 5 *τὸν κημὸν τὸν ἐν τῷ στόματι τῶν ἵππων ἐμβαλλόμενον.* Alii sicuti Nonius ad

nares equi pertinere comprimendas et suffocandas *κημόν* quem *φιλορρώθωνα* appellat poeta AP VI 246, 1 indicant: Septuag. Esaias XXXVII 29 *καὶ ἐμβαλῶ φιμὸν εἰς τὴν ῥῖνά σου καὶ χαλινὸν εἰς τὰ χείλη σου*, unde uocatur *πνιγεύς* EM p. 677, 35 Poll. X 54. Contra Xenoph. de re equ. V 3 *εἰδέναι δὲ χρὴ τὸν ἱπποκόμον καὶ τὸν κημὸν περιτιθέναι τῷ ἵππῳ . . . καὶ ἀεὶ δὲ ὅποι ἂν ἀχαλίνωτον ἄγῃ κημοῦν δεῖ. ὁ γὰρ κημὸς ἀναπνεῖν μὲν οὐ κωλύει, δάκνειν δὲ οὐκ ἐᾷ.* Fiscellas bubus imponi tradit Cato de agr. cult. 54, 5. In app. crit. scribe p. 22, 27.

512. Nonius e Lucilio ipso p. 123, 26 'Incitas dicitur egestas. . . . idem lib. XV "uilicum *magistogratem* . . . adegit".' Idem ex grammatico p. 143, 6 'Mediastrinos non balnearum, sed ministros et curatores aedium legimus. Lucilius lib. *XVII* "uilicum Aristocratem . . . bubulcum".' Idem ex grammatico p. 479, 3 'Conmanducatur. . . . idem lib. XV "uilicum Aristocratem . . . *meiastrinum* . . . conmanducatus *ut* conrupit . . . adegit".' De mediastino et mediastrino formis uide archiu. lexicogr. Lat. I 1884 p. 392. 400 II 1885 p. 364 VIII 1893 p. 38: apud Firmic. Maternum VIII 25 init. in melioribus codd tradi 'erit balneator mediastrinus' ad me scripsit Skutschius. Mediastrinum esse proprie balneatorem et Nonii auctor docuit et glossaria: CGL II p. 128, 23 'mediastrinus *περιχύτης*' p. 397, 24 '*παρυχύτης* mediastrinus, perfusor (CIL IV 840 ad Her. IV 10, 14). Tamen Lucilii uersum Nonii auctor protulit, quo euinceret mediastrinum atriensem potius esse uel eiusmodi seruum, cuius nomen apte inter uilicum et bubulcum poni potuerit. Lucilii ipsius seruos tres numero hic appellari patet: Symmachum bubulcum lib. III u. 105, Pacilium, Zopyrionem, Metrophanem XXII u. 581. 584. 580 nominat. Aristocraten uilicum ut nobilissimum (Hor. ep. I 14, 14) nominat nominatim. Agi uidetur de equo mordaci, quem tres homines non poterant domare. — *conmanducatus conrupit*, totum commorsicauit: Apul. metam. VII 16 'alius hinnitu maligno comminatus . . . totum me commorsicat'. Varro rer. rust. II 7, 9 'equus . . . impetum fecit in eum (*aurigam*) ac mordicus interfecit'. Vide ad lib. IV u. 180. — conrupit, ut Sall. Iug. 76, 6 'uino et epulis onerati illaque et domum et semet igni conrumpunt'. — Nonii codex Lucilii ipsius habuit *aristocraten*, sed grammaticus, quo bis usus est, eodem loco legerat *aristocratem:* uide ad lib. XVII u. 538. In app. crit. scribe (magistograutem G m. 1).

514. Nonius p. 22, 9 'Cerebrosi dicuntur ad insaniam faciles, quibus frequenter cerebrum moueatur. Lucilius satyrarum lib. XV "te . . . cerebrosum".' Supplendum 'di perdant omnes': increpat Lucilius uilicum insanum et cerebrosum, *cum istis* i. e. cum mediastrino atque bubulco qui equo illo male erant usi: *cerebrosus* uocabulum hinc sumpsit Horatius serm. I 5, 21 et suspicor

apud Lucilium istum hominem eodem modo ecum dolasse fuste sicut apud Horatium cerebrosus ille mulae nautaeque capita dormientium. Docet Xenophon de re equestr. VI 13 *τὸ δὲ μήποτε σὺν ὀργῇ τῷ ἵππῳ προσφέρεσθαι ἓν τοῦτο καὶ δίδαγμα καὶ ἔθισμα πρὸς ἵππον ἄριστον. ἀπρονόητον γὰρ ἡ ὀργή, ὥστε πολλάκις ἐξεργάζεται ὧν μεταμέλειν ἀνάγκη.*

515. Nonius p. 537, 9 'Paenula est uestis quam supra tunicam accipimus. . . . Lucilius satyrarum lib. XV "*paenulam . . . utilior* mihi quam sapiens".' Paenula, quae Graece *φαινόλα* appellatur ab Rhinthone (7 Kaibelii), utebantur ad imbrem defendendum. Attulit Dousa Varro Menipp. 571 B 'non quaerenda est homini, qui habet uirtutem paenula in imbri?' idem uocabulum *φαινόλης* extat in inscriptione a Ch. Huelseno edita Roem. Mittheil. XI 1896 p. 248 ubi editum est *φαμολης*. De uerbis *si quaeris* primus egit idem Dousa: attulit Lucilii incert. u. 1123, Cic. epist. ad Brut. II 5, 4 'Hoc cogere uolebat falsas litteras esse et, si quaeris, probabat'; de orat. II 254 'Et, si quaeritis (uide Lucil. lib. IV u. 153), is qui appellatur dicax hoc genere maxime excellet' Ouid. Trist. I 1, 123 'Plura quidem mandare tibi, si quaeris, habebam' (Fast. III 183). Conf praeterea Cic. de off. III 80 epist. VII 1, 2. Cato de agri cult. 1, 7 'praedium quod primum siet si me rogabis, sic dicam'. Similiter *quid quaeris?* Cic. ad Att. II 1, 2 'Quid quaeris? conturbaui Graecam nationem': uide ad lib. XXX u. 1005. — Quae utilissima sunt homini parco enumerat ille qui philosophiam contemnit: paenula ad imbrem, segestre (Bluemnerus ad Edict. Dioclet. VIII 42 p. 125) ad frigus defendendum quod *στέγασμα* uocant Attici (Wilhelm Jahresh. d. oest. Inst. VII 1904 p. 95): cantherio uno utitur pater familias Cat. de agr. cult. 149, 2 orat. fragm. p. 58, 10 Iord., accedit seruus: sapiens est philosophus ut Hor. serm. I 4, 115 'sapiens, uitatu quidque petitu sit melius causas reddet tibi'. Centum philosophos curto centusse licetur centurio Persii V 190, numquam sese philosophum audisse gloriatur Trimalchio Petronii 71 extr. *Vtilior* non magis mirabile est quam Cic. de legg. I 1, 1 'Lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario' (Draegeri synt. hist. l. L. I² § 108). Videtur totus liber unius fuisse argumenti in quo de philosophiae actum fuerit beneficiis. Cuius opera liberamur superstitione (480—489), auaritia (492—503), iracundia (506—514): tamen homo de plebe 'paenula' inquit 'cantherius, seruus, segestre utilior mihi quam sapiens': simili sententia Persii exit satura V similis argumenti.

XVI.

517. Inscripserat lib. XVI *Collyrae* nomine editor saturarum Lucilii grammaticus, sicuti Mimnermi libro inscriptum legebatur Nanno, Antimachi Lyde, Hermesianactis Leontion. Meretrix ex oppido quodam Graeciae exoticae orta fuisse Collyra uidetur. Brettia est *Κόλλυρα* IGSI 644 Kaibelii (Nachr. d. Goett. Ges. d. W. Ph. H. Kl. 1899 p. 123). Liber igitur XVI non plures sed unam tantummodo saturam exhibebat in qua de amica sua poeta senex narrauerat.

518. Graecam de duplici genio doctrinam professus est poeta cuius doctrinae Empedoclem auctorem esse auctor est Plut. de tranq. an. 15 p. 474 B *Οὐ γὰρ ὡς ὁ Μένανδρός φησιν* (Vsenerus Mus. Rhen. LV 1900 p. 334)

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ
εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
ἀγαθός

ἀλλὰ μᾶλλον ὡς Ἐμπεδοκλῆς διτταί *τινες ἕκαστον ἡμῶν γιγνόμενον παραλαμβάνουσι καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες·*

Ἔνθ' ἦσαν Χθονίη τε καὶ Ἡλιόπη ταναῶπις,
Δῆρίς θ' αἱματόεσσα καὶ Ἁρμονίη θεμερῶπις,
Καλλιστώ τ' Αἴσχρη τε, Θόωσά τε Δηναίη τε,
Νημερτής τ' ἐρόεσσα μελάγκαρπός τ' Ἀσάφεια (122 D).

Neque enim ex Censorini uerbis 'Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit adpositum, quam rem apud Lucilium in libro satyrarum XVI licet cognoscere', cum Censorinus ipsum Lucilium uix legerit, potest colligi Lucilium ex Euclide illud desumptum protulisse: immo multo est ueri similius hos ambos Siculum esse secutos. Vsus esse uidetur poeta Empedoclis sententia eodem modo quo Plutarchus l. s. s. p. 474 A *καὶ τῶν ἀνθρωπίνων καθαρὸν οὐδὲν οὐδ' ἀμιγές . . . ἐπεὶ κατὰ τὸν Εὐριπίδην 'οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά, ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς'* (TGF² p. 369, 21 N), *οὐ δεῖ τοῖς ἑτέροις ἐξαθυμεῖν οὐδ' ἀπαγορεύειν, ἀλλ' ὥσπερ ἁρμονικοὺς ἀμβλύνοντας ἀεὶ τοῖς κρείττοσι τὰ φαῦλα καὶ τὰ χείρονα τοῖς χρηστοῖς ἐμπεριλαμβάνοντας ἐμμελὲς τὸ τοῦ βίου μῖγμα ποιεῖν καὶ οἰκεῖον αὑτοῖς.*

519. Gellius IV 1, 3 'Mundum quoque muliebrem Lucilius in saturarum XVI non uirili genere, ut ceteri, sed neutro appellauit his uerbis: "legauit . . . omne *atque* penumque quid mundum quid (quod *P*) non quis diuidet istuc".' Inde Nonius p. 214, 17 'Mundus mulieris (sic LG: muliebris *alii codd*) generis masculini.

neutri Lucilius lib. *XVII* (XVI *alii codd*) "*legat* uxori mundum omne penumque".' In libri numero XVI recte editores Gellium secuti sunt, cum in Nonii libris XVII corruptus sit propter *legat* uerbi item corrupti primam litteram: quod Nonii codd FH^1E recte praebent XVI, id, quamquam cum Gellio isti consentiunt, noua factum esse arbitror corruptela potius quam librorum illorum praestantia. In uersu altero a Gellio allato ueteres Gellii editores meliora exhibent quam recentes: fere recte enim illi inserunt *atque penum* quae exciderint post *mundum* — ego *penus* aptius esse arbitror — neque tamen ea omitti potuisse prioris uersus clamat exitus. Qui quod apud Gellium talis legitur 'mundum omne atque penumque', facile purgatur Nonii opera. Tamen *atque* quod hac ratione extruditur, qui natum fuerit, aegre intellegitur, nisi ex altero uersu irrepsisse statueris: quod nisi probabilissimum esset, suppleremus 'quid ⟨penus? quid⟩ mundum?' e. q. s. Clarissimam iurisconsultorum his uu. tetigit Lucilius quaestionem: similes quaestiones tractarat Sex. Aelius Catus cos. 556/198, P. Rutilius Rufus cos. 649/105, Q. Mucius Scaeuola Pontifex cos. 659/95 auctore Gellio IV 1, 20 'Praeterea de penu adscribendum hoc etiam putaui, Seruium Sulpicium in reprehensis Scaeuolae capitibus scripsisse Cato Aelio placuisse non quae esui et potui forent, sed tus quoque et cereos in penu esse, quod esset eius ferme rei causa comparatum' Dig. XXXIII 9, 3, 9 'Ligna et carbones ceteraque, per quae penus conficeretur, an *penori legato* contineantur, quaeritur et Q. Mucius et Ofilius negauerunt: non magis quam molae, inquiunt, continentur. idem et tus et ceras contineri negauerunt. sed Rutilius et ligna et carbones, quae non uendendi causa parata sunt, contineri ait. Sex. autem † Caecilius (Aelius *recte Maiansius*) etiam tus et cereos in domesticum usum paratos contineri legato scribit'. Ad Rutilii Rufi libros et studia Lucilii uersus spectare suspicetur aliquis, quem Lucilii aequalem l. s. nominari iure ait Bremerus Iurispr. antehadr. I p. 44, negauit Mommsenus Symb. Bethm. Hollweg. oblat. p. 92. Similia quale Lucilius posuit ambigui exempla posuere alii rhetores et iuris consulti: Cic. part. or. 107 'ut cum *ex testamentis quid sit penus* aut cum ex lege praedi quaeritur quae sint ruta caesa, non scripti genus, sed uerbi interpretatio controuersiam facit' (Scaeuola ap. Bremerum l. s. s. p. 104, 7) Dig. XXXII 100, 2 'Vxori meae uestem, *mundum muliebrem,* ornamenta omnia, aurum argentum, quod eius causa factum paratumque esset, omne do lego' XXXIV 2, 32, 7 'Titia *mundum muliebrem* Septiciae legauit: ea putabat sibi legata et ornamenta et monilia . . . quaesitum est, an haec omnia mundo continentur'. Conf ad Her. I 12, 20 Cic. de inu. II 116 Top. 13. Sicuti Lucilius ita exorsus est Alfenus Dig. XXXIII 7, 16, 2 'Quidam uxori fundum, uti instructus esset,

in quo ipse habitabat, legauit' e. q. s. *Istuc* Lucilius ubique, sicuti comoedia uetus, *istud* nusquam: in exitu uersus hoc loco et lib. II u. 87.

521. Charisius GL I p. 72, 30 K 'Pistrinum neutraliter dicitur. sed Lucilius XVI (X Coloniensis) feminine extulit, "media *e* (*est* Coloniensis) pistrina", ad tabernam referens, ut caupona dicitur. nam et Terentius (Ad. 584) deminutiue pistrillam dixit'. Varro de lingua Latina V 138 inter instrumenta rustica 'Pilum, quod eo far pisunt; a quo ubi id fit dictum pistrinum. . . . inde post in urbe Lucili pistrina, et pistrix (incert. u. 1250). Grammaticus de dubiis nominibus GL V p. 588, 4 K 'Pistrinum generis neutri. sed *Varro* "media *est* pistrina".' Errauit grammaticus in nomine Varronis sicuti l. s. p. 590, 9 ubi pro Lucilii nomine item posuit errore Varronis nomen. Idem quater Vergilii et Ouidii uersus pro Varronianis uenditat (p. 587, 1. 14. 591, 26. 593, 18): quare quod eadem pagina 588, 1 habet 'porrum generis neutri. sed Varro: ponuntur tenues porri' id Lucilii potius esse fragmentum scripsimus quam Varronis ad Lucil. dub. u. 1370. In libro Charisii Coloniensi libri numerus erat decurtatus, uerba melius seruata fuisse quam in Neapolitano euincit huius grammatici testimonium qui praebeat *est.* Videtur descripsisse poeta domum suam quae in urbe erat, sicuti lib. VIII u. 312 domus cuiusdam enumerat partes: quare recte Varro l. s. s. 'inde post in urbe Lucili pistrina, et pistrix'.

522. Nonius p. 422, 33 'Horridum plerumque extans et prominens et † *terenstum*. . . . Lucilius satyrarum lib. XVI "*eti* (*etit* Leidensis) quos . . . horridulum".' Producunt, ut Cic. de dom. 9, 21 '. . . in ipso Catone. Quem tu in eo non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras' Liu. XL 56, 7 'ab hoc sermone omni genere honoris producere eum non destitit'. Similiter Polybius *προάγειν* XII 13, 6 *οἳ τοιοῦτον ἄνδρα προῆγον καὶ τοιούτῳ τὴν πατρίδα καὶ τοὺς ἰδίους βίους ἐνεχείριζον* XV 21, 4 *προάγοντες ἀεὶ τοὺς χειρίστους καὶ κολάζοντες τοὺς ἐναντιουμένους τούτοις* Sen. de benef. II 9, 2 'quaedam beneficia palam danda, quaedam secreto: palam, quae consequi gloriosum, ut militaria dona, ut honores, et quidquid aliud notitia pulchrius fit: rursus, quae non producunt, nec honestiorem faciunt, sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominiae, tacite danda sunt'. — caput ungunt horridulum] Hor. serm. II 3, 125 'unguere si caules oleo meliore caputque coeperis inpexa foedum porrigine'. Procedit Habinnas ap. Petron. 65 'unguento per frontem in oculos fluente'. Tangit poeta *τοὺς νεοπλούτους*, ut Hor. epist. I 18, 22 eum 'gloria quem supra uires et uestit et ungit'. — *et* in exitu uersus ut lib. VI u. 236 XIV u. 457. XXX u. 1086.

525. Nonius p. 201, 17 'Cubitus masculini generis. neutri

Lucilius satyrarum lib. XVI ''lisippi . . . *transiuit* . . . tarento''.' De Ioue Lysippi Strabo VI p. 278 *ἔχει δὲ (ἡ Ταραντίνων πόλις) γυμνάσιόν τε κάλλιστον καὶ ἀγορὰν εὐμεγέθη, ἐν ᾗ καὶ ὁ τοῦ Διὸς ἵδρυται κολοσσὸς χαλκοῦς, μέγιστος μετὰ τὸν Ῥοδίων*, qui *ἑπτάκις δέκα* erat *πηχέων* eodem auctore XIV p. 652. Plin. nat. hist. XXXIV 39 'audaciae innumera sunt exempla. moles quippe excogitatas uidemus statuarum, quas colossaeas uocant, turribus pares . . . talis in campo Martio Iuppiter . . . talis et Tarenti factus a Lysippo, XL cubitorum. mirum in eo quod manu, ut ferunt, mobilis ea ratio libramenti est, ut nullis conuellatur procellis. id quidem prouidisse et artifex dicitur, modico interuallo, unde maxime flatum opus erat frangi, opposita columna. itaque magnitudinem propter difficultatemque moliendi non attigit eum Fabius Verrucosus, cum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret'. quo de Plut. Fab. 22 Strabo l. s. s. ὁ *Ἡρακλῆς ἐν τῷ Καπετωλίῳ χαλκοῦς κολοσσικός, Λυσίππου ἔργον, ἀνάθημα Φαβίου Μαξίμου τοῦ ἑλόντος τὴν πόλιν*' anno 545/209. Posuit Lachmannus *transibit,* recte, quod perfectum caret sensu. Quod idem scripsit *istac* (Plaut. Epid. 660 Pers. 444 Trin. 383 Ennius trag. 226 Ribb.), non recte factum: nam uidetur agi de naui pergrandi qua uel Lysippi colossus Tarento Romam possit transferri quod frustra molitum esse Fabium illum audierat Lucilius. Huius nauis simili modo meminisse uidetur Lucilius quo Lucianus Isidis illius pergrandis in dialogo *πλοῖον ἢ εὐχαί.*

527. Nonius ex grammatico p. 98, 19 (CGL V p. 640, 36) 'Demagis, ualde magis. Lucilius lib. XVI ''rex cotus ille *duos* hos . . . *nouissime* aiebat (*alebat* Leidensis) solos *demagis* . . . nec esse (*es* Leidensis) putare''.' Paulus ex Festo p. 71 'Demagis pro minus (*nimis* uiri docti) antiqui dicebant'. CGL II 42, 29 'Demagis, *σφοδρῶς*'. Haec omnia ad hunc unum Lucilii uersum pertinere iudicat Lachmannus: reliquas glossas CGL V 627, 59 'demagis uehementer' 285, 30 'demagis uehemens' cum glossarii Graecolatini interpretatione patet congruere. *De* particulam in *detineo ualde* significare adnotat schol. Ter. Eun. II 2, 49 'detineo te: ualde teneo' Adelph. IV 6, 1 'defessus sum . . . de autem ualde significat' Hecyr. IV 1, 3 'derepente . . . ut defessus' V 2, 5 'deierat . . . ualde iurat'. Reuera Graecolatina illa glossa si ad Lucilii illum uersum pertinet, aut est grammatici auctoris diuersi a Nonii auctore aut temere grammaticus ille Graecolatinus *ualde* solum respexit, *magis* praetermisit. De Festi glossa nil omnino licebit affirmare. Vocabuli *demagis,* quod tamquam errore grammaticorum natum, qui uersu corrupto Lucilii male usi sint, Lachmannus in adnotatione a. h. l. omnino sustulerit, patronus extitit Buechelerus Mus. Rhen. XXXVII 1882 p. 523. 524 adlato ex Diezii uocabulario lingu. Rom. (Bonn. 1887) p. 200 uerbo huius

aeui Hispanorum *demas* (Koertingii Lat.-Rom. Woerterb. [Paderb. 1901] n. 2850) quod significat *praeterea:* consentiunt Lachmannus L. Muellerus Buechelerus cum *demagis* ad posterius enuntiatum quod *istos* pronomine incipit pertinere statuunt. Recte opinor: nam neque *nouisse* aduerbio adposito eget neque aduerbium gradu comparatiuo *magis* quare posuerit poeta pro positiuo intellegi potest. *Sed demagis* Gerlachius scripsit quem secutus sum, quod eandem uim habet atque *sed praeter istos,* formatum est lingua uulgari ad similitudinem *improuiso de improuiso, subito desubito* similium aduerbiorum. — Agitur de dicto regis cuiusdam Thraciae: licet enim regibus Paphlagonum (Xenoph. Ages. II 26 III 4) aliorum nomen fuerit Cotys, tamen maiore fama qua Thracum reguli isto nomine praediti utebantur apud antiquos inducimur ut de Thraciae rege cogitemus: quo etiam uentorum mentio nos uocare uidetur. Cotyes plures cum norimus tales de duobus tantum datur optio, utrum Lucilius illis uersibus intellegi uoluerit. Alter Lucilio adulescente bello Macedonico initio cum a Persei partibus stetisset, tamen postea in gratiam populi Romani acceptus est, uir Thracum intemperantiae alienus, et bello strenuus et moribus humanus (Liu. XLII 29, 12. 51, 10. 57, 6. 58, 6. 67, 5. XLIV 42, 2 XLV 6, 2. 42, 6 Polyb. XXVII 10. XXX 12 Diod. XXX 3. XXXVII 5 a Dittenbergeri Syll. inscr. Gr. [ed. II] 303). Sane multo famosior apud scriptores antiquos Cotys Cersobleptis pater, Iphicratis socer, ab Atheniensibus ciuitate donatus, homo barbarus saeuus crudelis, interfectus a Pythone et Heraclide Aeniis, de quo multa historici oratores philosophi comici: Demosth. Aristocr. 8. 119 Harpocr. s. u. *Κότυς* Aristot. polit. *ε* p. 1311^b 21 oecon. *β* p. 1351^a 18—32 Anaxandr. CAF II p. 152, 31 K Theopomp. historicus ap. Athen. XII p. 531 E alii. Hunc Philippi Macedonis aequalem potius intellegi a Lucilio antea putaui propterea quod uix esse uerisimile iudices alterius illius reguli uicti et in gratiam accepti dicta Romanis in ore fuisse: at contra huius dicta nonnulla apud [Plut.] apopth. reg. et imp. p. 174 DE Stob. floril. 48, 45 Val. Max. III 7, ext. 7 traduntur; ad quae hoc tamen Lucilianum minime pertinere uidetur, siquidem uerba *Rex Cotus ille aiebat* potius applicanda sunt ad unam et certam causam neque quae eorum est natura *ἀποφθεγματικῶς* uidentur esse dicta. Quamquam ex imperfecto *aiebat* solo hoc minime erit concludendum. Equidem scio de tempore scriptoris de sublimitate ex eiusmodi imperfecto cap. 3, 5 posito certum ferri iudicium. Scribit enim l. s. *τούτῳ παράκειται τρίτον τι κακίας εἶδος ἐν τοῖς παθητικοῖς ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυρσον ἐκάλει.* Qui scriptorem hoc testimonio freti discipulum faciunt Theodori, isti eum scriptorem necesse est Socratis faciant auditorem qui scribit *Σωκράτης καὶ τὰ τῶν πολλῶν δόγματα Λαμίας*

ἐκάλει, παιδίων δείματα[1]). Itaque ex narratione praetoris alicuius uel legati dictum regis Thracum nouerat Lucilius quod ille iecerat aliquando in sermone cottidiano. — Quod dixisse traditur duos esse tantummodo uentos, austrum atque aquilonem, haec doctrina popularis extat apud Aristotelem polit. δ p. 1290 a 13 *μάλιστα δὲ δοκοῦσιν εἶναι δύο, καθάπερ ἐπὶ τῶν πνευμάτων λέγεται τὰ μὲν βόρεια τὰ δὲ νότια, τὰ δ' ἄλλα τούτων παρεκβάσεις, οὕτω καὶ τῶν πολιτειῶν δύο, δῆμος καὶ ὀλιγαρχία* neque tamen quicquam ista faciunt ad Lucilii uersus neque magis quod ap. Isidor. orig. XIII 11, 14 ex omnibus uentis auster et septentrio cardinales appellantur neque denique quae exposita inueniuntur apud Strab. I p. 29 similia haec *Εἰσὶ δέ τινες οἵ φασιν εἶναι δύο τοὺς κυριωτάτους ἀνέμους βορέαν καὶ νότον, τοὺς δὲ ἄλλους κατὰ μικρὰν ἔγκλισιν διαφέρειν, τὸν μὲν ἀπὸ θερινῶν ἀνατολῶν εὖρον, χειμερινῶν δὲ ἀπηλιώτην, δύσεων δὲ θερινῶν μὲν ζέφυρον, χειμερινῶν δὲ ἀργέστην. Τοῦ δὲ δύο εἶναι τοὺς ἀνέμους ποιοῦνται μάρτυρας Θρασυάλκην τε καὶ τὸν ποιητὴν αὐτὸν τῷ τὸν μὲν ἀργέστην τῷ νότῳ προσνέμειν 'ἀργεστᾶο Νότοιο', τὸν δὲ ζέφυρον τῷ βορέᾳ 'βορέης καὶ ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον'. Φησὶ δὲ Ποσειδώνιος μηδένα οὕτως παραδεδωκέναι τοὺς ἀνέμους τῶν γνωρίμων περὶ ταῦτα οἷον Ἀριστοτέλη Τιμοσθένη Βίωνα τὸν ἀστρολόγον κτλ.* Sed ista physicorum nonnullorum opinio nihil ad uersus Lucilii: apud Strabonem enim comparantur aquilo austerque cum omnibus reliquis uentis, in his Cotys rex ab illis uentis secernit non zephyrum eurum alios, sed 'istos ex nimbo austellos', genus quoddam austrorum. Accurate si illa uerba *istos ex nimbo austellos* interpretatus eris, neque nubilos austros intelleges qui *cum* nebulis feruntur et consenties mecum Lucilium uertere Graeca uerba *νότους ἐκνεφίας*, qui optime cum iusto ac uero austro atque aquilone contenduntur, quod ab austro diuersum genus uentorum sunt. *Ἐκνεφίας* enim uocatur *ὁ ἐκ νέφους ἄνεμος*, conf Hesych. Suid. E. M. s. u. de quo [Aristot.] de mundo p. 394^{b} 18 *οἱ δὲ κατὰ ῥῆξιν νέφους γινόμενοι καὶ ἀνάλυσιν τοῦ πάχους πρὸς ἑαυτοὺς*

1) Ne de nomine quidem Dionysii, quare additum sit inscriptioni libri de sublimitate, plane constat: additum esse nomini Longini a societate ingenii sicuti Petronio nomen additur Afranii a librariis coniciat aliquis. Contra librarios Aurelii nomen temere addidisse Propertio in codicibus nondum demonstratum est: immo commendat poetae nomen duplex Aurelii Opilii grammatici nominis ratio. Oracula uirorum doctorum qui librum de subl. modo Iuliorum modo Flauiorum modo Hadriani aetati tribui iubent non magni facio cum propter discrepantiam tum ideo quod modo uidimus quantopere in Charitonis aetate definienda criticus errauerit sagacissimus. Tamen si Byzantinus aliquis Longini nomen addidit titulo, is et argumentationis et iudicii ratione longe superat huius aetatis philologos et theologos, quorum opera quotannis fere libri orbati suos sibi inueniunt patres.

ποιούμενοι ἐκνεφίαι καλοῦνται: adde meteorol. β p. 366^{b} 33 probl. κς p. 940^{b} 30. Plin. nat. hist. II 131 'Nunc de repentinis flatibus qui exhalante terra, ut dictum est, coorti rursusque deiecti, interim obducta nubium cute multiformes exsistunt. Vagi quippe et ruentes torrentium modo (ut aliquis placere ostendimus) tonitrua et fulgura edunt. Maiore uero inlati pondere incursuque si late siccam rupere nubem procellam gignunt quae uocatur a Graecis ecnephias' Sen. nat. quaest. V 12 'Sunt quaedam genera uentorum, quae ruptae nubes et in pronum solutae emittunt: hos Graeci uentos ecnephias uocant' e. q. s. Itaque ecnephias idem qui apud nos dicitur *Boe* cuius generis nonnullos enumerat Theophr. de sign. 36 extr., memoratur *νότος ἐκνεφίας* Diod. XX 88, 7. Postremo bene recteque dicit Lucilius *ὑποκοριστικῶς istos ex nimbo austellos,* contra *austrum* atque aquilonem; *μεγάλοι μὲν γὰρ ἄμφω καὶ πλεῖστον χρόνον πνέουσι* (Theophr. de uent. I 2) boreas et notus: at de ecnephia Seneca l. s. 'His interuallis tenuis includitur spiritus, qui maius desiderat spatium . . . scinditque cingentia et erumpit in uentum, qui fere procellosus est, quia superne demittitur, et in nos cadit uehemens et acer, quod non fusus neque per apertum uenit, sed laborat et iter sibi ui ac pugna parat. Hic fere *breuis flatus* est . . . Hi uenti multo maiores diuturnioresque sunt, si alios quoque flatus ex eadem causa fluentes in se abstulerunt et in unum confluxere plures' e. q. s. Conf Arrian. ap. Stob. eclog. phys. I p. 235, 10 W . . . *ἐν νέφει δὲ ἀποληφθέντες, ἔπειτα ῥηγνύντες βίᾳ τὸ νέφος βροντάς τε καὶ ἀστραπὰς ἐξέφηναν. Ἐκπίπτοντες δ' ἐπὶ μέγα, διάπυροι μέν, κεραυνοί· ἀθρόοι δὲ καὶ ἡμίπυροι, πρηστῆρες· ὅσοι δ' ἔρημοι πυρός, τυφῶνες· οἱ δὲ ἔτι ἀνειμένοι, ἐκνεφίαι* Ioann. Lyd. de mens. IV 76 *οἱ ἀπὸ μεγάλης ἀρχῆς ῥέοντες ἄνεμοι εἰς δώδεκα μέρη τοῦ ὁρίζοντος διαιροῦνται . . . τῶν δὲ ἀπὸ μεγάλης ἀρχῆς ὁ μὲν ἀπ' ὀλίγης φορᾶς νέφους ἐκνεφίας κτλ.* Ceterum Lucilius non solus apud Romanos composuit austrum atque aquilonem cum ecnephia, sed eodem fere tempore Sex. Turpilius in Demetrio palliata, quam ex Alexidis Demetrio seu Philetaero uertit: conf Alexidis uersus ap. Athen. VIII p. 338 D (CAF II p. 314, 46 K)

Πρότερον μὲν εἰ πνεύσειε βορρᾶς ἢ νότος
ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρός, ἰχθῦς οὐκ ἐνῆν
οὐδενὶ φαγεῖν· νυνὶ δὲ πρὸς τοῖς πνεύμασιν
τούτοις Φάυλλος προσγέγονε χειμὼν τρίτος.
ἐπὰν γὰρ ἐκνεφίας καταιγίσας τύχῃ
ἐς τὴν ἀγοράν, τοὔψον πριάμενος οἴχεται
φέρων ἅπαν τὸ ληφθέν, ὥστε γίγνεται
ἐν τοῖς λαχάνοις τὸ λοιπὸν ἡμῖν ἡ μάχη.

quorum initio sunt uu. duo Turpilii Demetrii ap. Non. p. 488

(CRF[3] p. 101, 21 Ribbeck.) seruati qui respondeant. Itaque duos *χειμῶνας* sese nosse solos Cotys dicit apud Lucilium, non *ἀνέμους*: quod utrumque *uentus* uocabulum potest significare: tertium genus quo de antea egerat Lucilius omnino non agnoscit Thrax *austellos ex nimbo* quos appellat. Recte *nimbus* posuit Lucilius: conf Lucr. VI 256 seqq.

> Praeterea persaepe niger quoque per mare *nimbus*
> ut picis e caelo demissum flumen, in undas
> sic cadit effertus tenebris procul et trahit atram
> fulminibus grauidam tempestatem atque procellis
> ignibus ac *uentis* cum primis *ipse repletus* . . . e. q. s.

Denique Buechelerus l. s. s. comparauit recte ni fallor cum hoc loco Dionis Prus. orat. Tars. II 37 (I p. 326, 6 de Arnim.) *νῦν δὲ ὥσπερ οἱ τοῖς ἀπογείοις, μᾶλλον δὲ τοῖς ἀπὸ τῶν γνόφων πνεύμασι πλέοντες, οὕτως φέρεσθε, ἄνδρες Ταρσεῖς.* Similis quidem est iste *γνοφίας*, tamen non idem atque *ἐκνεφίας* auctore Lydo de mens. IV 76 *ὁ μὲν ἀπ' ὀλίγης φορᾶς νέφους ἐκνεφίας, ὁ δὲ ἀπὸ κόλπων τινῶν καὶ διὰ φαράγγων κολπίας, ὁ δὲ ἀπὸ γῆς καὶ συστροφῆς ἀέρος γνοφίας*, ubi *ἀπόγειος αὖρα* (quae *ταχέως σβέννυται* auctore Dionys. Hal. ad Cn. Pomp. IV 4), quae apud Dionem proprius est uentus et peculiaris, confunditur cum gnophia uento, qui nescio quomodo differt ab ecnephia. Similis aliquis uidetur memorari uentus in loco lacunoso Lucian. de morte Peregr. 43 *καὶ ὡς ἐπιταραχθείημεν τῆς νυκτὸς ἐν μέσῳ τῷ Αἰγαίῳ γνόφου καταβάντος καὶ κῦμα παμμέγεθες ἐγείραντος* ubi conferatur oportet Lucretii locus s. s. — Nauis illa quam u. 525 descripserat poeta sicuti Luciani Isis illa (nauig. 7) turbine iactata esse uidetur quem ex nimbo austellum appellauerat dominus nauis. Vnde Lucilius Cotyis narrauit dictum de austro et aquilone.

530. Nonius p. 513, 5 'Publicitus pro publice. . . . idem lib. XVI "publicitus *uendit* . . . ligurris".' De Maenio aliquo agi apparet: *uendis* Bentinus (in app. cr. erratum). Auctione facta quidquid supererat uendit publice qui gulae inseruiat: Plaut. Pers. 508 'ea conportatur praeda ut fiat auctio publicitus'. ligurris, ita Plaut. Capt. 84 de parasitis 'dum ruri rurant homines quos ligurriant' Ennius in saturis (17 V) *abligurrire bona,* quem imitatus est Terent. Eun. 235: comedit igitur ganeo Lucilianus auctione facta ultima bonorum sicuti Papirius cantherium suum ap. Cic. epist. IX 18, 4.

531. Nonius p. 201, 4 'Cepe generis neutri. . . . idem lib. XVI "hoc . . . serebat".' Sententiam adhibitis prouerbiis Graecis explicare studuit Crusius Mus. Rhen. XLIV 1889 p. 448: tamen ea quae attulit prouerbia non ita similia sunt, quibus comparatis certa ratione uersus possit enarrari. Horti cultor aliquis, qui cepe serebat, dixit hoc opus longe aliud esse atque opus agricolarum: illos singulas plantas parum curare, olitorem singulis oleribus posse opitulari aquatione et saritione.

532. Priscianus GL II p. 87, 15 K 'Vetustissimi tamen comparatiuis etiam huiuscemodi sunt † est quando usi. . . . Lucilius in XVI [ad Fundidum] "fundi delectat . . . euaserit".' Archetypus librorum Prisciani non praebuit *ad Fundium* sed ad *Fundidum* quod praebent codd RBDH Hertzii, *ad Fundium* D et H m. 2, et reliqui. Nam lector aliquis parum accuratus in Lucilii uersu *fundidelectatuirtuste* e. q. s. uocatiuum *Fundide* agnouit, unde Prisciani uerba interpolauit. Postea grammatici qui illis usi sunt codicibus errorem cum intellexerint posuerunt recentius istud *ad Fundium.* Nam facile ita intellegitur quomodo *ad Fundidum* nasci potuerit, minus facile, si interpolatorem illum scripsisse *ad Fundium* statueris. Eiecerunt glossema Lachmannus, L. Muellerus de re metr.[1] p. 41: neque enim *Fundium* nomen esse Latinum (CIL X 8272) contra aliquis iure proferat: uide ad lib. XVII u. 538. delectat, pro futuro positum (conf lib. II u. 69 XIII 452): utitur poeta hoc uerbo ubique *te* pronomine addito. — uilicus paulo strenuior] Colum. XI 1 de uilico: 'igitur primus omnium uigilet, familiamque semper ad opera cunctantem pro temporibus anni festinanter producat, et strenue ipse praecedat'. Totam sententiam certum quendam spectare uilicum qualis erat Aristocrates ille lib. XV u. 512 apertum fit uoce *paulo.*

534. Nonius p. 235, 4 'Aptum rursum conexum et conligatum significat. . . . idem libro XVI "ibat . . . filo *hoc se herere* . . . ingens".' Comparat Muellerus initium saturae Horatii I 9 'ibam forte via sacra': conf incert. u. 1142. Versu quarto demum, ubi ierit notus ille dominus gregis, qui secuti sint, alia dixerat Lucilius. Interrumpit enuntiati structuram testiculorum descriptio: testiculos arietinos commemorat scriptor ad Her. III 20, 33 Fest. s. u. suffiscus p. 309. — 536. Pellicula quid sit edocet Porphyrio ad Hor. serm. I 9, 69 'curtos Iudaeos dixit quia uirile membrum uelut decurtatum habeant recisa inde pellicula' et schol. Iuuen. XIV 104 'Iudaeos qui sine pellicula sunt'. 'Pellicula extrema ex aptum' Dousa et Lachmannus: alii Nonio qui *aptum* explicat, diffisi coniungunt *exaptum* ut Muellerus. Comparat Dousa Ennii u. (ann. 379 V) 'contempsit fontes quibus ex erugit aquae uis' Lucr. IV 829 'bracchia tum porro ualidis ex apta lacertis esse manusque datas'. Parum recte, opinor: nam uocabuli *exaptus* certum unum uidetur extare exemplum ap. Varronem Plin. XXXVI 92 'ex quo pendeant exapta catenis tintinnabula' et Lucretius licet V 770 posuerit 'dum loca luminibus propriis inimica per exit' l. s. s. non potest ut testis adhiberi; nam casu factum esse non potest, ut et apud Lucilium et apud Lucretium uerba *ex aptum* iuxta inueniantur posita. Attulit Muellerus Cic.

pro Caecin. 52 'non ex uerbis aptum pendere ius, sed uerba seruire hominum consiliis'. — onus ingens] comparat Dousa Ouid. fast. IV 241 'onus inguinis aufert' Catull. LXIII 5 'pondera' Petron. 92 'inguinum pondus tam grande' (Martial. VII 35, 4). Rusticum quendam narrare haec de ariete suo apparet uideturque ille aries casu infelici decoris sui fecisse iacturam.

537. Nonius p. 513, 13 'Ignauiter pro ignaue. Lucilius satyrarum lib. XVI "cur . . . quaeris".' Priscianus GL III p. 71, 2 K 'Lucilius ampliter, ignauiter'. Non oportet tradita mutentur: ueluti fac quaesiisse importunum hominem quendam apud Lucilium ex homine graui fortuna afflicto ut ualeret uel compares Horatii uersus serm. I 3, 63 'simplicior quis et est qualem me saepe libenter obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem aut tacitum impellat quouis sermone molestus'. Carm. Lat. Epigr. I 331, 12 B 'consulis stulte'.

XVII.

538. Priscianus GL II p. 475, 25 K 'Lucilius in XVII [ad Penelopam conuersus] "nupturum te nupta (nuptam *nonnulli codd*) . . . speras". in hoc quoque subaudiendum est "esse", id est "nupturum esse" pro "nuptum ire", γαμηθήσεσθαι'. Verba *ad Penelopam conuersus* eiusdem generis sunt et auctoris atque *ad Fundium* quae leguntur in eiusdem grammatici codd ante Lucilii fragmentum lib. XVI u. 532. Neque enim Lucilius ipse adloquitur Penelopam, sed ancillam quandam qualis erat Eurycleia colloquentem cum domina induxit in hac satura. Icarium patrem hortari ut uiduo lecto discedat Vlixi scribit Penelopa in Ouidii epistula I 81. — Vlixen] uide ad lib. XV u. 512: eandem formam Horatius adhibuit in sermonibus II 3, 197. 204 epist. I 2, 18: *Vlixem* scaenici ut Plaut. Bacchid. 21. 23 L. 949. 962 Pseud. 1244 Accius TRF[3] 488 Ribb. — *nupturum*] de forma masculini generis L. Muellerus relegat lectorem ad Gell. I 7. Vti constat tragicos Graecos participii mascula forma ubi femininam expectes quo de usu egit de Wilamowitzius ad Eurip. Hippolyt. 1103. Posuit denique poeta *nupta* (ut γαμετή apud Graecos) nominatiuum ubi accusatiuum expectes quem codd nonnulli exhibent sicuti Vergilius uocatiuum pro nominatiuo Aen. II 283 'quibus Hector ab oris expectate uenis'.

540. Nonius p. 25, 31 'Compernes dicuntur longis pedibus. Lucilius satyrarum lib. XVII (*XVI* Guelferbytanus) "*nunc* censes . . . *caliplocamora aΛICΦVPON* (ita Leidensis: *ΔaΛCΦΥΡΟΝ* Guelf.) *illam* . . . *aquae* etiam . . . alias *lenam* . . . quoduis *PIN*

ΕΥΠΑΤΕΡΕΙ an . . . naeuum (*neuum* Guelferbytanus, *neunum* Leidensis) *dictum* . . . unum".' Idem p. 26, 11 'Vari dicuntur obtortis plantis. Lucilius satyrarum lib. XVII "conpernem . . . acoetin".' Vocabula antiquitus Latine scripta fuisse, tum ab archetypi librario sciolo litteris Graecis exarata fuisse euincitur posito contra metrum *ΕΥΠΑΤΕΡΕΙ* an: probarem litteras Graecas, si in codd extaret *ΕΥΠΑΤΕΡΕΙΑΜ*, quia similia Eph. epigr. II p. 467 *ΑΛΕΞΑΝΔΡus*, Front. p. 47, 1 N 'in hac *ΕΙΚΟΝΕ* quam de patre tuo teque depinxi': (Auson. p. 170 Sch. p. 232 seqq. Peiper.). Sed etiam Non. p. 478, 10, in Varronis fragmento (sat. Menipp. 542 B) codd: *εμεα φιλοφθονια natis*, ubi scribendum: 'e mea philopthonia natis': uide ad lib. V u. 187. Habuit archetypus caliplocamo *ΚΑΛΛΙCΦΥΡΟΝ*, duplex *Λ* etiamnunc agnoscitur in corruptelis *RΑΛΛΙCΦΥΡΟΝ*, *RΑΔΛΛCΦΥΡΟΝ*. Vt hoc loco *calliplocamon*, ita XXX u. 991 ap. Non. p. 35, 31 *euplocamo* Latinis scriptum fuit litteris secundum codd. De scripturae ratione Cic. Orat. 160 'absurdum erat aut etiam in barbaris casibus Graecam litteram adhibere aut recto casu solum Graece loqui'. — *num* et *ullam* recte scriptum est a Scaligero: de *ullus* cum *non* uide ad lib. XIII u. 452. — 541. 'uterum atque etiam inguina tangere mammis' sordido et castrensi sermone dictum est (uide ad incert. u. 1347): comparat Corpetus Laber. 19 R Martial. III 72, 3 'aut tibi pannosae dependent pectore mammae', cui contrarium est Lucilii lib. XXIX u. 859 'hic corpus solidum inuenies, hic stare papillas pectore marmoreo'. — 542. conpernem aut uaram: conf Plaut. Sitellitergi uersum 'insignitos pueros pariat postea aut uarum aut ualgum aut compernem aut paetum aut broccum filium'. — 542. *fuisse* monosyllabon ut *fuit* lib. XIV u. 468: uide ad lib. II u. 91. 92. — Amphitryonis acoetin Alcmenam ex Odyss. λ 266 *τὴν δὲ μέτ' Ἀλκμήνην ἴδον Ἀμφιτρύωνος ἄκοιτιν* quam non Alcumenam, sed Alcmenam nouo more appellat poeta primus (GL VI p. 8, 7 K). — 543. atque alias, i. e. reliquas. — ⟨*He*⟩lenam ipsam denique: ita recte Scaliger: conf Propert. II 34, 88 'haec quoque lasciui cantarunt scripta Catulli, Lesbia quis ipsa notior est Helena'. Lucian. Gall. 17 *μήτε τὴν Ἑλένην αὐτὴν οὕτω καλὴν ὡς οἴονται*. — *nolo* in exitu uersus Pers. I 11, de aposiopesi infra agetur. — 545. ⟨*κού*⟩*ρην* scripsimus, PIN codd, sola Helena et in Iliade et in Odyssea dicitur *εὐπατέρεια* Z 292 χ 227, audit *κούρη Διὸς αἰγιόχοιο* Γ 426: semel *Τυρὼ ἴδον εὐπατέρειαν* λ 235 unde *Τυρὼ* hoc Lucilii loco uulgo ponitur pro PIN isto codicum. — 546. naeuum] Plin. nat. hist. XXVIII 34 'naeuos in facie tondere religiosum habent etiamnunc multi' Senec. de uit. beat. 27, 4 'si quis pulcherrimorum corporum naeuos aut uerrucas derideat, quem fera scabies depascitur'. — Tractauit hoc fragmentum Hauptius (opusc. I p. 186): quem non recte

u. 545. 546. posuisse inter 541. 542 inde, euincitur quod u. 545 et 546 eadem spectatur Helena. De tota indole horum uersuum iudicium ferri potest, si aposiopesin u. 543. 544 recte interpretati erimus: 'Helenam ipsam denique — nolo dicere: tute uide atque disyllabon elige quoduis'. — Quae qualis sit intellegitur comparato ad Her. IV 30, 41 'mihi tecum par certatio non est, ideo quod populus Romanus me — nolo dicere, ne cui forte adrogans uidear: te autem saepe ignominia dignum putauit' 38, 50 med. 'Huic quidem pater — nolo nimium dicere — non tenuissimum patrimonium reliquit'. Inprimis huc facit 54, 67 extr. 'Qui ista forma et aetate nuper alienae domi — nolo plura dicere' 30, 41 med. 'Tu istuc audes dicere, qui nuper alienae domi — non ausim dicere, ne cum te digna dicerem, me indignum quippiam dixisse uidear' Iuuenal. VIII 275 'aut pastor fuit aut illud quod dicere nolo'. Atque in eo potissimum iocus pollet Lucilii, quod eam, quae loquitur, tamquam loquentem in uita inducit personam uersu hexametro, quo ipse utitur poeta. Vnde apparet non poetam ipsum loqui, sed ex persona alicuius mulieris, quae caueat, ne obscaeno utatur uocabulo, quo Helenae facinus indicet: ueluti uersum disyllabo apte expleat aliquis si 'moecham' uel 'scortum' addat. Quare cum u. 538 Penelopam colloquentem deprehendimus cum patre aut ancilla, hoc quoque loco eandem uerba facere statuemus et saturae compositionem talem fuisse suspicabimur, qualis est Horatii serm. II 3, 187 seqq. et II 5 tota. 'Vide, Penelopa, ne rugosum corpus et aetas tua contempta futura sit Vlixi, si redierit'. Haec dicentem ancillam corripit regina 'et Alcmena Amphitryonis erat uxor et Helena, quam detestor, quia belli causa fuit et origo, uxor Menelai. Nupserat utraque, tamen haec Paridem, Iouem illa sibi inuenerunt adulterum'. Addit praeterea pulcherrimas illas mulieres non caruisse mendis formae credi oportere. Simili modo ludit Lucianus Gall. 17 *ἐγὼ δὲ τοσοῦτόν σοί φημι, ὑπερφυὲς μηδὲν γενέσθαι τότε, μήτε τὸν Αἴαντα οὕτω μέγαν μήτε τὴν Ἑλένην αὐτὴν οὕτω καλὴν ὡς οἴονται. εἶδον γὰρ λευκὴν μέν τινα καὶ ἐπιμήκη τὸν τράχηλον, ὡς εἰκάζειν κύκνου θυγατέρα εἶναι, τὰ δ' ἄλλα πάνυ πρεσβῦτιν, ἡλικιῶτιν σχεδὸν τῆς Ἑκάβης, ἥν γε Θησεὺς πρῶτον ἁρπάσας ἐν Ἀφίδναις εἶχε, κατὰ τὸν Ἡρακλέα γενόμενος κτλ.* Ex u. 541 *non licitum esse* pendet priore loco infinitiuus praesentis *tangere*, deinde infinitiuos perfecti posuit poeta *fuisse* u. 542, *habuisse* u. 545. Epitheta Homerica eodem quo Lucilius modo adhibet Charito IV 1, 8 *ὑπὲρ τὴν λευκώλενον καὶ καλλίσφυρον ἐφαίνετο τὰς Ὁμήρου.*

547. Macrobius Saturn. VI 1, 43 'Lucilius (Parisinus *Lucius*) in septimo decimo ''magna ... homini''.' Recte ponitur apud Macrobium Vergilium imitatum esse cum scribat Aen. V 422 'Magna ossa lacertosque Exuit' Lucilii hunc uersum hyper-

metrum qualem primus in litteris adhibere Latinis ausus esse uidetur Lucilius (L. Muelleri d. r. m.[2] p. 355). De pugilum apud Lucilium certamine agi indicat Vergilius imitator. Iri et Vlixis pugnam descripsisse ancillam coram Penelopa suspicor: scripsit enim Homerus σ 66 seqq. *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ... φαῖνε δὲ μηροὺς καλούς τε μεγάλους τε, φάνεν δέ οἱ εὐρέες ὦμοι στήθεά τε στιβαροί τε βραχίονες.* Quae uerba uertit satis audacter Lucilius ita ut datiuus ad *adparent* eadem ratione appositus sit, qua uerbum substantiuum *esse* cum datiuo ponitur: 'magna ossa lacertique sunt homini'.

549. Nonius ex grammatico p. 134, 33 'Lauerna, ⟨*d*⟩ea cui supplicant fures. ... Lucilius lib. XVII ''si *messes facis* Musas si uendis Lauernae''.' *Semissis facient Musas* I. Dousa, *si semissis facis Musas* Lachmannus. Ego non ausim turbare istud *si messes facis,* cum hanc locutionem sollemnem esse testentur Cato de agri cult. 134, 1 'Priusquam messis facies', ubi *messis* cod Paris. *A*, *messem* uel *messim* recentiores codd uel editt., Colum. II 21 initio 'cum rubicundum colorem traxerunt, messis facienda est' XII 10 initio 'per aestatem circa messem uel etiam exactis iam messibus', denique grammatici quorum testimonia collegit Neueus de formis III[3] p. 410 (GL I p. 251, 35 II p. 419, 9 V p. 436, 23 K). Quare *et* inserui coniungens 'Musas si uendis Lauernae', id est si aliorum scriptorum fur compilas libros. Conf Aristoph. Vesp. 1028 *ἵνα τὰς Μούσας αἷσιν χρῆται μὴ προαγωγοὺς ἀποφήνῃ* Auson. epist. ad Theon. 162 Sch. p. 249, 103 Peiperi 'nec iam post metues ubique dictum: Hic est ille Theon poeta falsus bonorum mala carminum Lauerna'. Itaque 'si messes facis' antecedenti uersu habebat quo explicaretur ueluti 'agris alienis si messes facis ⟨*et*⟩ Musas si uendis Lauernae'. Similiter Graeci *ἀμᾶν ἀμᾶσθαι*: Aristoph. Equ. 392 *τἀλλότριον ἀμῶν θέρος* Hesiod. Theog. 599 *ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται.* Similiter praecipit Horat. epist. I 3, 17.

550. Nonius p. 362, 6 'Proprium rursum significat perpetuum. ... Lucilius satyrarum lib. XVII ''cetera ... *nihil* ... habere''.' Agitur de Stoico qui omnia praeter uirtutem contemnit: conf Varro Sat. Menipp. 71 B 'unam uirtutem propriam mortalibus fecit: cetera promisque uoluit communia habere' (conf Cic. Philipp. IV 13). — *in usura omnia ponit non magna,* ut lib. XV u. 485 'hic omnia ponit'; eandem sententiam protulerat poeta lib. XXVII u. 701, Terent. Andr. 716 'Nilne esse proprium quoiquam, di uostram fidem', ubi uide Spengelii adnot. Hor. serm. II 2, 133 'Nunc ager Vmbreni sub nomine, nuper Ofelli dictus, erit nulli *proprius,* sed cedet in *usum* nunc mihi, nunc alii'; epist. II 2, 171 'tamquam sit *proprium* quicquam, puncto quod mobilis horae nunc prece, nunc pretio, nunc ui, nunc morte suprema permutet

dominos et cedat in altera iura. Sed quia perpetuus nulli datur usus' e. q. s. Itaque *usura non magna* significatur breue uitae spatium quo frui licet rebus omnibus. Eandem sententiam de uita ipsa protulit Accius 422 R 'Fors dominatur, neque uita ulli propria in uita est' Lucret. III 971 'uitaque mancipio nulli datur omnibus usu' (ubi uide Heinzei adnot.) Consol. ad Liu. 369 'uita data est utenda, data est sine faenore nobis mutua' Carm. Lat. Epigraph. Buecheleri I p. 90, 185 'Fortuna spondet multa multis, praestat nemini: uiue in dies et horas, nam proprium est nihil': ad Lucil. lib. XXVII u. s. s. Muellerus attulit Plaut. Cist. 194 'ut sunt humana, nil est perpetuum datum'. — *Contemnit,* ultima in caesura producta syllaba, conf ind. gramm. s. u. productio. — nil neminem habere: ita Ennius Erecth. 130 R 'Lapideo sunt corde multi quos non miseret neminis' Nonius p. 532, 11 'negatiuas duas pro negatiua una accipiendas Varro monstrauit de uita p. R. lib. II "qua abstinentia uiri mulieresque Romanae fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere".' (Idem Sat. Menipp. 45 B quos locos adfert L. Muellerus. Petron. 42. 76 Friedlaenderi edit. p. 234). Plaut. Mil. 1411 'iura te nociturum non esse homini de hac re nemini' Cic. Verr. II 60 'Debebat Epicrates nummum nullum nemini' ubi *nullum* male om Vatic. (Brixius ad Plaut. Men. 371 Spengelius ad Ter. Andr. 205). — Stoicus, quem furem litterarum dixerat poeta, suis sese excusat philosophiae praeceptis: proprium nihil neminem habere cum constet, immerito furti sese ait argui.

552. Nonius p. 7, 1 'Caluitur dictum est frustratur. . . . Lucilius satyrarum lib. XVII "si non it, capito, inquit, eum, et si caluitur ergo fur dominum".' De eodem fure agitur quo agitur uu. 549 seqq. 'Quid lex'? interrogat poeta 'si nolet confiteri furem se esse neque in ius ambulare?' Respondet eodem quo Horat. serm. II 1, 82 modo uerba legis XII tabularum adferens commutata secundum sui temporis sermonem. Quae tradita sunt apud Porphyr. ad Hor. serm. I 9, 76 'ni it, antestamino. igitur en capito'. Fest. p. 313 'si caluitur pedemue struit, manum endo iacito'. Lucilius unam effecit sententiam, ne *endo iacito* quod idem sit atque *capito* iteraret. Sed ambiguam esse legis sententiam respondet aduersarius simili ratione atque lib. XVI u. 520 de testamenti ambiguitate actum fuit. Nam e legis uerbis efficias, furem licere domino rei manum inicere ni iturus sit. Dominus proprie dicitur is cuius est res (Plaut. Rud. 969 Hor. epist. II 2, 174): ergo saepenumero in quaestionibus adhiberi edocet Handium secutus Draegerus syntax. hist. ling. Lat. II² p. 177: conf Plaut. Trin. 191 'Polliceor operam'. 'Ergo ubi eris paulo post?' Hor. serm. II 5, 101 'Ergo nunc Dama sodalis nusquam est?' Conf Kiesslingius ad Horat. carm. I 24, 5.

XVIII.

554. Nonius ex grammatico p. 113, 7 'Frunisci pro frui. Lucilius lib. XVIII "aeque . . . tu".' Frunisci Plaut. Rud. 1012 Claudius Quadrigarius Metellus Numidicus ap. Gellium XVII 2 adhibuerunt: in Campania usitatum fuisse edocent Lucilius Nouius 77 R CIL IV 2953, inprimis Petronii Campani 43. 44. 75: usus fuerat hoc uocabulo etiam Coelius Antipater lib. II cuius uerba ap. Nonium l. s. periere.

555. Nonius ex grammatico p. 544, 11 'Cadi uasa quibus uina conduntur. Lucilius lib. XVIII "milia *ducentum formenti tolles* . . . cadum".' Idem fortasse e Lucilio ipso p. 495, 32 'Accusatiuus numeri singularis positus pro genitiuo plurali . . . * * * tollis medimnum uini mille cadum".' Milia dūcentum pro dŭcenta milia, sescentum pro sescenta Lucilium dixisse constat hoc uersu et lib. XXX u. 1051: conf L. Muelleri d. r. m.² p. 298 Neuei de formis ed. 3 II p. 296 seqq.: Digest. XLVI 3, 89, 1 'Lucius Titius ex duobus chirographis, quibus quadringenta ei a Seio debebantur, altero centum, altero tercentum', e. q. s. — tollis, de area tollis trita: Cic. Verr. III 36 'ne quis frumentum de area tolleret ante quam cum decumano pactus esset' 37 'Sic deportandi dies praestituta tollere cogebat ex area'. Vna cum messi memoratur uindemia, sicuti lib. XXVII u. 707; Tibull. I 1, 24 'io messes et bona uina date'. — cadum: utitur hoc genetiuo Varro de uita p. R. lib. IV ap. Non. l. s. s. 'supra decem milia cadum' idem ap. Plinium nat. hist. XIV 96 'milia cadum congiarium diuisit amplius centum'. Imitatus est Lucilium Horatius serm. II 3, 111 'siquis ad ingentem *frumenti* semper aceruum porrectus uigilet cum longo fuste neque illinc audeat esuriens dominus contingere granum . . . si positis intus Chii ueterisque Falerni *mille cadis*, nihil est, tercentum milibus, acre potet acetum' e. q. s. I 1, 45 'milia frumenti tua triuerit area centum, non tuus hoc capiet uenter plus ac meus'. Hunc locum attulit Franckenus coniect. crit. in Lucilium II p. 41, qui u. 554 'aeque fruniscor ego ac tu' eiusdem arbitratur esse disputationis.

XIX.

557. Nonius p. 12, 3 'Passum est proprie rugosum uel siccum. Plautus Sticho . . . "uelo passo" . . . id est laxo et rugoso. unde et uua passa dicta est, quod sit rugis inplicata. Plautus . . .

''pro uua passa pensili''.' Lucilius satyrarum lib. XVIIII (VIIII Leidensis) ''rugosi . . . quaerunt''.' *eadem omnia* Lucr. IV 1174 'nempe eadem facit, et scimus facere, omnia turpi' i. e. formonsa femina eadem omnia facit quae turpis facit; Plaut. Asin. 613 'mihi certum est facere in me omnia eadem quae tu in te faxis' Terent. Hecyr. 199 'utin omnes mulieres eadem aeque studeant nolintque omnia neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias!' Suppleas igitur quod positum erat in uersus antecedentis fine '*omnes*'. — Quaerunt, ut lib. XXVII u. 717 'sic amici quaerunt animum, rem parasiti ac ditias'. Communia esse senum studia et mores scripserat poeta, quos inprimis dicit rem et pecuniam quaerere parcos et tenaces: Aristot. rhetor. II cap. 13 p. 1389 b 28 seqq. *καὶ ἀνελεύθεροι· ἓν γάρ τι τῶν ἀναγκαίων ἡ οὐσία, ἅμα δὲ καὶ διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἴσασιν ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι καὶ ῥάδιον τὸ ἀποβαλεῖν* Hor. art. poet. 169 'multa senem circum ueniunt incommoda, uel quod quaerit et inuentis miser abstinet ac timet uti, uel quod res omnis timide gelideque ministrat' Simonides ap. Plut. an seni g. s. resp. 5 p. 786 B *Σιμωνίδης ἔλεγε πρὸς τοὺς ἐγκαλοῦντας αὐτῷ φιλαργυρίαν ὅτι τῶν ἄλλων ἀπεστερημένος διὰ τὸ γῆρας ἡδονῶν ὑπὸ μιᾶς ἔτι γηροβοσκεῖται τῆς ἀπὸ τοῦ κερδαίνειν* (Thucyd. II 44, 4 Aristoph. Pac. 698). — rugosum et passum dicit eum qui audit Terent. Eun. 688 'uietus uetus ueternosus senex'.

558. Nonius ex grammatico p. 445, 31 'Multum et satis eo distant . . . et lib. XVIIII ''denique *ut* . . . *nihil* . . . sint''.' Eandem sententiam tractarat lib. XXIX u. 807, similem lib. V u. 203 seqq., ubi uide adnot.: facit huc imprimis Turpilii locus l. s. allatus. — *Nil:* disyllabon ubique apud Lucilium quod nusquam ita positum sit sicut apud Vergilium Aen. II 287 'ille nihil': uide ind. uerb. s. u. Contrarium est *omnia,* quod idem est atque apud Turpilium *quiduis satis est.* Imitatus est Horatius serm. I 1, 61 seqq. 'At bona pars hominum decepta cupidine falso ''nil satis est'', inquit, ''quia tanti, quantum habeas, sis''.' conf Lucil. incert. u. 1120.

559. Nonius p. 358, 10 'Optare, eligere. Lucilius satyrarum lib. XVIIII ''aurum uis *hominem* habeas . . . optem''.' Dixerat poeta 'Itaque aurum hominis auari infelix et infructuosum non expeto. Neque uero hominem ipsum qui uilior sit auro suo. Nam si quis ita interroget ''aurum uis hominemne? habeas licet'' nemo non respondeat ''Hominem? quid ad aurum?''' i. e. homo nihil est ad aurum: conf quae exposuimus ad lib. IX u. 334. Liu. XXXVIII 53, 10 'quid ad primum consulatum secundus, etiamsi censuram adicias?' ibique interpretes. Recte Nonius 'optare, eligere'. Plaut. Rud. 853 'rapi te obtorto collo mauis an trahi? Vtrumuis opta dum licet' (Catull. LXIV 82). — *ne* post *hominē* excidisse recte statuit Lachmannus: Horat. epist. I 11, 3 'maiora minorane fama' Lucil. lib. XXII u. 582. Ex *habeas* quod sequitur supplendum 'aurum uis habere?' eodem modo quo Latine dicitur *uolo te paucis.* Quare, ut dicimus, non uideo, quid hic in homine auaro magnopere optem: et aurum sordet et dominus auri. Varro sat. Menipp. 404 B 'si quantum operae sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam partem philosophiae dedisses, ipse bonus iam pridem esses factus. nunc illum qui norunt, uolunt emere ''milibus centum'', te qui nouit nemo centussis'. Comparat Mercerus Cic. de off. II 71 'Quam ob rem melius apud bonos quam apud fortunatos beneficium collocari puto. Danda omnino opera est, ut omni generi satis facere possimus. Sed si res in contentionem ueniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus. Qui cum consuleretur, utrum bono uiro pauperi an minus probato diuiti filiam collocaret: 'ego uero', inquit, 'malo uirum qui pecunia egeat, quam pecuniam quae uiro'. — *ut dicimus,* ut lib. IX u. 353. ut dico XIV u. 470.

561. Nonius p. 358, 2 'Olim temporis futuri. . . . Lucilius satyrarum lib. XVIIII ''sic . . . *haec* delectare domi *ne* (*te* Leidensis prima manu)''.' Qua ex scriptura huius codicis qua reliquos omnes anteit ille praestantia facile cernitur: *ae* pro *haec* I. Dousa. Adnotat Corpetus iam Dacerum intellexisse Horatium serm. I 1, 30 Lucilii hunc locum esse imitatum 'hac mente laborem sese ferre, senes ut in otia tuta recedant, aiunt, cum sibi sint congesta cibaria. sicut paruola, nam exemplo est, magni formica laboris ore trahit quodcumque potest atque addit aceruo quem struit . . . quae, simul inuersum contristat Aquarius annum, non usquam prorepit et illis utitur ante quaesitis sapiens cum te neque feruidus aestus demoueat lucro neque hiems, ignis, mare ferrum'. Fab. Aesop. 295 Halm. *θέρους ὥρᾳ μύρμηξ περιπατῶν κατὰ τὴν ἄρουραν πυροὺς καὶ κριθὰς συνέλεγεν, ἀποθησαυριζόμενος ἑαυτῷ τροφὴν εἰς τὸν χειμῶνα. delectare* ubique cum *te* pronomine Lucilius posuit: Cato de agr. cult. 30 'ubi sementim facturus eris, ibi oues delectato'. — Formicae mentionem igitur ante hos uu. esse factam *sic* demonstrat particula: de *olim* uide ad lib. IV u. 168.

563. Nonius ex grammatico p. 176, 11 'Singulatim et singillatim a singulis. . . . Lucilius lib. XVIIII ''sic . . . mouetur''.' Conf Cic. pro Font. 12, 27 'Scit Indutiomarus, quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore, quo nostrum unusquisque, cum in eum locum productus est?' Plaut. Trin. 881 'si unum quidquid singillatim et placide percontabere'.

564. Nonius p. 396, 19 'Sumere etiam significat eligere. . . . et lib. XVIIII ''sume . . . unus''.' Vitae ante actae diem

elige qui omnium tibi uisus est pulcherrimus: huius memoria laeteris oportet: 'pulcher fugatis ille dies Latio tenebris' Hor. carm. IV 4, 39, 'Cressa ne careat pulchra dies nota' I 36, 10, Plaut. Poen. 255 'diem pulcrum et celebrem et uenustatis plenum'; Cic. Philipp. II 43, 110 'sume diem, uide qui te inauguret': proprie enim dicitur diem sumere (pro Caec. 7, 20 'dies ex utriusque commodo sumitur').

565. Nonius ex grammatico p. 149, 33 '*Peniculamentum* a ueteribus pars uestis dicitur. ... Lucilius lib. XVIIII "*penulamento uere* ... noli".' Recte I. Dousa *uero*. Peniculamentum, quod est syrma Graece, ex Ennio sumpsit ann. XI 362 V, ex eodem Ennii contubernalis Statius Caecilius 132 R. *Reprehendere* Lucilius hic scripsit, cum raro in uersu medio ante mutam cum liquida uocales produceret: contra lib. XX u. 573 scripsit *reprendi*, ubi codd *reprehendi*. Coniungendum est hoc fragmentum cum uersu sequenti. Vulgo dicitur 'reprehendere aliquem pallio' *λαβέσθαι τινὸς τοῦ ἱματίου* quod faciebant qui in itinere currentes retinere uolebant colloquendi aut aliquid petendi causa: conf Plaut. Asin. 587 'Lacrumantem lacinia tenet lacrumans' (Paul. ex Fest. p. 117 'lacinia ... pars uestimenti est'). Brixius ad Plaut. Mil. 59 Stallbaumius ad Plat. Reip. I p. 327 B. Veluti apud Hom. *Γ* 385 Venus Helenam adlocutura *χειρὶ δὲ νεκταρέου ἑανοῦ ἐτίναξε λαβοῦσα.* At Tityum rudem depingit Apoll. Rhod. I 760 *ἐρύοντα καλύπτρης ... θαρσαλέως* Latonam. Mus. Her. et Leand. 118 *θαρσαλέως παλάμῃ πολυδαίδαλον ἕλκε χιτῶνα.* 123 *Ξεῖνε, τί μαργαίνεις; τί με, δύσμορε, παρθένον ἕλκεις; Ἄλλην δεῦρο κέλευθον· ἐμὸν δ' ἀπόλειπε χιτῶνα.* Arat. 637 *οἵ μιν ἔφαντο ἑλκῆσαι πέπλοιο* Nicand. Ther. 16 *ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.* Insolens igitur et proteruus erat, qui mulierem tali modo compellabat honestam; notum enim est qua uerecundia Romani homines mulieres in publico prosecuti sint quosque honores eis tribuerint *ὧν καὶ ταῦτά ἐστιν· ἐξίστασθαι μὲν ὁδοῦ βαδιζούσαις, αἰσχρὸν δὲ μηδένα μηδὲν εἰπεῖν παρούσης γυναικός κτλ.* (Plut. Romul. 20 Val. Max. V 2, 1) 'in ius uocanti matronam corpus eius adtingere non permiserunt ut inuiolata manus alienae tactu stola relinqueretur' (Val. Max. II 1, 5). Postremo illud ueste homines reprehendere infantium maxime esse poetae testantur ueluti Homerus X 493 *δευόμενος δέ τ' ἄνεισι πάϊς ἐς πατρὸς ἑταίρους ἄλλον μὲν χλαίνης ἐρύων, ἄλλον δὲ χιτῶνος· Π* 7 *τίπτε δεδάκρυσαι, Πατρόκλεις, ἠΰτε κούρη νηπίη, ἥ θ' ἅμα μητρὶ θέουσ' ἀνελέσθαι ἀνώγει, εἱανοῦ ἁπτομένη καί τ' ἐσσυμένην κατερύκει ...* Eurip. Troad. 557 *βρέφη δὲ φίλια περὶ πέπλους ἔβαλλε ματρὶ χεῖρας ἐπτοημένας* 750 *ὦ παῖ ... τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχῃ πέπλων.* Pueros infantes patres peniculamento reprehendentes effinxit artifex anaglyphi arae Pacis Augustae tab. VI 22. 33 edit. Petersen.

566. Nonius p. 56, 5 'Infans a non fando dictus est. ... *curius* lib. XVIIII "ut ... honestam".' pueri infantes, uide ad lib. XV u. 486. mulierculam deminutiuum posuit quia casus obliquos uocabuli *mulier* metrum non capit.

567. Priscianus GL II 542, 26 K 'Alia uero in si desinentia supra dictam regulam seruant, id est generalem in si desinentium, sensi sensum, rausi rausum. unde Lucilius in XVIIII "rausuro ... orestae".' Agitur de tragoedo, qui carmina perdit: Vergil. eclog. III 26 'non tu in triuiis, indocte, solebas stridenti miserum stipula disperdere carmen?' Propert. II 33, 9 'cum te iussit habere puellam cornua Iuno et pecoris duro perdere uerba sono' Demosth. de cor. 180 *Κρεσφόντην ἢ Κρέοντα ἢ ὃν ἐν Κολλυτῷ ποτε Οἰνόμαον κακῶς ἐπέτριψας;* Plutarch. de uit. pud. 6 p. 531 B *οἷον ἐν συμποσίῳ φίλου κιθαρῳδὸς ᾄδει κακῶς ἢ πολλοῦ κωμῳδὸς ἐωνημένος ἐπιτρίβει Μένανδρον.* Suppleas igitur oportet 'ut ludius olim rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste': actor tragicus Liu. XXIV 24, 2. *Rausuro Oreste* ablatiuus est absolutus (conf Draegeri synt. hist. l. Lat. II ed II § 580 Reisigii scholas de syntaxi l. L. anno 1888 editas p. 765 adnot.): cuius constructionis hoc loco est testimonium antiquissimum omnium. Lepide herois personam ab histrione discernit poeta, cum histrio ille Orestis partes egerit. Cic. de or. I 259 'Itaque nos raucos saepe attentissime audiri uideo ... at Aesopum, si paulum irrauserit, explodi'. Ad Pacuuii Dulorestem Latinumque tragoedum pertinere hunc u. uoluit van Heusdeus stud. crit. in Lucil. p. 305 Corpetus ad h. u., qui secuti sunt Naekium (opusc. I p. 105); rectius, opinor, de Graeca aliqua fabella et de Euripidis Oreste cogitauit Lachmannus ap. Meinekium FCG V 1 p. 53, qui Strattidis comparauit uersus (CAF I p. 711 K): *καὶ τῶν μὲν ἄλλων οὐκ ἐμέλησέ μοι μελῶν· Εὐριπίδου δὲ δρᾶμα δεξιώτατον διέκναισ' Ὀρέστην, Ἡγέλοχον τὸν Κυννάρου μισθωσάμενος τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶν λέγειν.* Nam omnium fabularum et illa Lucilii et omni aetate in scaena clarissima erat Orestes: quod testantur tituli Dittenbergeri syll. inscr. Gr. ed. alt. 696, 19. 700, I, scholia in Orestem (II p. 406 Schwartz. s. u. *scaenica*), papyrus scaenica Vindobonensis (Ianus Mus. Scr. Gr. supplem. Lips. 1899 p. 6), Dionys. Halic. de compos. uerb. cap. 11 alia.

XX.

568. Priscianus GL II p. 485, 19 K 'Tergeo, tersi. ... Lucilius in XX "purpureo tersit tunc latas gausape mensas".'

Apparet conuiuium describi opulentum et opiparum, quale Horatius serm. II 8 descripsit: quem u. 11 imitatum esse hunc Lucilii u. adnotat Dousa. Praecesserat gustationis descriptio sicuti apud Horatium u. 6 ‘in primis Lucanus aper . . . acria circum rapula, lactucae, radices . . . siser, allec, faecula Coa. his ubi sublatis puer alte cinctus acernam gausape purpureo mensam pertersit’: similiter ap. Petronium post gustationem (cap. 31) euerruntur purgamenta scopis (cap. 34). — *tunc* codd, *tum* Lachmannus: ego traditum ut lib. XXX u. 985 mutare non audeo, cum in usu cottidiani sermonis facile *tum* et *tunc* potuerint confundi: conf Friedlaenderus ad Iuuen. IX 118. E sermone cottidiano arripuit *gausape* uocabulum, Gallicum quod esse uidetur aut Venetum (Strab. V p. 218). — *latas:* Iuuen. XI 121 ‘putere uidentur unguenta atque rosae, latos nisi sustinet orbes grande ebur’: unicuique conuiuae sua apposita erat mensa sicuti ap. Petron. 34 uel binis una (Lucian. conuiu. 38): conf lib. XXX u. 1062. Paenultimum hunc librum scriptum fuisse anno fere 647/107 exposuimus prolegg. p. XLIX quo anno apud Granium praeconem L. Crassus orator cenarat quam cenam bis narrauerat Lucilius (uide incert. u. 1180). Quare nihil probabilius quam Granii cenam in hoc ipso narratam fuisse libro: eandem iterum poeta descripserat lib. XXI, opinor, qui periit. Conuiua Granii item fuerat illa in cena Lucilius cum Romae etiamtunc uersaretur. Vide ad incert. u. 1174 seqq. 1180.

569. Nonius ex grammatico p. 151, 3 ‘Praecisum et omasum, partes carnis et uiscerum. . . . Lucilius lib. XX “illi *praecioso* (*praeciọso* Leidensis) . . . opimis”.’ Describitur caput cenae. Apte cum hoc uersu coniungas incert. u. 1174 seqq. ‘fingere praeterea, adferri quod quisque uolebat. illum sumina ducebant atque altilium lanx, hunc pontes Tiberinus duo inter *captus* catillo, illi praeciso atque epulis *capiuntur* opimis’, ita ut in capiendi uerbo lusisse uisus sit poeta. Quod primus fecit F. Dousa, qui tamen inepte libro IV (4. 5) utrumque adtribuerit fragmentum. Caput cenae ‘pisces, conchylia, sumen et cortis saturas atque paludis aues’ ap. Martial. XI 52, 13, apud Horatium l. s. cenant ‘aues conchylia pisces (u. 27. 86 seqq.), in Luciani conuiuio cap. 38 *τὸ ἐντελὲς ὀνομαζόμενον δεῖπνον, μία ὄρνις ἑκάστῳ καὶ κρέας ὑὸς καὶ λαγῷα καὶ ἰχθύς*: conchylia cenis adhibere Aemilii Scauri lege sumptuaria uetabatur (uide ad lib. XIII u. 440): uide ad incert. u. 1174 quae adnotauimus. *οὔθατα* ut caput cenae commemorat etiam Philodemus ad Pisonem AP XI 44. — capiuntur, ut Martial. XIII 56 ‘Te fortasse magis capiat de uirgine porca, me materna graui de sue uulua capit’.

570. Gellius III 14, 10 ‘Itaque Lucilius eadem secutus . . . iam in uicesimo manifestius “dimidiam horam” dicere studiose

fugit sed pro “dimidia” “dimidium” ponit in hisce uersibus “tempestate . . . *hora* . . . quartam”. nam cum obuium proximumque esset dicere “dimidia et tribus confectis”, uigilate atque attente uerbum non probum uitauit’. Agitur opinor de febri cottidiana, quae tempestate sua atque eodem uno tempore remittat, postquam et horae dimidium et tres horae minimum confectae sunt, semper eandem ad quartam horam: non diei horam dicit, sed totius temporis spatii quo aegrotus cubat febri correptus. Plin. nat. hist. VII 169 ‘at hercule reliquis omnibus per singulas membrorum partes, qualiter nullis aliis animalibus, certis pestifer calor remeat horis aut rigor, neque horis modo, sed et diebus noctibusque’ e. q. s. Cels. III 3 p. 77, 29 seqq. Daremb. de febrium generibus ‘aliae cotidie pares sunt, aliae impares . . . aliae tempore eodem postridie reuertuntur, aliae uel serius uel celerius’. tempestate sua (suo tempore Cic. Lael. 11) atque eodem uno tempore, ut ‘loco ac regione’ lib. V u. 189. — ad Her. IV 39, 51 extr. ‘uno denique atque eodem tempore’: uide ad incert. u. 1191. — *dumtaxat* ad numerum pertinet: Plaut. Truc. 445 ‘iubebo ad istam quinque deferri minas praeterea obsonari ⟨*una*⟩ dumtaxat mina’ ubi *una* addidit Bergkius: Cato de agr. cult. 21, 5 ‘operas fabri dumtaxat HS VIII’ 49, 1 ‘uineam ueterem si in alium locum transferre uoles, dumtaxat brachium crassam licebit’. — confectis: Sil. IV 89 ‘lux aderat somnusque suas confecerat horas’. — ‘eandem ad quartam’ dixit pro ‘eadem quarta hora’ sermone opinor uulgari. Dicit Seneca quaest. nat. III 16, 2 Haasei ‘Quartana ad horam uenit’, Liuius XXIII 17, 9. 21, 2 ‘ad diem’, III 22, 4 ‘postquam ad diem praestitutum uenerunt socii’ Augustus ap. Sueton. August. 87 ‘ad Kal. Graecas soluturos’.

573. Nonius p. 427, 30 ‘Priores et primores hanc habent diuersitatem. . . . Lucilius satyrarum lib. XX “calpurni *saeua lege in* pisonis *reprehendi* . . . in *primoribus* naris”.’ Narrat homo nobilis, quam orationem quondam apud populum habuerit, in ea sese magna ira commotum reprehendisse legis Calpurniae repetundarum quaedam nimis saeuiter rogata: quae oratio non necesse est habita sit inter Calpurniae annum 605/149 et legem, quam ante Aciliam repetundarum i. e. annum 631/123, M. Iunius D. f. tr. pl. rogauit (CIL I 198, 74): potuit enim legis Calpurniae qualibet de causa caput aliquod reprehendere orator quidam nobilitatis amicus. Conuiua qui haec narrat dubito an fuerit Crassus orator, illo tempore cum tr. pl. fuerit: uide prolegg. p. XLIX et ad u. 568. ‘Hoc’, inquit, ‘apud populum nuper Calpurni saeua lege in Pisonis reprendi, qua in reprehensione summa efferebar et ira et acrimonia’. Scribitur uulgo *saeuam legem Pisonis reprendi* quod etiam L. Muellerus ap. Nonium l. s. maluit recipere. Ego non uideo quare tradita mutemus: ausus est Lucilius uerba

eodem modo traicere quo Vergil. georg. IV 333 'thalamo sub fluminis alti' Ouid. Trist. V 2, 75 'uel rapidae flammis urar patienter in Aetnae': conf Neuei de formis l. L. II ed. 3 p. 950: *reprendo* trisyllabon Horatius serm. I 10, 55 epist. I 18, 39 in exitu posuit uersus, item Ouid. Heroid. XI 55 'elapsaque uerba reprendo'. *saeua,* acerbissimam appellat Seruiliam Cic. pro Balb. 54, idem de off. II 75 post Calpurniam 'tot leges et proxumae quaeque duriores'. — in primor⟨is fauc⟩ibus naris scripsi: sententiam Lucilii perspexit Casaubonus ad Pers. V 91 'ira cadat naso'; Theocr. I 18 *δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.* Herond. VI 37 *μὴ δή, Κοριττοῖ, τὴν χολὴν ἐπὶ ῥινὸς ἔχ' εὐθύς.* Similiter, si recte editur Petron. 62 'mihi *anima* (in animo *cod*) in naso esse', Hom. ω 318 *τοῦ δ' ὠρίνετο θυμός, ἀνὰ ῥῖνας δέ οἱ ἤδη δριμὺ μένος προέτυψε, φίλον πατέρ' εἰσορόωντι.*

575. Nonius p. 201, 21 'Colubra feminini. Lucilius satyrarum lib. XX "iam disrumpetur . . . omnis".' Non agitur de homine uoraci, sed de eo qui aut ira aut inuidia rumpitur, cuius uenae sint extentae: quod ad iram egregie pertinere manifestum: Seneca de ira II 35, 3 'tumescunt uenae. concutietur crebro spiritu pectus, rabida uocis eruptio colla distendet . . . quanto illi intra pectus terribilior uultus est, acrior spiritus, intentior impetus, rupturus se, nisi eruperit?' 36, 4 'magis illud uidendum est, quam multis ira per se nocuerit. alii nimio feruore rupere uenas' e. q. s. III 4, 1 'uenis tumentibus' e. q. s. De ira aperte agitur u. 574. — disrumpetur, ita *διαρραγῆναι* Graeci. medius: Philippid. CAF III p. 308, 5 K *δι' ὃν ἀσεβοῦνθ' ὁ πέπλος ⟨δι⟩ερράγη μέσος* Act. apost. I 18 *ἐλάκησεν μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ.* Verba Lucilii hoc modo iungenda sunt: 'iam disrumpetur, medius iam disrumpetur, eum uenas omnis extenderit, ut Marsus colubras cantu disrumpit': nempe comparantur uenae anguibus naenia Marsi intumescentibus. De Marsorum naeniis magicis Horat. epod. XVII 29 Ouid. fast. VI 142 art. am. II 102, de Marsis anguium domitoribus Verg. Aen. VII 750 Sil. VIII 496 Seru. ad Verg. l. s. Gell. XVI 11, 1: Pompon. 118 R 'Mirum ni haec Marsa est, in colubras callet cantiunculam' Ouid. med. fac. 39 'nec mediae Marsis finduntur cantibus angues' quem locum attulit F. Dousa.

577. Nonius p. 19, 2 'Nebulones et tenebriones dicti sunt... idem lib. XX "nugator *cuidem* . . . multo".' Recte Lachmannus *cui dem:* conf Seneca de benef. III 11, 1 'Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: "Cui des, elige: ipse tecum, si deceptus es, querere; dignum adiuua".' Alio sensu saepe in Ciceronis epistulis: ad Att. II 19, 5 'si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia' VII 9, 1 'si habebo, cui dem, cottidie'. Qua de re agatur, dubium est: *dare* saepe obscaeno usurpari sensu

diximus ad lib. XXIX u. 868. Videtur itaque dixisse faceta meretrix 'hunc merito exclusi: nolo equidem nugator cui dem ac nebulo sit maximus multo'.

578. Nonius p. 490, 31 'Guberna pro gubernacula. Lucilius satyrarum lib. XX "proras . . . *detundite* guberna".' Marius Victorinus GL VI p. 56, 6 K 'Pari ratione in uersu et apocope praecepta (*recepta* Lachmannus) est, id est subtractio syllabae syllabarumue cuiuslibet ⟨*partis*⟩ orationis, metro cogente facta; quae siue in uerbo siue in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur; ut . . . similiter "proras *detendite et spoliate* guberna", id est gubernacula, sicuti diximus, metri necessitate'. 'Oues tundunt⟨ur⟩' legitur in Menologiis rusticis CIL I² 1 p. 280 sub tauro: itaque '*detundete*' formam nos restituere licebit Lucilio, qui *furnacibus* lib. VII u. 291. Posuit idem uocabulum *guberna* in uersus exitu Lucretius II 553 IV 439, qui singulariter *gubernaclum* ponat IV 904: uterque poeta imitatus esse uidetur Ennium, qui eiusmodi usus sit uerborum commutationibus, ueluti *cael gau:* pluralem uocabuli *gubernacla* sine elisione metrum non capit. Prouerbium uidetur Lucilius adhibere Graecum quod adhibet Philostr. heroic. II p. 140, 2 Kays. *καὶ τὰ ἐκ πρώρας, φασί, καὶ τὰ ἐκ πρύμνης ἀπολεῖται* Cic. epist. XVI 24, 1 'mihi prora et puppis, ut Graecorum prouerbium est, fuit a me tui dimittendi'.

XXII.

579. Donatus ad Phormionem Terentii II 1, 57 'Columen uero familiae. Columen, culmen. an columen columna? unde columellae apud ueteres dicti serui maiores domus. Lucilius XXII "seruus . . . *quanquam* (olim impressi *quaquam*) . . . *columelle* hic situs".' Martialis libro XI 90 'Carmina nulla probas molli quae limite currunt, Sed quae per salebras altaque saxa cadunt, Et (scribendum *est*) tibi Maeonio quod (Lachmannus *quoque*) carmine maius habetur *Lucilli* columella, hic situs, Metrophanes'. Columen familiae Terentius l. s., senati columen Plaut. Cas. 536 Eurip. Iphig. Taur. 57 *στῦλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες:* columella abiit in Hispania in cognomen quo Iunius Moderatus Gaditanus appellatus est. — neque infidus neque inutilis: Iul. Exuper. epit. 2 (archiu. lexic. Lat. XII 1902 p. 564) 'capite censos ciues infidosque atque inutiles'. Seruus *fidus* Plaut. Mostell. 785 secundum Ritschelii emendationem, *infidus* Asin. 568 — serui inutiles Lucas XVII 10 *δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν.* Constat seruos inprimis in cippis Atticis *χρηστούς* appellari (K. Keilius annal. phil. suppl. IV p. 628). Conf praeterea de locutione *non inutilis*

Colum. II 11 extr. Auct. bell. Afr. 54, 4. Codd Donati *quanquam, quaquam* impressi, *quoiquam* I. Dousa, qui datiuus non ferri potest post *domino.* Quodsi scripsit *quaquam* Lucilius, diuisit uocabulum *nequaquam* quod reuera in adiectiuis saepe usurpatur (Cic. Lael. 69 'sibi nequaquam parem' Caes. b. Gall. IV 23, 4 'nequaquam idoneum locum' Hor. epist. II 1, 20 'nequaquam simili ratione'), sicuti Terentius Heaut. 175 'haud quaquam etiam cessant'. Sed recte *quanquam:* apodosin fingas ad exemplum carminum sepulcralium ueluti in Kaibelii IGSI 793^{b} *εἰ καί σου κεύθει κάλλος νέον ὦ Κλεοπάτρα, τύμβος καὶ φροῦδόν σῶμα λέλογχε κόνις, ἀλλ' ἀρετὰ βιοτᾶς αἰὲν ζωοῖσι μέτεστι κτλ.* *lucili* uel *lucilli* codd Martialis si editores recte interpretor: quod Palatinus saec. XV exhibere dicitur *luceilei* Itali est commentum. — hic situs: uerbum substantiuum omisit ut adsolet: quod in Scipionis elogio (Buecheleri Carm. Lat. epigr. I 9 p. 7 legitur 'is hic situs' excusatur pronomine. — Martialis uerba intelleges comparato Quintil. X 1, 93 'Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent': etiam quod sequitur iudicium de Persio congruit cum Martial. IV 29, 7. — Initium libri XXII attulisse Donatum et Martialem probabile est qui librorum XXII—XXV propter ipsum genus epigrammaticum rationem habuerit: adfert primum pentametrum ut *Aeneadum genetrix* audit Lucretii poesis. Conscripserat poeta hoc libro seruorum‿suorum parentalia, sicuti Ausonius postea totius gentis suae Parentalibus, collegarum Professoribus. Quo tempore haec epitymbia scripserit poeta, non constat.

581. Nouo nuper auctus est Lucilius hoc fragmento a grammaticis illis quorum opera glossarum thesauri nobis patefacti sunt: primus edidit Goetzius Mus. Rhen. XL 1885 p. 324 has poetae reliquias admodum obscuras:

abzet: 'extincta' est uel 'mortua'. Lucilius in XXII
primum Pacilius tesorofilax pater abzet

quas repetiit uir doctus CGL IV p. XVIII, ubi operas male posuisse numerum XII loco priore recte positum editor ipse me certiorem fecit. Idem CGL VI p. 11 s. u. abzet Buechelerum tradit uerbum Paelignum afded (Carm. Lat. epigr. I p. 11, 17) agnouisse apud Lucilium. Similis litterarum bz coniunctio extat in titulo Pompeiano apud Cocchia l'origine del gentilizio Plautino Napoli 1899 p. 28 ubi legitur . . . 'P. Maccius Mamianus Fubzanus'. Ego miratus quod *abzet* Oscum uel Paelignum uocabulum de femina alio loco quem spectat grammaticus, hic apud Lucilium de uiro esse usurpatum statuendum sit, cum non probabile uideatur eiusmodi glossam saepius extare in litteris Latinis, sequi malui adiectiua feminina illa 'extincta est uel mortua': quibus deducimur ad Seruii comm. in Verg. Aen. IV 384 'sequar atris ignibus absens' ubi adnotatum est 'absens quasi mortua, ut (IX 215) "absenti ferat inferias"', in cod Floriacensi (F) 'absens . . . id est mortua': quod uocabulum apud Lucilium suspicor extitisse. De *absens* pro *mortuus* posito conf Loewe Gloss. nomin. p. 213 et editt ad Plaut. Casin. prolog. u. 20. Solent Latini usurpare *absens* simili qua Lucilius posuit ratione: Plaut. Rud. 742 'o filia mea, quom hanc uideo, mearum me absens miseriarum commones' Cic. pro Mil. 97 'esse hanc (gloriam) unam, quae breuitatem uitae posteritatis memoria consolaretur, quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui uiueremus' Vitruu. VII prooem. 8 IX prooem. 17. Ouid. met. XV 868 'tarda sit illa dies et nostro serior aeuo, qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto accedat caelo faueatque precantibus absens' Eurip. Hec. 312 *ἐπεὶ δ' ἄπεστι* Parisin. 2712, *ἐπεὶ δ' ὄλωλε* reliqui. *abiit* pro mortuus est Lucilius posuit lib. XXX u. 1093. Pacilius nomen Oscum in titulo Nolano (125 de Planta) *Paakul.* Fuit Lucilii poetae fidelis arcarius (RG VII 2 p. 1122, 4 W) quem inter multos primum enumerat qui extincti sunt: patrem appellat honorifice. Paceilius CIL VI 36029: at credibile non est poetam Pacilius posuisse trisyllabon facile quod potuit uitare (uide ad lib. VI u. 261). Itaque et hic et lib. VI l. s. melius erit statuere quantitatem syllabarum in nominibus propriis inprimis in municipalibus parum constare poetis.

582. Nonius ex grammatico p. 215, 5 'Nasus . . . neutri . . . idem lib. XXII "nasum . . . *serene pedes* (pedes dicic *L m. 1*)". Nepos dici et femina potest' e. q. s. Iunius scripsit *suraeue pedesue,* Lachmannus *suraene pedesne,* Muellerus *soeraene pedesne* maluit scribi. Recte Lachmannus. Interrogat poeta utrum nasum an crus rectius illi fuerit cum *rectius* dicat per contrarium nasum turpiter distortum. Serui turpis menda enumerat paterfamilias eadem diligentia qua uti solebant in emptionum apochis et in fugitiuorum renuntiationibus: conf papyrus ap. Wilckenum Herm. XIX 1884 p. 419 *δοῦλον . . . λευκόχρουν, ὑπόσιμον, εὐόφθαλμον, εὐθύ⟨κωλον⟩* (p. 424). 'Rectioribus cruribus' Pallad. VII 7, 7 'crus rectius' Horat. serm. I 2, 81. *Nunc* in enumeratione positum idem fere est atque *porro.* Respondet poeta ipse eo pentametro qui insequitur.

583. Nonius ex grammatico p. 149, 7 'Petilum, tenue et exile. Lucilius lib. *XII* (XXII Lachmannus) "insignis *uariis cruribus* et petilis".' *uaris cruribus* recte Bentinus: respondetur hoc pentametro ei quae antecedenti uersui inest quaestioni. Seruus qui nullis signis praeditus est, appellatur *ἄσημος* (Gradenwitzii introduct. in doctr. papyr. Lips. 1900 p. 61. Fuerstius Philolog. LXI

1902 p. 381 seqq.). *Petilus* adiectiuum obsoletum et rusticum inuenitur in Plauti uersu ap. Non. l. s. et p. 204 s. u. *frontem* allato et in carminis Saliaris fragmento apud Festum p. 205 s. u. *petilam suram:* nomen inde duxisse uidetur Petillia gens.

584. Nonius p. 210, 28 'Lauium neutri est generis . . . labeae rursum feminini. . . . Lucilius satyrarum lib. XXII "zopirion . . . secus".' Zopyrion nomen tritum seruorum: Lucian. de merced. cond. 23 AP XI 212: nil neque ad hunc u. pertinet neque ad lib. IX u. 336 Zopyri historia quam narrauit Herodotus III 154 seqq. Sententiam uersus aperit Nouii uersus (51 R) 'populus homini labeas pugnis caedere'. Cum Atellanarum sermone ut saepe congruit sermo Lucilianus: lib. IX u. 336 legitur 'rostrum labeasque percutio' Pompon. 144 'tibi cum tunderem labeas' 158 'qui nondum labeas lirarit mihi' 156 'rictum et labeas cum considero'. Itaque Zopyrion seruus nescio cui homini utrimque secus i. e. pugnis ambobus rostrum tundit. De *utrimque secus* conf H. Keilii comment. in Cat. de agr. cult. p. 48: Lucret. IV 939 'quare utrimque secus corpus cum uapulet'.

XXIII.

585. Priscianus GL II p. 506, 24 K 'Lambo quoque lambi. Lucilius (lucius *codd m. 1, correctum m. 2*) in XXIII (Sangallensis non habet *in XXIII*) "iucundasque . . . placentas".' Statuunt turpiter errare grammaticum: neque enim a lambendo sed a lamberando oportere deduci *lamberat* ut Plaut. Pseud. 743 'meo me ludo lamberas' ubi conf interpretes. Neque tamen est quod de plusquamperfecto dubites: nam descripserat poeta seruorum fata defunctorum libris XXII—XXV: 'iucundasque puer qui lamberat ore placentas nescioquid seruus ille peccauit senex'. Similiter Aristoph. Equ. 1089 χὤτι γ' ἐν Ἐκβατάνοις δικάσεις λείχων ἐπίπαστα Iuuen. IX 5 'nos colaphum incutimus lambenti crustula seruo' quem locum contulit Bentleius ad Hor. serm. II 6, 109. Etiam libro XXIII de seruis actum fuisse a poeta hoc ipso uersu fit apertum.

XXV.

586. Charisius GL I p. 123, 8 K 'Arabis Maro (Aen. VII 605), ubi Plinius . . . quid ergo, si sic declinauit ut Plautus in Bacchidibus et in Poenulo (1178) "Arabus myrrinus odor". Arabus Lucilius XXV "Arabus Artemo".' Non est quod dubites de fide numeri XXV, quia apte cogites de seruo Lucilii: nomen proprium *Artemo* primus ni fallor Baehrensius significauit. Quomodo in metro dactylico posita fuerint haec uerba, obscurum est. Si numerum libri corruptum esse statuere rectius uidetur, trochaicos numeros ueluti libri XXVI facile agnoscas: cui rationi obstat serui nomen, quod librorum XXII—XXV esse illa uerba confirmet. Arabus Lucilius sicuti Aethiopus lib. IV u. 159.

XXVI.

Primum et uetustissimum fuisse omnium hunc librum exposuimus prolegg. p. XXX seqq. et ad uu. 592—596, ubi de tempore quo compositus fuerit actum est: uide praeterea ad uu. 678 seqq. Tres saturas discripsimus prolegg. p. CXII quarum prima uu. 587—634 de noua sua poesi egerat poeta, secunda 635—675 item de poesi sua et de uitae suae condicione, tertia 676—687 de mulieribus et de matrimonio. Scripsit librum XXVI aut totum aut partem eius ad adulescentem, qui historiae conscribendae operam dabat: uide ad u. 612. Saturam primam imitatus est Horatius serm. II 1.

587. Nonius p. 191, 19 'Angues masculino genere dici . . . Lucilius lib. XXVI "nisi . . . scribitis".' Idem p. 436, 7 'Portenta, ostenta quae aliquid inminere significant. Lucilius lib. XXVI "nisi . . . *uolucres* . . . scribitis".' Angues uolucres et pinnatos scribunt ei qui de Arabiae et Aegypti portentis fabulantur ueluti Aelian. hist. anim. II 38 καὶ τούτων αἱ μέλαιναι τοὺς πτερωτοὺς ὄφεις ἐξ Ἀραβίας ἐς Αἴγυπτον παρελθεῖν οὐκ ἐπιτρέπουσι, τῆς γῆς τῆς φίλης προπολεμοῦσαι: tamen hoc loco aduersarium hortari ut Lucilius tragicae potius poeseos miracula ponat cartis, et *anguis* uocabulum quod tragoediae est proprium et probat Persii imitatio I 76 'est nunc Brisaei quem uenosus liber Acci, sunt quos Pacuuiusque et uerrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta?' Spectat Pacuuii Medum cuius descriptio anguium uolantium erat clarissima: seruatus est uersus 397 R 'angues ingentes alites iuncti iugo' quem pro fabulae exemplo ponit Cic. de inu. I 27 multique praeterea spectant scriptores, quorum testimonia collecta sunt apud Ribbeckium l. s. Supplendum est 'uos poetae populi animum non capitis nisi miracula scribitis et portenta' quibus uerbis aduersarius, quem inducit poeta interlocutorem, dehortatur ne tales uersus ille scriberet quales reuera erat scripturus.

588. Nonius p. 253, 14 ‘Capere, delectare. . . . Lucilius lib. XXVI “nunc itidem *populo istum scriptoribus* uoluimus . . . illorum”.’ Excidisse nonnulla apparet. ‘Semper ego auditor tantum? numquamne reponam uexatus totiens rauci Theseide Cordi?’ incipit Iuuenalis: ‘secuit Lucilius urbem . . . omne uafer uitium ridenti Flaccus amico tangit . . . me muttire nefas?’ Pers. I 114 seqq. Neque tamen populo sese placere uoluit hoc libro Lucilius, sed paucis tantummodo hominibus, sicuti Horatius serm. I 4, 72 seqq.: itaque *populo* (conf Pers. I 15) et *illorum* uocabula inter se sunt contraria. Sententiam mediam mancam esse apparet, sed praeter *istum* omnia uidentur esse sana. — *capere animum,* uulgaris sermonis: Petron. 76 ‘dominus in domo factus sum, et ecce cepi ipsimi cerebellum’ Ouid. met. IV 271 ‘factum mirabile ceperat aures’. — *illorum,* quos mox enumerabit.

590. Nonius p. 297, 17 ‘Efferre significat proferre. . . . Lucilius lib. XXVI “ego . . . uersum”.’ ex praecordiis: conf Lucr. I 412 ‘usque adeo largos haustus e fontibus magnis lingua meo suauis diti de pectore fundet ut uerear ne tarda prius per membra senectus serpat . . . quam tibi de quauis una re uersibus omnis argumentorum sit copia missa per auris’. Versum e pectore effert poeta dum dictat puero scribenti.

592—596. Crassus apud Ciceronem de oratore II 6, 25 quae scripsit anno 699/55 ‘Nam ut C. Lucilius, homo et doctus et perurbanus, dicere solebat, *neque se ab indoctissimis neque a doctissimis legi uelle, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse,* de quo etiam scripsit “Persium non curo legere”, hic fuit enim, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissumus, “Laelium Decumum uolo”, quem cognouimus uirum bonum et non inlitteratum, sed nihil ad Persium: sic ego . . .’ Plinius nat. hist. praef. 7 ‘Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio; utitur illa et M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus et, quod miremur, per aduocatum defenditur: “nec doctissimis. † *Manium* † *Persium* haec legere nolo, Iunium Congum uolo”. quod si hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putauit, Cicero mutuandum, praesertim cum de re publica (lib. I inc. sed. 1 Muelleri: anno 700/54) scriberet, quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimus?’ Cicero de fin. I 3, 7 anno 709/45 ‘Nec uero ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. *utinam esset ille Persius! Scipio uero et Rutilius multo etiam magis; quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere*’. Dixerat aduersarius ‘nemo uestra curabit nisi portenta anguisque uolucris ac pinnatos scribitis’. Respondet Lucilius ‘ego ubi quem ex praecordiis ecfero uersum’ . . . non omnes eum legere curo. Imitatus est Persius I 2 ubi aduersarius ‘“Quis leget haec?” Min tu istud ais? Nemo hercule. “Nemo?” Vel duo uel nemo’ e. q. s. Item Horatius serm. I 4, 72 ‘nulla taberna meos habeat neque pila libellos, quis manus insudet uulgi Hermogenisque Tigelli’ 10, 81 ‘Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque Valgius et probet haec Octauius optimus atque Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque . . . Demetri, teque, Tigelli, discipularum inter iubeo plorare cathedras’. Verba illa Ciceronis de orat. l. s. s. continent Lucilii ipsius aperte fragmenta: nam quae ponit ‘neque se ab indoctissimis neque a doctissimis legi uelle’ in eo quod Plinius seruauit ex Cicerone fragmento facile agnoscuntur, ad ‘quod alteri nihil intellegerent’ conf Ter. Andr. 17 ‘faciuntne intellegendo ut nil intellegant?’ Reicit poeta modestus iudicium C. Persii propter doctrinam eius, P. Scipionis Aemiliani, P. Rutilii Rufi cons. 649/105 propter sermonem suum parum elegantem: quorum unus ille Persius nulla re magis inclaruit quam Lucilii praeconio quod de doctrina eius hoc loco protulerat: hunc contra socios et nomen Latinum decem annis post stetisse edocet Cic. Brut. 99 ubi de C. Fannio ‘. . . qui consul cum Domitio fuit (632/122), unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit sane et bonam et nobilem (ORF ed. Meyeri[2] p. 199). Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fanni? Nam uaria opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio litterato homine scriptam esse aiebant, illo quem significat ualde doctum esse Lucilius: alii multos nobilis, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse’. Scipionis auspicio et ductu bello Numantino modo meruerat eques poeta: quo bello equitibus praeerat tertius ille Rutilius tribunus militum auctore Appian. Iber. 88 in expeditione Pallantina (conf lib. XXX u. 972) *ὁ δὲ (Σκιπίων) Ῥουτίλιον Ῥοῦφον, συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, τότε χιλιαρχοῦντα ἐκέλευσε τέσσαρας ἱππέων ἴλας λαβόντα ἀναστεῖλαι τοὺς ἐνοχλοῦντας.* Egregie constat de tempore huius saturae Ciceronis illo testimonio: rediit Scipio et Lucilius ex Hispania post tribunorum comitia anni 621/133 quibus mense Iulio Ti. Gracchus occisus est (Appian. b. c. I 14 Mommseni de iure publico p. R. I (1887) p. 585 Plut. Ti. Gracch. 7. 13. 21), ante comitia consulum acta fere mense Nouembri (Mommsenus l. s. p. 583: Cic. Lael. 73 ‘ut Scipio P. Rupilium potuit consulem (*anni* 622/132) efficere, fratrem eius Lucium non potuit’); scriptus est igitur saturarum liber post autumnum anni 621/133, ante annum 625/129 quo Scipio mortuus est. Quod poeta scripsit sese Consentinis, Tarentinis, Siculis malle scribere, quam urbanis illis, Scipioni (cuius sermonis elegantias tangit u. 963. 964) et Rutilio Rufo, id sermonis eius testimonium est egregium: Latino sermone id genus utebatur, qualem usurparant Scipionis milites ex tota Italia coacti, sermone minime nimirum urbano aut eleganti.

Consentinos Tarentinos Siculos semigraecos uel Graecos positos esse pro hominibus sermonis Latini parum gnaris recte adnotat Maduigius ad Cic. de fin. l. s. s. conf Cic. diuin. in Caec. 12, 39: propinquus tamen his erat populis poeta propter praedia quae habuit in Sicilia (uide ad u. 667). Cicero satis superbe contempsit Lucilii modestiam: contra decem annis ante in prohoemio librorum de republica teste Plinio simili usus erat modestia qua Lucilius, quem compluribus uersibus de lectoribus suis egisse apparet. Apud Plinium uersus Lucilii corrupti sunt: in posteriore uersu deest syllaba initio, prioris uersus exitus repugnat numeris. Quem emendaui leniter traditas augens litteras: sicuti sescentiens pro *lucius* restituerunt *lucilius*, ita pro *manium* posui *Manilium*. M. Manilium cos. 605/149 de quo Gellius XVII 7, 3 'Q. Scaeuola patrem suum et Brutum et Manilium, uiros adprime doctos, quaesisse ait' e. q. s. uidetur nominare poeta, Aemiliani amicum (Cic. de rep. I 18 extr. Hirschfeldius Sitzungsb. d. Berl. Akad. 1903 p. 1): quamquam probabilius est, ignotum hominem esse appellatum a Lucilio ideo, quod eius nomen Cicero de fin. l. s. non attulit inter Persii Rutilii Scipionis nomina. D. Laelius quis fuerit, non constat. Quod D. Laelium quendam Valer. Max. IV 7, 7 ponit exemplum amici egregii, nil ad rem, nam errasse eum in praenomine suspiceris coll. Velleio II 127. De Iunio Congo Rothius Mus. Rhen. VIII 1853 p. 615 egit. Antonius enim orator ap. Cic. de orat. I 256 'reliqua uero . . . historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis *literas* (iter *codd*) et exemplorum copiam, si quando opus erit, a uiro optimo et istis rebus instructissimo familiari meo Congo mutuabor' ubi *longo* codd, sed is qui Erlangensem suppleuit librarius scripsit *conge*, unde *Congo* recte editores. Anno 663/91 igitur floruit teste Cicerone Congus studiorum laude et gloria: anno 700/54 mortuus erat teste eodem pro Planc. 58 'In quo, Cassi, si tibi ita respondeam, nescisse id populum Romanum, neque fuisse, qui id nobis narraret, praesertim mortuo Congo, non, ut opinor, admirere, cum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis me hic id ex te primum audisse confitear' ubi *long.* uel *longe* codd, sed *conco* nomen bis scriptum in schol. Bob. a. h. l. p. 264 Or. 'atque ideo mentionem Conci uidetur interposuisse, qui⟨a⟩ per illud tempus decesserat, homo curiosus et diligens eruendae uetustatis. Nam historicus' . . . reliqua desunt, supplendum est aperte *fuit Concus* similia. Congum modo decessisse, cum Cicero pro Plancio diceret, nil nisi scholiastae est suspicio: admodum probabile est Iunium Congum illum Lucilii eundem esse hominem, ideo quia cognomen omnium est rarissimum. Quodsi uerum est, anno 623/131, quo fere tempore libros XXVI—XXX scripsit Lucilius, adulescentulus ille erat fere XX annorum, historiae et antiquitatis studiosus, neque tamen doctrinae eximiae gloriam qui iam fuerit assecutus. Si quaerimus, qui factum sit, ut altero loco D. Laelium, altero Iunium Congum saturae lectorem esse poeta scripserit sese uelle, facile oritur suspicio aut altero loco aut utroque eum indicari hominem, ad quem saturam scripsit, historicum illum antiquitatis studiosum quem appellat u. 612 et adulescentem spectatum, quem satis dilucide significarit u. 617: nam Horatius quoque l. s. s. inter eos homines, quos saturas suas legere sese cupere pronuntiat, Maecenatem nominat, ad quem lib. I miserit et Cicero in libri de rep. I praefatione l. s. s. Iunii Congi Luciliani nomine facete eum significat ad quem opus illud misit quisquis fuit ille. Sed qua ratione hanc sententiam confirmare possim, non habeo: uide ad u. 612 seqq.

597. Nonius p. 126, 4 'Inuidiosum, quod sit uitabile ad uidendum (*ita editt:* uiuendum *codd*). Lucilius lib. XXVI "*sculitate* . . . summa in *re summa* . . . exoptabilem".' Idem p. 226, 6 'Squalor masculini est generis. feminini . . . (*sine nomine auctoris*) "squalitate summa scabie . . . *obruta*".' Idem p. 401, 29 'Summum, extremum. . . . Lucilius lib. XXVI "*isculitate* summa scabie . . . obrutam".' Tragici poetae tumorem irrideri apparet: Pacuuii Antiopam spectari suspicatur Muellerus qui confert huius fabulae fragm. XV R adscriptum a scholiasta ad Persii uersum I 77 (quem ad u. 587 posuimus) his uerbis 'Antiopam uerrucosam Persius dicit quae apud Dircen seruitio oppressa *in squalore fuit*, sic: inluuie corporis Et coma prolixa impexa conglomerata atque horrida'. Huc accedit quod ipse Persius Lucilii imitator Antiopam ipsam nominat: uersus denique exitus Pacuuianus est: inc. 356 R 'qua te adplicasti tamen aerumnis obruta' quem u. cum Antiopae fragm. XIV comparauit Ribbeckius: conf [Sen.] Octau. 103 'miseriis, luctu obruta' (267). Similiter atque Persius respondit Lucilius 'quis curat etiamnunc Antiopam squalitate obrutam'? — neque inimicis inuidiosam, neque amico exoptabilem: Hom. ζ 184 *πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι χάρματα δ' εὐμενέτῃσι* Xenoph. Cyrup. VIII 3, 5 *πῶς ἂν τοῖς μὲν εὔνοις κάλλιστα ἰδεῖν ποιοῖτο τὴν ἐξέλασιν, τοῖς δὲ δυσμενέσι φοβερώτατα.*

599. Nonius p. 125, 34 'Inluuies, sordes. . . . Lucilius lib. XXVI "hic . . . *inualnitie inperfundie* incuria".' Significari uidetur *hic* aduerbio carcer quo iussu Lyci et Dircae continebatur Antiopa. Verba multa *in* syllaba quae incipiant similiter posuit Plaut. Rud. 652 Verg. Aen. II 84: conf Liu. XXI 40, 9 'umbrae hominum, fame, frigore, inluuie, squalore enecti'. Versum sanauit Guietus qui scripserit *inperfunditie,* alii transponunt uerba tradita. Quod Eurip. Orest. 226 appellat *ἀλουσία* (Herod. III 52 *ἀλουσίῃσί τε καὶ ἀσιτίῃσι συμπεπτωκότα*) id Latinus poeta tribus reddidit uerbis *inluuie* (Plaut. Mostell. 40), *inbalnitie* quod nouum est sicuti

inperfunditie: quod intellegis coll. ad Her. IV 10, 14 'ut forte hic in balneas uenit, coepit, postquam perfusus est, defricari, deinde ubi uisum est, ut in alueum descenderet' inde *perfusor* CIL IV 840 Colloq. Monac. CGL III p. 652 med. 'perfunde te. perfudi'.

601. Nonius p. 502, 8 'Accusatiuus pro datiuo. Lucilius lib. XXVI "suspendatne . . . caelum *uiuat*".' Versum corruptum non esse testatur numerorum ordo incorruptus, neque enim quicquam miri est in hiatu monosyllabi admisso in thesi soluta. Deliberat Antiopa utrum se suspendat, an in gladium incumbat, ne caelum bibat. *Caelum* uocabulum Latinum eius notionis est, quam Graecis solebant uocabulis nominare, qualia sunt *aer aura:* quamquam neutro uocabulo Catonem uti uidemus in libris de agri cultura et uerba orig. fragm. II 20 Seruii potius esse quam Catonis iure suo scribit Iordanus in adnot. Itaque *ne caelum bibat* ex tragoedia uidetur esse sumptum: nam Graeci dicunt *τὸν ἀέρα ἕλκειν*: Philem. 119 CAF II p. 515 K *τὸν αὐτὸν ἀέρα ἑτέροισιν ἕλκεις* Philyllios 20 I p. 787 *τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρόν* Aristot. de part. anim. II 16 p. 659 a 10 *οἷον οὖν τοῖς κολυμβηταῖς ἔνιοι πρὸς τὴν ἀναπνοὴν ὄργανα πορίζονται, ἵνα πολὺν χρόνον ἐν τῇ θαλάττῃ μένοντες ἕλκωσιν ἔξωθεν τοῦ ὑγροῦ διὰ τοῦ ὀργάνου τὸν ἀέρα*: item *ἕλκειν* saepissime est *bibere.* Conf Verg. Aen. X 898 'ut auras suspiciens hausit caelum' unde similia Iuuen. III 84 VI 306. caelum pro aere poni ap. Cic. de deor. nat. II 16, 42 docet Nonius p. 263, 24.

602. Nonius p. 186, 32 'Vescum, minutum, obscurum. Lucilius lib. XXVI "quam fastidiosum ac uescum *fastidio* (cum fastidio *G*) *uiuere*".' Gellius Sulpicio Apollinare auctore XVI 5, 7 'Aliter enim Lucretius (I 326) uescum salem dicit ex edendi intentione, aliter Lucilius uescum appellat cum edendi fastidio'. Hominem aperte significat Gellius apud Lucilium dictum esse *uescum cum edendi fastidio,* i. e. prae taedio ieiunum. Versus initium sanum esse testatur caesura sana: *fastidio* eiecit Gerlachius ortum post ues*cum* ex similitudine initii uersus. 'Satius est mori quam fastidiosum ac uescum uiuere' enuntiarat Antiopa tamquam sententiam.

603. Nonius p. 499, 18 'Datiuus pro accusatiuo. . . . Lucilius lib. XXVI "si . . . *superiore loco conlocauit*".' Adnotat Lachmannus Nonium *ipsi* datiuum esse putauisse, idem Muellerus in Nonii edit. Plaut. Epid. 534 'quae ipsa se miseratur'. Videtur poeta agere de commiseratione oratorum: conf Cic. de or. II 196. 197 'Quam ob rem hoc uos doceo, Sulpici, . . . ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis. Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali meo tantum incendium non oratione solum, sed etiam multo magis ui et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum uix conarer accedere? Habueras enim tu omnia in causa superiora: uim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Caepionis graui miserabilique casu in iudicium uocabas' e. q. s. 'Si hi rei se ipsi miserantur, uide ne illorum i. e. accusatorum causa superior et loco bono locata sit (Ter. Ad. 344 'peiore res loco non potis est esse quam in quo nunc sita est'): nam qui commiseratione iudices mouere se student, ii argumentis non confidunt sed animorum mobilitate.

605. Nonius p. 265, 3 'Cogere, in unum colligere. . . . Lucilius lib. XXVI "rauco . . . cornibus".' Tragoediae argumentum enarrat et examinat eius utilitatem: homoeoprophoron notandum in c littera ad uersus exitum ter uocabulum incipiente. Ad Pacuuii Armorum iudicium spectare Lucilii crisin probabile est: Agamemnon edicit (conf Hom. B 50) contionem cogant praecones, qua certetur de armis Achillis. Ouid. metam. XII 621 'a se Tantalides onus inuidiamque remouit Argolicosque duces mediis considere castris iussit et arbitrium litis traiecit in omnes' (conf Iuuen. VII 115 X 84). Morem Romanum adplicat poeta aetati Troicae: Gell. XV 27, 2 'curiata per lictorem curiatum calari, id est conuocari, centuriata per cornicinem' Dionys. Hal. antiqu. R. II 8, 4 *ὅτι τοὺς μὲν πατρικίους, ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συγκαλεῖν, οἱ κήρυκες ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον, τοὺς δὲ δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς ἀθρόους κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον* Propert. IV 1, 13 Varro de lingua L. VI 92.

606. Nonius p. 528, 9 'De pro ab. Lucilius lib. XXVI "solus *iam* uim *declarasse* prohibuit uulcaniam".' illam *Lachmannus, de classe* Aldina: de mendo librarii conf prolegg. p. CXIV. Laus omnium maxime insignis profertur quam Aiax adeptus fuerit: Hom. *O* 674 seqq. In Iliade parua et Vlixis et Aiacis uirtutes et merita enumerabant et inter se comparabant mulierculae Troades: conf fragm. 2 p. 39 Kinkel. Apud Ouidium metam. XIII 5 seqq. Aiax ipse hanc suam gloriam posuit in exordio orationis: 'agimus, pro Iuppiter!' inquit, 'ante rates causam, et mecum confertur Vlixes? at non Hectoreis dubitauit cedere flammis quas ego sustinui, quas hac a classe fugaui'. Quint. V 214. Achiuos uidetur inducere poeta sermocinantes de utriusque meritis: conf u. sequentem.

607. Nonius p. 96, 3 '*Domutionem* . . . Lucilius lib. XXVI "*domutionis* . . . pene inminuimus".' Versum tragicorum fragmentis inserit Ribbeckius incertorum incertis 27 edit. III p. 276. Vocabulum *domum itio* et Pacuuii est (173) et Accii (173): extat praeterea in uersu ad Her. III 21, 34 ubi corruptum est in codd sicuti apud Nonium l. s. s. Cuius codd in Accii uersu p. 357, 9 propius ad ueram scripturam accedunt, cum habeant *domuitionem* sicuti Apul. metam. I 7 extr. II 31 extr. III 19 extr. Fulgent.

p. 112, 10. 121, 12 Helm. 'classi propinquum reditum ac *domum itionem* dari' legitur Cic. de diuin. I 68, similiter Caes. b. Gall. I 5, 3 'ut domum reditionis spe sublata paratiores . . . essent' Hygin. fab. 118 p. 102, 20 Schmidt. 'ut sibi diceret quando domum repetitionem haberet' (125 p. 106, 14). — imperium minuere Plaut. Asin. 509 'Hocine est pietatem colere, imperium matris minuere?' Loquitur unus de Achiuis, qui sicuti Hom. *B* 272 seqq. Vlixis merita enumeret: 'at hic solus nos reuocauit ad pugnam et honorem, cum domum itionis cupidi regi aduersati sumus': Ouid. metam. XIII 213 'consolor socios, ut longi taedia belli mente ferant placida . . . ecce Iouis monitu deceptus imagine somni rex iubet incepti curam dimittere belli . . . non sinat hoc Aiax delendaque Pergama poscat, quodque potest, pugnet. cur non remoratur ituros? . . . quid quod et ipse fugit? uidi puduitque uidere cum tu terga dares inhonestaque uela parares. nec mora, "quid facitis, quae uos dementia", dixi, "concitat, o socii, captam dimittere Troiam? quidue domum fertis decimo, nisi dedecus, anno?" talibus atque aliis, in quae dolor ipse disertum fecerat, auersos profuga de classe reduxi. Conuocat Atrides socios terrore pauentes: nec Telamoniades etiamnunc hiscere quicquam audet. at ausus erat reges incessere dictis Thersites . . . erigor et trepidos ciues exhortor in hostem amissamque mea uirtutem uoce repono' (Hom. *B* 188 seqq. 211 seqq.): conf Dio Prus. I p. 21, 1—8 Arnim.

608. Nonius p. 138, 25 '*Monstrificabile.* Lucilius lib. XXVI "nunc ignobilitas his mirum ac *mortificabile*".' Verbum inusitatum et ioci causa fictum, quo Pacuuii (20 R) illud *luctificabile* rideret, in exitu uersus, non in medio uersu positum fuisse probabile est. Varia genera hominum, quorum alii aliis uitiis laborent, enumerari a poeta intellegitur uerbis *nunc his:* memorantur hoc uersu ambitiosi. Conf Lucret. III 74 'consimili ratione ab eodem saepe timore macerat inuidia. ante oculos illum esse potentem, illum aspectari, claro qui incedit honore, ipsi se in tenebris uolui caenoque queruntur' Cic. Tusc. V 103 (Epicurea fragm. 551 seqq. fragm. 586 Vs.). Structura Graecismus est ille de quo dixerunt interpp. ad Verg. eclog. III 80 Riemannus Goelzerus Gramm. comparée syntaxe § 15: cuius origo nulla re magis ostenditur quam si comparamus Aristotel. rhet. III cap. 4 p. 1406 b 24 χρήσιμον δὲ ἡ εἰκὼν καὶ ἐν λόγῳ et ad Her. III 12, 22 'utile est ad firmitudinem sedata uox in principio'. Poeta iam transierat ad saturae indolem describendam uariaque hominum uitia exposuit, in quibus primam auaritiam posuit, tum ambitionem ut Horat. serm. I 4, 25 'quemuis media elige turba: aut ob auaritiam aut misera ambitione laborat: *hic* nuptarum insanit amoribus, *hic* puerorum, *hunc* capit argenti splendor, stupet Albius aere, *hic*

mutat mercis surgente a sole ad eum quo uespertina tepet regio' e. q. s. (Pers. V 52 seqq.).

609. Nonius p. 437, 22 'Inter cauere et uitare Lucilius esse distantiam uoluit, lib. XXVI, et esse plus uitare. "quid . . . *censere* . . . maxume".' Horatius serm. I 4, 105 'insueuit pater optimus hoc me ut fugerem exemplis uitiorum quaeque notando'.

610. Nonius p. 497, 30 'Accusatiuus uel nominatiuus pro ablatiuo. . . . Lucilius (satyrarum addit solus Guelferbytanus: reliqui omittunt) lib. XXVI "haec tu . . . inrigarier".' Non legentem facit Lucilius uersus suos adulescentem illum quem alloquitur, sed audientem sicuti Lucr. I 416 'quam tibi de quauis una re uersibus omnis argumentorum sit copia missa *per auris*'. *inrigarier* posuit pro *imbui* sicut Petron. 4 'ut studiosi iuuenes lectione seuera irrigarentur' Plaut. Mil. 883 'postquam adbibere aures meae tuae rorem orationis' Hor. epist. I 2, 67 'nunc adbibe puro pectore uerba puer' et quem locum iam Muellerus attulit I 8, 16 'praeceptum auriculis hoc instillare memento'. Accusatiuus *haec* ut Sall. Cat. 45, 1 'cuncta edoctus' Tacit. hist. V 5 'nec quicquam prius imbuuntur quam contemnere deos'.

611. Nonius p. 372, 6 'Praecipere est iubere uel monere. . . . Lucilius lib. XXVI "porro amici est bene praecipere *tueri bene praedicare*".' *Tusci* Mercerus, qui aruspicem intellegit: *tuendi* uocabulum quod *tutoris* officium indicat non potest seruari nisi ea qua utimur transpositione: Fronto p. 135 extr. N.: 'hunc a me fidei tuae atque opi traditum tuearis peto'.

612. Nonius p. 330, 13 'Induci, delectari. Lucilius lib. XXVI "ueterem . . . tuos".' Plaut. Trin. 381 'Historiam ueterem atque antiquam haec mea senectus sustinet': etiam exitus uersus similis exitus septenarii Plautini Stich. 736 'mea suauis, amabilis, amoena Stephanium, ad amores tuos foras egredere'. De studiis historicis dum agit poeta, quae illa aetate coluerunt Fannii Aselliones Rutilii Coelii, eum aperte appellat poeta, ad quem scripsit librum XXVI aut totum aut eam cuius fuit hic uersus saturam. Qui historicus Lucilii amicus historicos libros scripserat ad puerum amatum, sicuti Lucilius ipse Gentium et Macedonem pueros suos saturis celebrarat. Sempronium Asellionem Lucilii bello Numantini cum fuerit contubernalis (uide prolegg. p. XXV) hunc fuisse Lucilii amicum suspicetur aliquis: de Iunio Congo coniecturam ego protuli ad uu. 592 seqq. Nam clarum quendam historicum appellari probabile fit ex Liuii imitatione, qui sententiam uu. 613. 614 suam fecit (uide adnot.). Sed Asellio ueterem historiam non scripsit sed sui temporis: conf Gell. II 13, 3 'Is Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit resque eas quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit'. — Pro 'inductus studio' 'studio' ad Her. IV 1, 1 III 6, 11 Cic. pro Rosc. Am. 91

Hor. serm. I 4, 79: ad Her. IV 47, 60 ‘ut productus studio et uiribus ultra facile procurras’.

613. Nonius p. 437, 17 ‘Bellum et proelium hoc differunt quod proelia partes sunt belli, hoc est in bello congressiones. Lucilius lib. XXVI ‘‘ut . . . omnia’’.’ Idem p. 420, 27 ‘Vis est celer impetus. Lucilius lib. XXVI ‘‘romanus populus uictus *uel* superatus proeliis’’.’ *uictus ui:* Plaut. Rud. 621 ‘quam ui uicto uiuere’ Amphitr. 591 ‘si id ui uerum uincitur’ Cic. pro Mil. 30 ‘ui uicta uis uel potius oppressa . . . est’ Vergil. Aen. XII 254 ‘donec ui uictus et ipso pondere defecit’. Altero loco Nonii *ui* corruptum est quod item accidisse arbitror in Ouidii uersu (TRF[3] p. 267 II R) ‘feror huc illuc ui, plena deo’, ubi *ue* traditur. Cuius uersus Graecum archetypon seruauit Dionysius Hal. Demosth. 22 I p. 176, 16 Vs. Rad. *ἐνθουσιῶ τε καὶ δεῦρο κἀκεῖσε ἄγομαι.* — *in quo sunt omnia:* conf Cic. ad Att. I 16, 2 ‘in eo autem erant omnia’ de or. II 215 ‘quare qui aut breuiter aut summisse dicunt, docere iudicem possunt, commouere non possunt: in quo sunt omnia’ de legg. II 24 ‘caste iubet lex adire ad deos, animo uidelicet, in quo sunt omnia’ epist. VI 10, 2 ‘de tua incolumitate, in qua sunt omnia’ de rep. I 42 ‘illa autem est ciuitas popularis . . . in qua in populo sunt omnia’: conf ad lib. XV u. 485 XVII u. 550 VI u. 245. Aristoph. Acharn. 474 *ἐπελαθόμην ἐν ᾧπέρ ἐστι πάντα μοι τὰ πράγματα.* Cic. pro Mil. 7, 19 ‘certe haec in illa causa summa omnia fuerunt’ Lucan. III 108 ‘omnia Caesar erat’ Liu. XL 11, 3 ‘Demetrius iis unus omnia est’ Petron. 37 ‘et Trimalchionis topanta est’ Auson. grat. act. 3, 13 ‘unus mihi omnia Gratianus’. — Similem ex Liuio IX 18, 8 sententiam attulit Corpetus ‘quam (*Alexandri felicitatem*) qui eo extollunt, quod populus Romanus, etsi nullo bello, multis tamen proeliis uictus sit, Alexandro nullius pugnae non secunda fortuna fuerit’. . . Quo tendat comparatio, non liquet: forsitan dixerit poeta posse hominem in singulis peccare, modo ne cadat causa tota. Possis etiam coniungere cum antecedenti uersu: conf Cic. ad Att. I 20, 3 ‘mihi uero ut inuideant piscinarii nostri, aut scribam ad te alias aut in congressum nostrum reseruabo’ Iustin. I 5, 8 ‘scribit ei, ut ablegatus ab auo in Persas fuerit, ut occidi eum paruulum auus iusserit, ut beneficio suo seruatus sit’ e. q. s.: indicatiuus est more ueterum positus (Draegerus de syntax. hist. l. Lat. II ed. 2 p. 465), ut saepe in prologis qui dicuntur Trogi Pompei ueluti lib. I ‘ut Croeso Lydiae regi bellum intulit Cyrus uictumque cepit’ et sic passim.

615. Nonius p. 186, 30 ‘Viriatum dictum est magnarum uirium. Lucilius lib. XXVI ‘‘contra flagitium nescire . . . annibale’’.’ De bello Viriathino et Hannibalico agi apertum est (Hor. carm. II 12, 1). Non est quod miremur ap. Nonium nominis pro-

prii enarrationem, cum simili modo enarrauerint grammatici CGL V p. 348, 9 ‘Bianor animo et corpore fortis’ Seru. ad eclog. IX 60 ‘dictus autem Bianor est quasi animo et corpore fortissimus *ἀπὸ τῆς βίας καὶ ἠνορέης*’. Neque magni est momenti quod Silius III 354 X 219 primam syllabam nominis exhibet correptam, qui alia ratione uti non potuerit: dixerit denique quispiam apud Silium i alteram consonam esse, non uocalem. Etymologia Nonii utique est falsa: Plinio nat. hist. XXXIII 39 teste ‘uiriolae Celtice dicuntur, *uiriae* Celtiberice’ armillae quas in lacertis habent, ita ut Viriatus sit tamquam Torquatus: scriptum est nomen sine aspiratione CIL II 791. 2435. 2970. Item sine aspiratione in codd Nonii hoc loco positum Annibalis nomen paenultima correpta sicuti lib. XXIX u. 827, cum illo loco *Annibalem* habeat G, *Hannibalem* L: aeuo Augusti *Hannibal* solitum esse scribi testatur elogium Fabii Maximi CIL I (ed. 2) 1 p. 193. Supplenda est sententia ad exemplum incert. u. 1334 ‘hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum contra defensorem hominum morumque bonorum’. — Commota illa aetate erat ciuitas uehementer pace Mancini cum Numantinis facta quam irritam fieri ex senatus consulto rogauit L. Furius Philus consul 618/136 Scipionis amicus (Cic. de off. III 109 Plut. Ti. Gracch. 7): quam rem his uu. tangit poeta. Nescit igitur homo Romanus flagitium nescitque bello uinci et cedere barbaris. *barbarus* adiectiuum qua ratione poeta adhibuerit, notandum est: postquam M. Cato (p. 77 Iord.) insolentiam Graecorum qui hoc utantur uocabulo castigauit, homines Latini noua ratione eo utuntur, cum ueteres dixerint ‘Plautus uortit barbare’ similia.

617. Nonius p. 437, 13 ‘Probatum et spectatum * uis maioris est. Lucilius lib. XXVI ‘‘tuam . . . mihi et . . . adulescentiam’’.’ Poeta maior natu adulescentem illum, quem historiae scribendae operam dare tradit u. 612, adloquitur eodem modo quo Horatius pater filium serm. I 4, 105 seqq. Haec de hominum uitiis ego conscripsi quae iuuent tuam aetatem teneram: Pers. V 36 seqq.

618. Nonius p. 117, 31 ‘Genium, parsimoniam . . . Lucilius lib. XXVI ‘‘curet . . . defrudet *ali* parcat’’.’ Qua de re agatur, intellegitur coll. Senec. epist. 9, 8 ‘Sapiens, etiam si contentus est se, tamen habere amicum uult, si nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna uirtus iaceat, non ad hoc, quod dicebat Epicurus (fragm. 175 Vsen.) in hac ipsa epistula ‘‘ut habeat, qui sibi aegro adsideat, succurrat in uincula coniecto uel inopi’’, sed ut habeat aliquem, cui ipse aegro adsideat, quem ipse circumuentum custodia liberet’. Indicantur igitur officia amici boni secundum praecepta Epicuri. — sumtum homini praebeat: Terent. Heaut. 207 ‘praebent exigue sumptum’. — genium suum defrudet: Plaut. Aul. 724 ‘egomet me defraudaui, animumque meum,

geniumque meum: nunc eo alii laetificantur meo malo et damno' Ter. Phorm. 43 'quod ille unciatim uix de demenso suo suum defrudans genium compersit miser, id illa uniuorsum abripiet' ubi uide interpp. — ⟨*det*⟩ addidi: ⟨*det*⟩ alii *parta* Baehrensius.

620. Nonius p. 396, 9 'Sumere, suscipere. Lucilius lib. XXVI "hunc . . . ferat".' Recte consociauit cum hoc uersu sequentem Corpetus edit. p. 147, 51: interlocutor eodem modo adloquitur poetam quo Horatium Trebatius serm. II 1, 10 'aut si tantus amor scribendi te rapit, aude Caesaris inuicti res dicere, multa laborum praemia laturus'.

621. Nonius p. 255, 14 'Crepare est sonare . . . Lucilius lib. XXVI "percrepa pugnam *pompili* . . . cane".' Consulem anni 615/139 M. Popillium Laenatem comparari cum Scipione Aemiliano intellexerant Corpetus edit. p. 148 Gerlachius edit. p. XXXII alii. Considerandum est, non C. Hostilii Mancini cos. 617/137 turpem cladem aetate propiorem memorari, sed M. Popilii, cuius pugnae praeter hunc Lucilii uersum solus auctor est Liu. perioch. 55 'M. Popilius a Numantinis, cum quibus pacem factam inritam fieri senatus censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est'. *Popili* scripsimus quia apud scriptores et Graecos (Appian. Iber. 79) et Latinos (CIL I 1 edit. 2 p. 148. 149: Val. Max. VIII 1 ambust. 1 epitom. I 3, 3 Flor. I 33, 17) duplex l non uidetur tradi in hoc nomine quod in lapidibus legitur *Popillius* (CIL I 550 VI 24792): saepissime *Pompilius* codd sicuti hoc loco. Hortatur interlocutor poetam ut bellum Hispanicum scribat uersibus sicuti Hostius scripserat bellum Histricum, Ennius res gestas populi Romani.

622. Nonius p. 110, 26 'Folliculum Lucilius posuit pro corpore lib. XXVI "ego . . . queo".' Ego, si nequeo poema grande componere, noli mirari: Horatius serm. II 1, 12 'cupidum, pater optime, uires deficiunt: neque enim quiuis horrentia pilis agmina nec fracta pereuntis cuspide Gallos aut labentis equo describit uulnera Parthi'. qui sum Plaut. Men. 471 'non hercle ⟨ego⟩ is sum, qui sum, ni hanc iniuriam meque ultus pulchre fuero'. Vocabulo *folliculus* in eadem re utitur Arnob. II 76 extr. 'nihil est enim nobis promissum ad hanc uitam nec in carunculae huius folliculo constitutis opis aliquid sponsum est' quem locum iam Dousa attulerat. Graeci similiter *θύλακος*: Dio Prus. II p. 28, 12 Arn. *πτίσσε, πτίσσ', ἔφη, τὸν Ἀναξάρχου θύλακον· Ἀνάξαρχον γὰρ οὐ πτίσσεις* (Paroem. Gr. II p. 629 edit. Gott.): conf utria incert. u. 1104.

623. Nonius p. 78, 13 'Bulga est folliculus omnis. . . . Lucilius lib. XXVI "ita *ut* . . . editus".' Eundem uersus exitum Cicero Tusc. I 115 'lugere ubi esset aliquis in lucem editus'. Vtitur turpi et castrensi sermone uterum matris cum bulgam appellet: Lucr. V 225 'cum primum in luminis oras nixibus ex

aluo matris natura profudit'. — Exponi uidetur secundum Epicuri doctrinam hominem, ut animal omne, ita uti natum est, uoluptatem appetere (Cic. de fin. I 9, 30 Epicurea p. 264 Vs.).

624. Nonius p. 367, 10 'Petere, cupere, appetere. . . . Lucilius lib. XXVI "sin . . . et putant".' *et* del Iunius. Sententia est imperfecta, *et* deleto nihilo melior fit enuntiatum. Agitur de sapiente Epicureo: quem si homines uident bona semper petere et putant indignum esse homine uoluptatis studium, magnopere errant. Aduersarius enim hortatur, ut philosophiae studio se dedat potius poeta eamque commendat praecipue: conf Epicurea p. 333 no 580 seqq. Vs. — *bona petere,* conf TRF ed. 3 Ribb. p. 277 'nam sapiens uirtuti honorem praemium, haud praedam petit': *hoc* pronomine praeoccupatur accusatiuus cum infinitiuo.

625. Nonius p. 88, 33 'cordi est, honeste dictum, animo sedet (conf Iul. Valer. ed Kuebleri p. 256 s. u. sedere) Lucilius lib. XXVI . . . idemque "*si* tibi . . . quod *re* utilem".' Propter id quod sequitur fragmentum ad philosophiae studium uersum pertinere arbitror: quamquam etiam ad historiae studium pertinere potest cuius de utilitate agit Diod. I 2, 7 Lucian. quom. hist. conscr. 9. Lucret. IV 24 'dum percipis omnem naturam rerum ac persentis utilitatem' I 331 'quod tibi cognosse in multis erit utile rebus' III 206: conf quae adnot. ad u. sequentem. — *rere* Iunius, optime.

626. Nonius p. 388, 16 'Saeuum dicitur inmite. . . . idem lib. XXVI "quodque te in *te in* tranquillum . . . *transfer* tempestatibus".' *transfert* Mercerus. Agitur de philosophiae studio Epicureae: 'Tu', inquit, 'huic studio te dedisti, quod sapientia te in tranquillum ex saeuis tempestatibus transfert' Lucret. V 9 seqq. 'qui princeps uitae rationem inuenit eam, quae nunc appellatur sapientia, quique per artem fluctibus e tantis uitam tantisque tenebris in tam tranquillo et tam clara luce locauit' Epicurus epist. I p. 4, 8 Vs. *ὅθεν δὴ πᾶσι χρησίμης οὔσης τοῖς ᾠκειωμένοις φυσιολογίᾳ τῆς τοιαύτης ὁδοῦ παρεγγυῶν τὸ συνεχὲς ἐνέργημα ἐν φυσιολογίᾳ καὶ τοιούτῳ μάλιστα ἐγγαληνίζων τῷ βίῳ κτλ.* (Epicureus ap. Cic. de fin. I 43 seqq. Epicurus fragm. 425 seqq. p. 284. 544 p. 325 Vs.) epist. III p. 62, 17 Vs. *ὅταν δὲ ἅπαξ τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεται πᾶς ὁ τῆς ψυχῆς χειμών κτλ.* Similiter Lucianus de philosophia Piscat. 29 *ἐπὶ δὲ τὰ σά, ὦ Φιλοσοφία, καλὰ ὁρμήσας ἠξίουν, ὁπόσον ἔτι μοι λοιπὸν τοῦ βίου, καθάπερ ἐκ ζάλης καὶ κλύδωνος εἰς εὔδιόν τινα λιμένα σπεύσας, ὑπὸ σοὶ σκεπόμενος καταβιῶναι.*

627. Nonius p. 250, 19 'Colere, diligere. . . . Lucilius lib. XXVI "quare . . . hic consumere".' Poeta ex persona et sententia aduersarii hoc uersu protrepticum conclusit: 'ergo hoc philosophiae studium satius est colere quam illa, satius est studium omne

hic in philosophia consumere': uaria illa hominum studia antea tetigerat.

628. Nonius p. 74, 29 'Apisci, adipisci. Lucilius lib. XXVI "'ut ego effugiam (*effuciam* Leidensis) quod (addit *ego* Guelferbytanus) te ... intellego".' Apparet Leidensem, qui m. 2 *effutiam*, m. 1 seruare uoluisse librarium archetypi lectionem, in quo c et g simillimae erant: interpolatus est G. Varia esse studia hominum monet poeta: imitatus est Horatius serm. II 1, 24 'quid faciam? saltat Milonius ... Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem pugnis; quot capitum uiuunt, totidem studiorum milia'.

629. Nonius p. 88, 32 'Cordi est, honeste dictum, animo sedet (*i. e. placet:* conf Iul. Valer. p. 256 Kuebleri s. u. sedere). Lucilius lib. XXVI "'et ... *uehementer* displicet".' Proceleumaticum quo tollat, recte Lachmannus *uementer* posuit: *reprendi* Lucilius lib. XX u. 573, *nil* ubique: sed potuit dictare poeta etiam *mi uehementer.* Versum coniungas cum superiore. Naeu. com. 8 R 'quasi dedita opera quae ego uolo ea tu non uis, quae ego nolo, ea cupis'.

630. Nonius p. 353, 11 'Niti, fultum esse. Lucilius lib. XXVI "'*summi* (*summis* Iunius et Mercerus) *nitinere* (sic Guelferbytanus: *nitire* Leidensis) opibus ... siem".' Sallust. Cat. 1, 1 'omnis homines ... summa ope niti decet ne' ... Cic. ad Att. XIV 14, 6 'omni ope atque opera enitar ... ut ... senatus consultum ... fiat' Liu. VIII 16, 4 'omni ope adnisi sunt, ut ... consulem quartum facerent'. Tu, ut philosophi ueluti Epicuri similis sis, summis niteris opibus (Lucret. III 6 'quod te imitari aueo'), ego contra, ut dissimilis siem. *nitere* indicatiuus.

631. Nonius p. 183, 30 'Vegrande, ualde grande. Lucilius lib. XXVI "'non ... datur".' Idem p. 297, 31 "Ecferre, edere, prouehere. ... Lucilius lib. XXVI "'non ... extollitur *uelite* uegrandi (uel grandi *G*) datur".' Vegrandis uocabulum rusticum sicuti extollere: de *ue* praefixo egerunt Fest. p. 372 Gell. V 12, 10 XVI 5, 5 adfirmans *ue* fere significare et *ualde* et *minime:* prioris significationis testimonium uidentur tantummodo hunc Lucilii protulisse uersum male intellectum sicuti Nonius fecit l. s. s. Nostri aeui grammaticorum sententias de hoc uocabulo enarrat Niedermannus Indogerm. Forschungen X 1899 p. 248 Keilius commentar. in Varr. rer. rust. p. 149. Exempla ad unum omnia demonstrant uegrande apud rusticos usurpatum fuisse pro paruo et exiguo: Ouid. fast. III 445 'uegrandia farra coloni quae male creuerunt, uescaque parua uocant' Fest. p. 372, 15 'alii paruom, minutum, ut cum dicimus uegrande frumentum' Paul. Fest. p. 379, 5 'uegrandem fabam minutam dicebant' Varro rer. rust. II 2, 13 'quae postea concipiuntur, fiunt uegrandes atque imbecillae'. Itaque Lucilium uitam breuem uegrandem dixisse apparet: sicuti Plautus hoc adiectiuo usus est Cistell. 378 seqq. 'quin is, si itura es? nimium is uegrandi gradu. # Pol ad cubituram, mater, magis sum exercita, fere quam ad cursuram. eo sum tardiuscula'. Errauit Nonii auctor propter duplicem negationem *non-nec.* Extollere ut ecferre de frugibus terra editis Lucret. II 594 'tum porro nitidas fruges arbustaque laeta gentibus humanis habet unde extollere possit' terra, eadem Verg. georg. II 167 quem locum affert Nonius l. s. 'haec genus acre uirum Marsos pubemque Sabellam ... extulit, haec Decios, Marios'. Non idcirco homo extollitur aut uitae breui spatio commendatur, ut otio delitescat: refutat poeta aduersarium eodem modo quo Cic. de rep. I 1 'homo demens, ut isti putant, cum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit iactari, quam in illa tranquillitate atque otio iucunde uiuere' (de inu. I 3, 4 extr.).

632. Nonius p. 293, 3 'Euadere, exire, tendere. ... Lucilius lib. XXVI "'euadat ... sum".' Aliquid aliqua Plaut. Epid. 100 'aliquid aliqua reperiundum est' 331 'uerum aliquid aliqua aliquo modo alicunde ab aliqui aliqua tibi spes est' Apul. de mag. 32 'nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id possit aliquid aliqua obesse'. De *aliquid* aduerbii loco posito conf Halmius ad Cic. pro Sest. 10 Keilius ad Varr. rer. rust. II 5, 18 p. 180.

633. Nonius p. 238, 25 'Appellare (*sic*) est applicare. ... Lucilius lib. XXVI "'*agere* in iaciendo siquo est *in* uineis ... appellant".' Idem p. 243, 30 'Actum, admotum. ... Lucilius lib. XXVI "'*agere* in *iacendo* si *quos tu uinis* actis *opost*".' Idem p. 327, 25 'Iacit, facit. Lucilius lib. XXVI "'*agere* in iaciendo si quost (quo est *L m. 2 G*) uineis actis opus est (opus est *L m. 2*)".' Lucilii librum quo usus est Nonii auctor mendose exhibuisse *agere* triplex euincit codd consensus; conf lib. XI u. 408: p. 243 in uerbis *si quos tu* facile agnoscitur *si quost,* quod p. 327 solus seruauit *L* m. 1. Quod dictum est ut Liu. XXVI 9, 9 'si quo usus operae sit' XXVII 28, 5 'si quo opera eorum opus esset' XXXVII 52, 6 'si quo possit' XL 26, 8 'si quo usui esse L. Aemilio ... posset' XXXI 8, 11 XLIII 12, 6. 8 III 48, 4 IV 1, 5 XXXI 12, 4. — *Appellere* uocabulum nauticum (Caes. b. c. I 26, 1); supplendum fere est *muro uineas,* quae a poeta nauium instar habentur. Audis hominem obsidendi artis peritum quam modo Scipione duce apud Numantiam edidicerat. *Primum id,* id potissimum, *quam primum,* celeriter: Caes. b. Gall. II 12, 5 'celeriter uineis ad oppidum actis, aggere iacto, turribusque constitutis' b. c. II 10, 7 'hoc opus omne tectum uineis ad ipsam turrim perficiunt subitoque ... ad turrim hostium admouent' ubi uide interpretes.

635. Nonius p. 272, 33 'Constat, conpositum est. Lucilius lib. XXVI "'principio fisici ... dicunt".' Fortasse saturae alterius huius libri est exordium. Incohat poeta disputationem de homi-

nis natura uocabulo *principio* quo eodem modo eadem uersus sede passim utitur Lucretius (I 271. 503 alibi) Verg. Aen. VI 214: conf Hor. serm. II 3, 41 cum adnot. Porphyrionis. Praeponit hanc qua de diuisione consentiunt physici omnes: etiam Sextus Emp. p. 63, 4 B hoc concedit: *εἰ μέντοι καὶ δοίημεν κατὰ συγχώρησιν ὅτι ἐπινοεῖσθαι δύναται ὁ ἄνθρωπος, ἀκατάληπτος εὑρεθήσεται. συνέστηκε μὲν γὰρ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος* (conf. p. 619, 31) neque negant Epicurei: Plut. adu. Colot. 20 p. 1118 D *εἰ γὰρ τὸ ἐξ ἀμφοῖν, ὡς ἀξιοῦσιν αὐτοί, σώματος τοιοῦδε καὶ ψυχῆς, ἄνθρωπός ἐστι κτλ.*; Sallust. Iug. 2, 1.

637. Nonius p. 214, 27 'Nundinae generis sunt feminini.... masculini Lucilius lib. XXVI "paucorum ... *nihil* ... inter nundino".' Internundino aduerbialiter posuit Lucilius ut pro *postmodum* dicitur *postmodo, commodum commodo, clanculum clanculo, primum primo, postremum postremo, propemodum propemodo* (Plaut. Trin. 780): ita posuit *exaduorso* lib. XXIX u. 846. Deteriores codd *internundinum*. Gustare uocabulum est plebeium quo una significet et cibi et potus adsumptionem: Petron. 71 'cito aquam liberam gustabunt' 62 'nec postea cum illo panem gustare potui' Vitruu. VIII 3, 15 'ex quo fonte nec pecus ullum gustat nec bestiarum genus ullum propius accedit'. Nisi cibo sustentatur corpus, anima et corpus intra septem dies pereant necesse est: Lucr. I 809 'et nisi nos cibus aridus et tener umor adiuuet, amisso iam corpore uita quoque omnis omnibus e neruis atque ossibus exsoluatur'. Plin. nat. hist. XI 283 'homini non utique septimo letalis inedia, durasse et ultra undecimum plerosque certum est'. Paucorum tantummodo dierum per spatium anima stare potest sine cibo atque hoc pacto si per septem octoue dies nihil gustat homo, debet perire. Similia tractarat Panaetius fragm. 37 F (Cic. Tusc. I 79).

638. Nonius p. 281, 14 (279, 7) 'Dare, ostendere. Lucilius lib. XXVI "animo*que* ... *uidimus* ... dare".' Distinguit Lucilius inter *animam* (u. 635) et *animum:* eodem argumento usus est qui item inter *animam* et *animum* distinguit (III 136 seqq.) Lucretius III 521 'ergo animus, siue aegrescit, mortalia signa mittit, uti docui, seu flectitur a medicina' Iuuen. IX 18 'deprendas animi tormenta latentis in aegro corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque inde habitum facies' XV 147 seqq. 'mundi principio indulsit communis conditor illis tantum animas, nobis animum quoque' ubi uide interpretes.

639. Nonius p. 268, 29 'Confectum, defessum. ... Lucilius lib. XXVI "tum ... obsistere".' Conf inprimis Nemesius de nat. hom. cap. II qui p. 78. 79 Matth. *συμπάσχει δὲ ἡ ψυχὴ τῷ σώματι νοσοῦντι καὶ τεμνομένῳ καὶ τὸ σῶμα τῇ ψυχῇ. αἰσχυνομένης γοῦν ἐρυθρὸν γίνεται καὶ φοβουμένης ὠχρόν· σῶμα ἄρα ἡ ψυχή.*

640. Nonius p. 294, 7 (293, 9) '*Euadere* est liberari. ... Lucilius lib. XXVI "idcirco omnes *cursuros* censent aegritudinem".' Omnes illos morbo corporis liberatum iri medici censent, quibus aut cibi cupiditas quae non erat denuo recurrat (Cels. II cap. 3 p. 33, 2 Daremb.) aut animus hilaris redeat et laetus.

641. Nonius p. 394, 28 'Siccum, exercitum. Lucilius lib. XXVI "cum *stadio* ... *pilas*". Siccum dicitur (sic codd: *pila* Iunius et Mercerus) e. q. s.' Videtur Lucilius ipse narrauisse animum suum et alacriorem et magis sanum nuper esse factum corporis post exercitationem. Non temptauerim uerba *in duplici pila*, qui lusus cum diuersus uideatur esse a lusu trigone, qualis fuerit, non constat. Dicitur *in pila lusimus* lib. IX u. 359 sicuti saepissime inuenitur *in alea* (Cic. Cat. II 10 'quodsi in uino et alea comissationes solum et scorta quaererent' Phil. II 56 'quod in alea perdiderat' XIII 24 Dig. XVII 2, 59, 1 XI 5, 4 'repetitio eius quod in alea lusum est'). Vnde apparet *in gymnasio* non locum significare, sed luctandi exercitationem, sicuti medici (Hippocr. I p. 203, 12 Kuehl.) ponunt *γυμνάσιον* pro exercitatione: Plut. de sanit. 6 p. 124 E *ὥσπερ γὰρ ... τῷ Σωκράτει γυμνάσιον ἦν οὐκ ἀηδὲς ἡ ὄρχησις*, Galenus scripsit *περὶ τοῦ διὰ τῆς σμικρᾶς σφαίρας γυμνασίου*: conf Placid. CGL V p. 24, 11: neque enim Romae illa aetate extabant gymnasia uel palaestrae. Neque igitur ante *stadio* praepositionem arbitror posse deesse.

642. Nonius p. 408, 24 'Tangere, inspicere. Lucilius lib. XXVI "*nequam* (*neque* Iunius et Mercerus) prius ... praecordia".' Comparat animi morbos cum corporis infirmitate ut Persius III 88 seqq. ubi 107 'tange, miser uenas, et pone in pectore dextram'. Venas tangere uox propria medicorum: Sen. ep. 22, 1 'non potest medicus per epistulas cibi aut balinei tempus eligere: uena tangenda est' Hist. Apoll. Tyr. cap. 18 extr. 'qui uenientes medici temptantes uenas tangunt singulas corporis partes': medicum Iasonem homini aegroto uenas et praecordia tangentem uidemus in anaglypho Musei Britannici Daremb. Sagl. Diction. d. ant. s. u. medicus III p. 1684. Similem sententiam exhibet Cic. de or. II 186 'sin id aut non erit, aut erit obscurius, *sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius*, cui mederi uolet, sed etiam consuetudo ualentis et natura corporis cognoscenda est'. I 223 'teneat oportet uenas cuiusque generis aetatis ordinis, et eorum, apud quos aliquid aget, aut erit acturus, mentes sensusque degustet'. Dio Prus. XXXIV 26 I p. 323 Arnim. *καὶ γὰρ ἰατρόν, ὅστις ἐξήτακεν ἀκριβῶς τὰ τοῦ κάμνοντος, ὡς μηδὲν αὐτὸν λανθάνειν, τοῦτον εἰκὸς ἄριστα θεραπεύειν. — ἅπτεσθαι τῆς φλεβός* Graeci (Gell. XVIII 10, 4).

643. Nonius p. 291, 7 'Exigere est excludere. ... Lucilius lib. XXVI "uestimentis ... putet".' Coniunxit Lachmannus cum

hoc uersu uersus 618. 619 quos adfert idem p. 117, 31 'Genium, parsimoniam. . . . Lucilius lib. XXVI "curet aegrotum sumptum homini praebeat . . . parcat".' Neque tamen hoc probauerim, nisi quod recte horrorem esse febricitantium uidetur intellexisse: conf Cels. III 3 p. 77, 21 Daremb. 'Aliae enim protinus a calore incipiunt, aliae a frigore, aliae ab horrore' e. q. s. Scribon. Larg. 95 'tollit praeterea horrores febres praecedentes' (Cic. ad. Att. XII 6ª 2). De uestimentis Cels. III 6 p. 86, 26 Daremb. '. . . tunc demum dare potui calidam aquam, cuius salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit. Huius autem rei causa continere aeger sub ueste satis multa manus debet eademque crura pedesque contegere: qua plerique aegros in ipso febris impetu male habent'; 7 p. 89, 31 Daremb. 'Vbi utrumlibet factum est, multa ueste operiendus est et collocandus ut dormiat'; 9 p. 91, 5 Daremb. 'fuit Petro quidam, qui febricitantem hominem ubi acceperat, multis uestimentis operiebat, ut simul calorem ingentem sitimque excitaret'; Iuuen. VI 236 'aduocat Archigenen onerosaque pallia iactat' ubi uide interpretes. — exacturum, Plaut. Capt. 1001 'ubi labore lassitudo est exigunda ex corpore'. Versum coniungas cum antecedenti.

644. Nonius p. 110, 18 'Fulgoriuit, fulgorem fecit uel fulmine afflauit. . . . Lucilius lib. XXVI "*luporum exauctorem maluanum et fulguritatem* arborum".' lucorum *Lachmannus:* eodem modo *orpo* pro *orco* codd. u. 663. Nemus Albanum memoratur Liu. V 15, 2: conf Cic. pro Mil. 85 'uos enim iam, Albani tumuli atque luci, uos, inquam, imploro atque obtestor'. Familiaris is locus erat Lucilio, cum illic Aemiliani fuerit Albanum (Porc. Licin. FPR p. 278 Baehrens.). Lucos Albanos sacros fuisse ne Cicero quidem l. s. s. indicat: fuere pars nemoris Albani quod Liuius appellat l. s. s. (Cato p. 12, 8 Iord. 'lucum Dianium in nemore Aricino'). *Albanum* Duentzerus et Lachmannus agnouerunt. Idem Lipsium secutus quod posuit *exactorem* non intellego. Neque *exauctorare* uocabulum ante aetatem Augusti inueni usurpatum. Tamen quid probabilius quam Lucilium militari uocabulo uti cum ipse fuerit illa aetate miles exauctoratus? Sententia imperfecta est, qualis fuerit qui desideratur accusatiuus, incertum: arbores, opinor, uetustae et fulguritae comparantur ueteribus et sauciis militibus, quibus missio datur sicuti legitur Petron. 66 'pernae missionem dedimus'. In lucis sacris magna religione hostiae immolantur 'quod ui tempestatis ictu fulminis arbores sacri luci Deae Diae attactae arduerint earumque arborum eruendarum ferro fendendarum adolendarum commolendarum item aliarum restituendarum causa' Acta Arual. anni 224 CIL VI 2107: siluae publicae a censoribus locabantur publicanis Cic. Brut. 85 seqq., ubi de picariis in Sila silua agitur. Quomodo quaque lege silua caedua locari

solita sit, non uideo tradi a scriptoribus: uidetur poeta publicanorum eiusmodi aspernari illo uersu societatem, qui redemerint a censoribus arborum ueterum et fulmine tactarum extirpandos in lucis stipites.

645. Nonius p. 38, 28 'Expirare . . . idem XXVI "ut si eluuiem . . . *curare* omnibus . . . expiret *uis*".' Idem p. 103, 32 '*Eleuiem,* purgationem. Lucilius lib. XXVI "*ut eleuiem* facere per *uentum* uelis".' Cura est, ne expiret uenter eluuiem e distento corpore per omnes uias: ita *ore salem expirauit* incert. u. 1244: *expirans animam pulmonibus* aliter interpretabimur lib. III u. 106. Recte Lachmannus *cura ne*, i. e. cura est ne, sicuti Ennius annal. I 83 V 'omnibus cura uiris uter esset induperator'. Vtitur uocabulo *eluuies* simili ratione Aurel. Vict. epit. 9 extr. qui de Vespasiani obitu 'deinde uentris eluuie fessus, et assurgens "stantem" ait "imperatorem excedere terris decet".' Addit poeta *per uentrem* quia etiam per os quis eluuiem faciat: similiter de uomitu Cato de agr. cult. cap. 156, 2 'aluum si uoles deicere *superiorem*', contra 'aluum deicere' cap. 158, 1. 2. — *omnibus uiis* per superlationem positum pro utraque uia: uiae sunt *ὀχετοί* Xenophontis Mem. I 4, 6. Sententia non perfecta est: additum fere erat 'priusquam ad dolium peruenias aut sellam': nam uestimenta ne luto inquines, cura est et anxietudo. Quod idem si puero infanti accidit, risum illi mouet et cachinnum, non pudorem.

647. Nonius p. 103, 29 'Eleuit, maculauit. Lucilius lib. *VI* "si hic uestimenta eleuit luto ab eo risum magnum *ad* chacinnum inprudens subicit". *Eleuiem,* purgationem. Lucilius lib. XXVI "ut eleuiem facere per uentum uelis".' Altero hoc loco *eleuiem* falso positum esse a librario qui fuerit illa *eleuit* forma seductus, facile apparet. Vnde *eleuit* seruandum erit antiquitus traditum, deductum ab elinendo quod uerbum alibi non uidetur extare. *elouiem* Muellerus. — *Ab eo* ut *ἀπὸ δ' αὐτοῦ* Hom. Θ 54 positum pro *inde:* ita Ouidius solus *ab his* metam. IV 329 'nais ab his tacuit' III 273 VIII 611. Curt. V 2, 5 'post hos Antigonus, et ab eo Lyncestes Amyntas fuit'. *hic,* puer infans: luto elinere uestimenta, *μολύνειν τὰ ἱμάτια* Apocal. Ioh. III 4. Numeros uersus secundi emendare non poteris nisi ea qua usi sunt uiri docti transpositione. Sed etiam in uersu priore et legitima desideratur caesura et epitheton, quo quale sit illud lutum, accurate indicetur. *ac cachinnum,* ut ac cenum lib. IX u. 329.

649. Nonius p. 38, 23 'Idiotas a Graeco tractum, inutilis, quasi sibi tantum non plurimis (*pluribus* Lachmannus) utiles. Lucilius lib. XXVI "quid ni . . . diceres".' Inliteratos Ligures appellauerat Cato orig. II p. 9, 10 Iord.; *quid ni* hic cum coniunctiuo est positum ut saepe et similem significationem habet

atque *mirum ni* particula adfirmans. 'Certe etiam tu idem me idiotam solebas dicere et inlitteratum quotiens uerbum inusitatum offenderam'. *quidni et* coniungitur incert. u. 1282.

650. Nonius p. 359, 12 'Offendere, inuenire. . . . Lucilius lib. XXVI "siquod *uerum* . . . offenderam".' *uerbum* Guilelmius. De rebus ad philosophiam quae pertineant agi uidetur: pro *zetematium* uocabulo Graeco Latinum *quaestiunculam* posuit Cic. de or. I 102 'Quid? mihi uos nunc, inquit Crassus, tamquam alicui Graeculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis?' e. q. s.: zetema pro problemate positum CIL IV 1877. 1878, theorematium Gellius I 13, 9. Reitzensteinius Straßburger Festschrift zur XLVI. Vers. d. Philol. Straßburg 1901 p. 147 grammaticorum potius studia in glossis inueniendis et quaestionibus soluendis posita hoc loco tangi arbitratur.

651. Nonius p. 38, 18 'Clandestino (clam destino *L m. 1*) est abscondite. Lucilius lib. XXVI "at enim *dicis* . . . neu *mittere quidquam* neu misteria ecferres (*ecferret* Leidensis) foras".' Idem p. 249, 4 (14—16 Mueller.) 'Conmittere, facere. . . . idem lib. XXVI "*ad* enim *dicis* . . . *ne* muttires quicquam *nec* mysteria ecferres (ita *G m. 2:* ferres ec *G m. 1 haec ferres* Leidensis) foras".' *Dicis* cum utroque loco traditum sit, nemo cum Lachmanno et Dousa filio *dixi* ponere malet. Aduersarius loquitur ille oratione derecta, non obliqua: 'tu, Lucili, non debuisti quae clam tibi erant commissa, in publicum proferre sicuti fecisti priore satura tua'. Vnde apparet hanc quam restituimus saturam non primam huius libri fuisse, sed aut alteram aut sequentium aliqua ueluti tertia. Reprehendit igitur aduersarius, quod in priore satura nonnulla distulerit sermonibus, quae illi clam essent commissa: conf Hor. serm. I 4, 84 'commissa tacere qui nequit, hic niger est'; Aristot. rhet. II cap. 6 p. 1384^b 10 *καὶ οἷς ἡ διατριβὴ ἐπὶ ταῖς τῶν πέλας ἁμαρτίαις, οἷον χλευασταῖς καὶ κωμῳδοποιοῖς· κακολόγοι γάρ πως οὗτοι καὶ ἐξαγγελτικοί.* mysteria ecferre, Graece *ἐκφέρειν* Dionys. de compos. uerb. cap. 25 V p. 194. 195 R, *τὰ ἀπόῤῥητα ἐξήνεγκεν* Diog. Laert. IV 2: Cic. Philipp. X 3, 6 'efferri hoc foras et ad populi Romani auris peruenire'. De coniunctiuo conf Plaut. Pseud. 437 'uel tu ne faceres tale in adulescentia' cuius usus plura exempla collegit Lorenzius ad Pseud. u. 273 Brixius ad Trin. 133: plusquamperfectum apud Ciceronem, non apud Plautum inueniri adnotat idem Lorenzius l. s. s. conf Verr. III 195 'frumentum . . . ne emisses' ad Att. II 1, 3 extr. 'aut ne poposcisses' Sen. ad Polyb. de cons. 6, 3 'ne conuertisses in te ora omnium'. *neu—neu* seruaui, licet concinnius fuerit scribere *ne—neu:* Cicero enim saepius *ut neue—neue* quo de usu conf Draegeri synt. hist. l. L. II ed. 2 p. 695. Quod idem de usu *at enim* coniunctionis

exponit l. s. p. 116, qualis extet in Ciceronis orationibus, idem cadere in hunc Lucilii uersum manifestum est.

653. Nonius p. 74, 23 'Aberruncare, auertere (aeuertere *L m. 1* euertere *L m. 2 G*) Lucilius lib. XXVI "di *minuerint* . . . *aberruncassint* tuam". Pacuuius Medo (236 R) "possum ego istam capite cladem auerruncassere". M. Tullius de finibus bonorum et malorum "di *maluerunt* meliora atque amentiam aberruncassint meam".' Idem p. 507, 24 'Moneris pro monueris. Pacuuius . . . idem Chryse (112 R) 'di monerint (ita *L:* de minerint *G*) meliora'. Versum Pacuuii tragicum huic libro intulit Lucilius sicuti libro lib. XXVII u. 736 Plauti comicum: Pacuuii uersum (112 R), quem Nonius loco posteriore recte, loco priore sub Ciceronis titulo per errorem protulit, eundem exhibent Varro de l. L. VII 102 Paul. Fest. p. 373 M: in quo sustulit Lucilius *atque* uocabulum propter metrum. Finxerat sibi poeta sicut Horatius Trebatium, item ut Persius interlocutorem, siue uerum siue nullo erat nomine: conf Pers. I 44 'quisquis es, o modo quem ex aduerso dicere feci' e. q. s. Qui dehortatur poetam ne tales saturas scribere pergat uersu tragico usus eumque in sequentibus uersibus describit tamquam alterum Thersiten.

654. Nonius p. 88, 28 'Contemnificum. Lucilius lib. XXVI "ego . . . agamemnonis".' Loquitur idem Achiuus cuius est u. 655 qui sequitur: qui narrat se tunc similiter atque Thersites (B 225) regem contempsisse. fastidire Agamemnonis, ut lib. VII u. 293 'fastidimus bonorum', genetiuus tamen etiam ad adiectiuum referatur oportet. Confert uerba Achillis Muellerus Hom. *I* (IX) 378 *ἐχθρὰ δέ μοι τοῦ δῶρα, τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ* et Accii Myrmidonum argumentum tangi hoc uersu suspicatur. Tamen multo probabilius hunc u. ad Pacuuii Chrysen spectare qua in fabula auctore Hygino fab. 121 rixam inter Achillem et Agamemnonem coortam propter Chryseidem narratam fuisse conicias. — *contemnificus* adiectiuum tragoediae est ut *monstrificabile* u. 608.

655. Nonius p. 297, 12 'Efferre, subdere. Lucilius lib. XXVI "depugnabunt . . . efferent".' Conuicia ingerit idem Achiuus regi: *ipsi,* Achiui. Modeste dicit *depugnabunt,* non *depugnabimus*, quasi tantummodo aliis, non etiam sibi consulat orator. Color idem Hom. *I* (IX) 321 *οὐδέ τί μοι περίκειται, ἐπεὶ πάθον ἄλγεα θυμῷ αἰὲν ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν.* Nonium errare iam Corpetus intellexit: pertinet *ipsi* inprimis ad *se ultro efferent,* id est, se sepelient stulti.

656. Nonius p. 158, 11 'Prosperari (ita Leidensis m. 1: *prosferari* m. 2 ut Guelferbytanus qui *proferrari* prima manu), inpetrari. Lucilius lib. XXVI "nec *minimo et prosferatur pax quod cassandram signo deripuit*".' Egregie L m. 1 seruauit in lemmate ueram lectionem quam restituerat Guietus. Vocabulum

extat apud Plaut. Pers. 263 Cas. 1005 'propter eam rem hanc tibi nunc ueniam minus grauate prospero': sollemne fuit in deorum fauore inuocando: Liu. VIII 9, 7 'Iane Iuppiter Marspater . . . uos precor, ueneror, ueniam peto feroque, uti populo Romano Quiritium uim uictoriam prosperetis' Hor. carm. saec. 17 'diua, producas subolem patrum prosperes decreta' e. q. s. Recte igitur *pax:* Plaut. Curc. 270 'pacem ab Aesculapio petas, ne forte tibi euenat magnum malum' Ennius TRF inc. incert. fab. 10 R 'tum coniecturam postulat, pacem petens, ut se edoceret obsecrans Apollinem quo sese uertant tantae sortes somnium' Lucr. V 1229 'non diuom pacem uotis adit ac prece quaesit' (Liu. VII 2, 2) Verg. Aen. IV 56 'principio delubra adeunt pacemque per aras exquirunt, mactant lectas de more bidentis' quem locum Muellerus attulit. *minimo et* corruptum: *Mineruae ei* Onionsius. Tamen *nec minimo* genuinum esse uidetur quia saepenumero legitur *minimus* cum negatione ueluti Iuuen. V 123 'nec minimo sane discrimine refert' Catull. 43, 1 'nec minimo puella naso'. Itaque hoc modo nunc scribo: 'nec minimo *ei* prosperatur pax quod Cassandram ⟨Locrus⟩ signo deripuit': similiter incipit septenarius lib. XXVIII u. 750 'nec paruo Catullo pretio'. 'Nec comparatur paruo pretio pax diuom Agamemnoni propter Cassandrae facinus'. De argumento conf Hygin. 116 p. 101 Schmidt. 'Ilio capto et diuisa praeda Danai cum domum redirent, ira deorum quod fana spoliauerant et quod Cassandram Aiax Locrus a signo Palladio abripuerat . . . naufragium fecerunt'. Quint. Smyrn. XIV 419 seqq. Apollod. bibl. ed. Wagneri Lips. 1894 p. 212 Proclus l. s. p. 245, 9 *Ἀθηνᾶ Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον εἰς ἔριν καθίστησι περὶ τοῦ ἔκπλου. Ἀγαμέμνων μὲν οὖν τὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐξιλασόμενος χόλον ἐπιμένει* (Hom. γ 130 seqq.). Quam tragoediam spectet poeta, non liquet: sed ad Chrysen Pacuuii sicuti u. 655 pertinere haec uerba probabilissimum est.

658. Nonius p. 38, 16 'Capital dictum est capitis periculum. . . . Lucilius lib. XXVI "facile . . . irascier".' Parasitorum uidetur esse querela: conf Diphil. 74 CAF II p. 566 K *ὀργίζεται; παράσιτος ὢν ὀργίζεται;* Aristot. rhet. I cap. 11 p. 1370 b 13 *οὐθεὶς γὰρ ὀργίζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν, οὐδὲ τοῖς πολὺ ὑπὲρ αὐτοὺς τῇ δυνάμει ἢ οὐκ ὀργίζονται ἢ ἧττον.* Simile apopthegma Sen. de ir. IV 33, 2 'notissima uox est eius qui in cultu regum consenuerat. cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: "iniurias", inquit, "accipiendo et gratias agendo".' 'Palam muttire plebeio piaculum est' Ennius dixerat in Telepho (286 R).

659. Nonius p. 138, 21 'Mordicus lib. XXVI Lucilius (*Lucilius lib. XXVI* impressi) "mordicus . . . *et* flamma . . . cibum".' Auaros significat poeta et turpilucricupidos, qui famam nil cu-

rantes clament 'mordicus petere aurum e flamma expediat, e caeno cibum': conf ad u. 669. Vtitur prouerbiis qualia sunt Xenoph. Mem. I 3, 10 *οὗτος . . . κἂν εἰς πῦρ ἅλοιτο* (Sympos. 4, 16 Oecon. 21, 7) Plut. Crass. cap. 2 de Crassi diuitiis *τὰ δὲ πλεῖστα τούτων, εἰ δεῖ μετὰ βλασφημίας εἰπεῖν τὸ ἀληθές, ἐκ πυρὸς συνήγαγε καὶ πολέμου* (Aristot. rhet. II cap. 6 p. 1383 b 25). Similiter Petron. 43 'ab asse creuit et paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere' ubi uide Friedlaenderi adnot. Cic. de fin. II 55 'pecuniam — quae quidem uel cum periculo quaerenda est uobis' de rep. III 5, 8 'geram morem uobis, et me oblinam sciens: quod quoniam, qui aurum quaerunt, non putant sibi recusandum . . .' Terent. Eun. 490 'nam qui huic animum adsentari induxeris, e flamma petere te cibum posse arbitror'.

660. Nonius p. 269, 7 'Conficere, colligere. . . . Lucilius lib. XXVI "non te multitudinem tuorum quam in *album indidit a dextera conficis ibi*".' Numeri recte uidentur currere praeter *confícis* quod in media syllaba male feritur: tuórum disyllabon in uersus principio positum commendatur comoediae exemplis (CFW Muellerus de Plaut. prosod. p. 279), *quám in* hiatum patitur legitimum, denique uel *indidit* producta ultima excusari potest apud palliatae imitatorem. Tamen sententia admodum obscura est. *Conficere,* ut ex ceteris exemplis apparet, eadem ratione secundum Nonium usurpatum est, qua Caes. b. G. II 4, 5 'hos posse conficere armata milia centum' Planc. in Cic. epist. X 8, 6 'tantas copias, quantas hae gentes . . . conficere possunt' (cuius usus plura exempla adferunt interpp. Caesaris l. s. s.) Cic. pro Flacc. 20 'duae rationes conficiendae pecuniae' (Ter. Phorm. 38). Agitur ergo aut de multitudine ciborum aut de nummorum copia. Sed offendimur tot rebus singularibus in eodem uersu occurrentibus. Etenim sicut *conficis,* ita et *dextera* displicet in medio uersu posita forma plenior: conf Engelbrechtii studia Terent. p. 25. Lachmannus scripsit 'nonne multitudinem tuorum, quam in album indidit iam dextra, conficies tibi?', contra Muellerus in Nonio 'nonne multitudinem tuorum, quam in album indidistei dextra, confeci tibi?' Neutrum intellego: neque omnino album, *λεύκωμα* illud Graecorum agnosci posse arbitror sed *aluum* hominis: 'in os meum hodie uini guttam indidi' Plaut. Cas. 247. Itaque temptaui 'non te multitudinem curem quam in aluum indidi, *ista* dextra confecisse ibi': 'non curem ciborum et ferculorum copiam quam in tua cena uoraui te in caeno collegisse ista spurca tua dextra': loquitur parasitus.

662. Nonius p. 254, 6 'Capere, accipere. . . . Lucilius lib. XXVI "malis *necesse lutum . . . purae* . . . cibum".' Idem p. 337, 10 'Lautum, mundum. Lucilius lib. XXVI "malis *necesse est lautum* . . . cibum".' De scriptura uersus satis constat duobus Nonii testi-

moniis: altero loco *est* inlatum est ab interpolatore. Coniungas oportet *lautum pure:* Plaut. Rud. 301 'salsi lautique pure domum redimus' Paul. ex Fest. p. 248 'pure lautum, aqua pura lauatum' Liu. V 22, 4 'iuuenes pure lautis corporibus' (Fronto p. 115 med. N). Participium futuri raro solum adhibetur: conf Draegeri syntax. hist. l. L. II ed. 2 p. 775 Landgrafius archiu. lexicogr. Lat. IX 1896. p. 48 seqq.: quo non offendimur ea facta distinctione uerborum qua usi sumus. *nec esse* tribrachys: conf Muellerus de Plauti prosod. p. 298 seqq.: eodem modo corripitur Plaut. Capt. 639. Sententia non est perfecta: 'uersari in luto malis, nec esse lautum e mensa pure capturus cibum?' (Hor. serm. I 2, 118).

663. Nonius p. 526, 12 'Quotiens per accusatiuum casum annos uel dies loquimur, iuges annos uel dies significamus. . . . Lucilius lib. XXVI "qui . . . septimum".' Apud eundem in *Ducere* p. 283, 25, ubi aliquot uersus perierunt, '*orpo* spondent septimum'. Caecilii uersum (70 R) spectare Lucilium intellexit Muretus: quem seruauit Cic. de fin. II 22 'atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edint de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide "mihi sex menses satis sunt uitae, septimum Orco spondeo".' Vnde intellegitur de asotis et decoctoribus agi apud Lucilium. — *sex menses,* de breui spatio Plaut. Trin. 543 'nemo extat qui ibi sex menses uixerit': aliter 'sex totos mensis' Ter. Eun. 277. 331 Adelph. 396. Per sex menses helluari cupiunt adulescentuli septimo parati se suspendere comeso patrimonio.

664. Nonius p. 23, 14 '*Mones* (moenes *siue* munes *editi*) apud ueteres dicebantur non a largitione (nonam largiatia *codd*), ⟨*quae*⟩ (*add. edit. 1476*) ignota erat, sed consentientes ad id quae amici uelint . . . Lucilius lib. XXVI "munifici . . . uiri".' Excusat decoctor rem familiarem quod perdiderit cum combibonibus: 'oportet nimirum munifici comesque amicis nostris uideamur uiri'. Imitatus est Horatius serm. I 2, 7 'hunc si perconteris, aui cur atque parentis praeclaram ingrata stringat malus ingluuie rem omnia conductis coemens obsonia nummis: sordidus atque animi quod parui nolit haberi respondet' 49 'At hic si, qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste munifico esse licet, uellet bonus atque benignus esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno dedecorique foret'.

665. Nonius p. 38, 12 '*Conuiuones* (ita L m. 2: *conuiuiones* reliqui) conpotores a bibendo dicti. Lucilius lib. XXVI "quandoquidem *repperi* . . . *conuiuorum* ex copiis".' *res periit* Lachmannus Quicheratius Muellerus in Nonio: neque tamen praepositio *ex* huic suffragatur lectioni. Quare rectius in Lucilio Muellerus *reperti* scripserat (Verg. georg. II 350). De amicis egit poeta, quorum mentionem iniecerat decoctor u. 664: qui inops factus queritur

'quandoquidem repperi magnis combibonum ex copiis uel paucos uel nullum, qui amici officio fungi sit paratus'. Vocabulum combibo i. e. συμπότης Graecum ex hoc uersu sumpsisse uidetur qui solus eo utitur Cic. epist. IX 25, 2 'in iis controuersiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicuriis'. — Ego recipere sum ausus perfectum *repperii* quod disertis uerbis inter similis formae perfecta ponit Diomedes GL I p. 371, 1 K 'sepelio sepeliui sepelii reperio reperiui et reperii (*ubi A* repperio repperiui repergii) parturio parturiui et parturii'. De sententia conf Menandrum CAF III p. 169, 554 K *οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς ζητοῦμεν ᾧ πιστεύσομεν τὰ τοῦ βίου, πάτερ; οὐ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν;* De *quandoquidem* particulae scansione conf Bakerus Class. reu. XVII 1903 p. 313 seqq.

666. Nonius p. 97, 11 'Difflare est flatu disturbare. . . . Lucilius lib. XXVI "pars . . . frigore".' Conqueritur Lucilius agricola et uindemiator de casibus uitae rusticae: pars segetis difflatur saepe tempestate, pars uritur gelicidio. Arat. 1086 *ἐπεὶ μέγας οὐ κατὰ κόσμον γίνεται οὔτε φυτοῖς χειμὼν φίλος οὔτ' ἀρότοισιν, ἀλλὰ χιὼν εἴη πολλὴ μεγάλαις ἐπ' ἀρούραις μήπω κεκριμένῃ μηδὲ βλωθρῇ ἐπὶ ποίῃ* (Auien. Arat. 1810); Ouid. fast. I 679 'uos date perpetuos teneris sementibus auctus, nec noua per gelidas herba sit usta niues' Colum. III 1 med. 'exploratum tamen habebit prudens agricola genus uitis habile campo, quod nebulas pruinamque sine noxa perfert: colli, quod siccitatem uentosque patitur' Lucr. V 215 'aut nimiis torret feruoribus aetherius sol aut subiti peremunt imbris gelidaeque pruinae flabraque uentorum uiolento turbine uexant'.

667. Nonius p. 521, 1 'Prouentum etiam malarum rerum dici ueteres uoluerunt. Lucilius lib. XXVI "denique (sic edit. princ.: *dein quae codd*) . . . male".' *Prouenire* quid sit docet Lorenzius ad Plaut. Most. 414 'uerum id uidendum est, id uiri docti est opus, quae designata sint et facta nequiter, tranquille cuncta et ut proueniant sine malo, ne quid potiatur, quam ob rem pigeat uiuere' Men. 964 'nimis prouentum est nequiter': unde apparet 'proueniunt male' idem fere esse atque 'male cedunt', 'mala fiunt ratione et improba'. Loquitur non decumanus, sed possessor Lucilius, qui queritur de iniuriis decumanorum: nam *male me accipiunt decimae,* i. e. uexant dominum praediorum et irritant: Cic. in Verr. act. II lib. I 140 'male accipit uerbis Habonium' Plaut. Aul. 630 'ego pol te, praestrigiator, miseris iam accipiam modis'. In rebus *male accipere, bene accipere* similiter atque Lucilius usurpat Muscio ille medicus qui uulgari utitur sermone: conf Sorani Gynaeciorum uetus transl. Latina ed V. Rose Lips. 1882 cap. 91 'Quomodo dicis in principio infantem male accipi, . . . si nutrix eius uinum multum bibat . . .? sic . . . malleolus . . .

licet modico uento flante uexatur et male accipitur'. conf p. 149 s. u. accipere et Lucil. lib. XXIX u. 827. De decumis ante C. Gracchi legem 631/123 latam conqueri non potuit nisi arator Siculus (Cic. in Verr. II 69, 166 Marquardtii enchirid. antiquit. p. R. V (Lips. 1884) p. 187. 191: nam quae Appianus b. c. I 7 med. tradit de decumis, ea aut parum credibilia sunt aut nihil huc pertinent. Itaque poetam diuitem in Sicilia saepe commoratum (uide ad lib. III u. 105 VI u. 254) de Siculis suis praediis narrare hac satura iure nostro ex hoc uersu efficiemus: uide quae diximus ad u. 594.

668. Nonius p. 272, 23 'Constat, ualet, consistit. Lucilius lib. XXVI "trado . . . carius".' *ego aliis* Lachmannus: quae scriptura si probabitur, hoc uersu Lucilius praecepta sua magno detrimento sibi comparata minimo aliis sese saturis suis uendere professus est. Neque tamen oportet mutemus. Agit enim poeta de suis agris: non quotannis messis bene prouenit, sicuti hoc anno accidit, immo saepenumero damnum patior tempestatibus et siccitate uexatus: 'trado ergo alias nummo porro, quod mihi constat carius'. Versus exitum similem habes ap. Terent. Eun. 211 'quod mihi est carius'. Tradere pro uendere uulgare uocabulum: Ouid. metam. VIII 872 'saepe pater dominis Triopeida tradit' Phaedr. IV 5, 44 'quacumque summa tradet luxuriae domum': *tradere porro* ut *uendere foras* incert. u. 1253. Affert Muellerus Eleg. in Maecen. II 30 (PLM I p. 136 B) 'et tradant porro Caesaris usque genus'. Liu. XXVII 51, 4 'extemplo aliis porro impertierant gaudium suum'.

669. Nonius p. 38, 7 'Versipelles dicti sunt quolibet genere se commutantes. Lucilius lib. XXVI "*ad* libertinus tricorius sirus ipse *ad masticias* . . . omnia".' Dici apparet cum saturae acerbitate dominum, *ipse* uocabulo qui indicetur, et libertinum et seruum: ipse profecto mastigias est dominus. Quem memor Plautini uersus Poen. 138 'nunc mihi blandidicus es: heri in tergo meo *tris* facile *corios* contriuisti bubulos' appellat lepide *tricorium*, sicuti dicebatur trifur trifurcifer triuerbero trimastigia alia. Quod ipsum dominum praeterea appellat Syrum, conf quae adnotauimus ad lib. XV u. 497 III u. 128: Firmic. Matern. I 3, 3 p. 6 ed. S. K. 'Scythae . . . crudelitate grassantur, . . . Galli stolidi . . . auari Syri' (Plato Reip. IV p. 435 E). *Est* particula ut saepe supplenda est: *uersipellis* adiectiuum item ut *tricorius* debet Plauto. Agitur de homine qui sicut libertinus uel seruus uel Syrus negotium gerit; qui utique poetae uidetur sordidus quaestus. Syri nomen ad faeneratorem uidetur deducere; Trimalchio ap. Petron. 76 extr. narrat 'sustuli me de negotiatione, et coepi ⟨*per*⟩ libertos faenerare': multos per seruos et libertos hoc modo reculam auxisse satis constat qua de re conf Marquardtii Mauii enchirid. de uita priuata

p. R. (ed. 1886) p. 165. *At* repetitum seruaui: Hor. serm. I 3, 32 'at est bonus, ut melior uir non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens inculto latet hoc sub corpore'.

671. Nonius p. 38, 4 'Scripturarios ueteres quos nunc tabularios dicimus dici uolunt. . . . Lucilius lib. XXVI "*publicanum* uero . . . *ut* scripturarius".' Idem p. 351, 7 'Mutare, aliud pro alio accipere. Lucilius lib. XXVI "publicanus . . . *fiam* scripturarius . . . omnia".' Vu. 666 seqq. agitur de aratoribus, quorum in numero poetam fuisse intelleximus: his uersibus agitur de pastoribus. Vnde constat illis temporibus i. e. anno fere 623/131 agrum publicum Asiae locatum fuisse publicanis Romanis, quem locabant illi publicani pastoribus deinceps eo argento, quod scripturae nomine (Plaut. Truc. 144—150) a pastoribus exigebant: conf Marquardtii enchirid. antiquitt. p. R. IV (Lips. 1881) p. 338: aratoribus denique Asia locata est lege Sempronia anni 631/123 (Cic. Verr. III 12 Fronto p. 125 N). De rebus Asiae tradit Strabo XIV p. 646 extr. M.' Aquillium consulem demum anno 625/129 prouinciam constituisse: tamen Liuio auctore per. 58 iam 621/133 Ti. Gracchus legem sese promulgaturum de pecunia Attali pronuntiauit. (Mommsenus Athen. Mittheil. XXIV 1899 p. 193.) Lucilii e uerbis colligas Attalo defuncto de pascuis illis Asianis locandis Romae actum fuisse quae pascua commemorat Cic. de leg. agr. II 50. — Lucilius Lucilii accuratius ante descripserat personam et mores: nullo pacto sese Lucilii mores uendere profitetur poeta ne magnis quidem lucris inductum publicanorum: conf Horat. epist. I 1, 77 Iuuen. III 31 seqq. — *unum hoc*, id est esse Lucilium moribus ingenuis et liberalibus. Ablatiuus est pretii: de uerborum collocatione conf P. Langeni Beitraege z. Krit. u. Erklaerung d. Plaut. p. 223. Mutare hoc loco est accipere, emere: Horat. serm. II 7, 109 'sub noctem qui puer uuam furtiua mutat strigili' ubi editt inde a Bentleio exemplis usum *mutandi* uocabuli enarrarunt: Plaut. Capt. u. 171 corruptus.

673. Nonius p. 351, 4 'Mutare, transferre. Lucilius lib. XXVI "doctior quam *ceteris is asa mittis mutes aliquo tecum satra facta uitia*".' Versus prioris exitus similis est incert. u. 963, alterius caesura post *aliquo* facile agnoscitur. Quod uocabulum recte sicut lib. XXVIII u. 759 XXX u. 992. 993 traditum esse apparet: locum significat quo mutatur aliquid i. e. transfertur ut saepe apud Terentium (Andr. 329 'dum proficiscor aliquo' Heaut. 572 'ut hinc concedas aliquo'). Reliqua omnia incerta. Scripsit Lachmannus 'doctior quam ceteri siqua mittis, mutes aliquo tum sacra face a uia'; quae ita posuit, ea uberiore commentatione indigent quam illa est adnotatio qua relegat ad Ouid. art. am. II 265 'rure suburbano poteris tibi dicere missa, illa uel in sacra sint licet empta uia' Priap. 21 'quaeque tibi posui tamquam uerna-

cula poma de sacra nulli dixeris esse uia'. Languet cum illud *doctior quam ceteri* in hac sententia, tum locutio *mutes aliquo.* Neque melius Muellerus 'doctior quam ceteri sis et mutes aliquo tecum sartas tectas ditias' qui in tribus extremis uerbis Duentzerum est secutus. Vellem accuratius enarrasset ea uerba. Adiectiuum *doctior* melius pro praedicato ponetur: *mutare* eodem modo accipiendum arbitror atque Plaut. Amphitr. 274 'neque se luna quoquam mutat'. — doctior quam ceteri: ita *doctus* uocabulum saepenumero Plautus adhibuit (Bacchid. 694 'ut senem hodie doctum docte fallas'): 'ab amicis mutes aliquo te cum satias facta sit', satias facta ut Ter. Eun. 973 'ubi satias coepit fieri, commuto locum'.

675. Nonius p. 351, 2 'mutare, derelinquere. Vergilius * * * (*lacunam factam statuit Muellerus ni fallor primus*) ⟨*Lucilius*⟩ lib. XXVI "mihi quidem non persuadetur publices (ita L, *pubplices* G, Bamberg. et Geneu. codd habent *pulices* quod defendit Smithius Americ. Iourn. of Philol. XXII 1901 p. 44 seqq.) mutem meos".' Intellego *agros publicos:* Cic. de or. II 284 'quom ageretur de agris publicis et de lege Thoria' de leg. agr. II 5, 10 'Ti. et C. Gracchos plebem in agris publicis constituisse' I 4, 10 'iubet enim eosdem decemuiros omnibus agris publicis pergrande uectigal imponere'. Dicit Lucilius sibi non persuaderi, suos agros ut uendat triumuiris, publicos conducat publicanus. Deteriorum codicum corruptelam *pulices* noli curare: eodem modo peccatum est a librariis Plaut. Trin. 1057 aliis locis de quibus conf Ritschelium opusc. IV p. 124.

676. uide ad uersum sequentem. — *sanctum* supinum: *hanc tum* Lachmannus: oppidi nomen aliis potius latere uidebatur, unde *Antium* Fruterius. Poeta Roma redibat ut domi aliquam rem in praediis suis sanciret praesens. — Item *a Metello munere* nolui mutare: positum est pro Metellino ut Romula tellus Vergilius Aen. VI 876 similia: *Tappulam legem* Lucilius incert. u. 1307. Cum Metellum Macedonicum in libris XXVI—XXX carpsisse poetam constet, promptissimum erit statuere huius hoc uersu memoratos aliquos fuisse ludos priuatos. Narrat poeta Roma cum redierit quid in uia sibi acciderit: exordium igitur huius saturae libri XXVI ultimae simile atque Iuuenalis III fuisse uidetur. Conf Obseq. 37 'P. Eluius eques Romanus a ludis Romanis cum in Apuliam reuerteretur' e. q. s. Lucilius uidetur in Siciliam rediisse: uide ad u. 667.

677. Nonius p. 165, 13 'Repedare. Lucilius lib. XXVI "*redisse* ac . . . *roma* . . . gladiatoribus. idemque *sanctum ego a metello romam repedabam* munere".' — *idemque* positum ut Non. p. 88, 33 (lib. XXVI u. 625), conf ad lib. VIII u. 314 IX u. 341. — *rediisse ac repedasse,* uide indic. gramm. s. u. hendiadyoin (ad lib. V

u. 189). *repedare* pro redire posuit Pacuuius (400 R) teste Festo p. 281: infima aetate saepius Iulius Valerius hoc uerbo usus est, item Iuuencus (I 104. 223) poeta, Ammianus historicus XVII 2, 4 'repedauit ad sua' XXIV 4, 30. Recte *uitet* (Hor. epod. II 7 'forumque uitat' e. q. s.): itaque hic *Romam*, in antecedenti fragmento *Roma* restituendum est. Nuntiat atriensis rogatus a poeta, dominum ueluti in Albanum rediisse ut Romam uitet gladiatoribus. Conf Cic. ad Att. II 1, 1 'Kal. Iuniis eunti mihi Antium et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti uenit obuiam tuus puer' de orat. I 7, 24 'ludorum Romanorum diebus L. Crassum quasi colligendi sui causa se in Tusculanum contulisse'. Ablatiuum *gladiatoribus* iam Dousa recte explicat collato Ciceronis usu (ad Att. II 1, 5. 19, 3 Philipp. IX 7, 16): munere lib. IV u. 149.

678. Nonius p. 360, 21 'Offerre, inuenire. Lucilius lib. XXVI "homines . . . uxores".' Idem p. 373, 2 'Producere, instituere Terentius in Adelfis (314) "seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus". Lucilius lib. XXVI "ducunt . . . liberos".' Audis poetam caelibem, qui Q. Caecilii Metelli Macedonici sententiam, quam censor dixit anno 623/131 carpat: qui uoluit 'ut cogerentur omnes ducere uxores liberorum creandorum causa' (Liu. perioch. 59 schol. Hor. serm. II 1, 72). Imitatus est hanc Lucilii saturam Iuuenalis VI 28 seqq. 'Vxorem, Postume, ducis? dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?' — *Quibus haec faciant* a multis temptatum est: quid esset, intellegebatur ex eis, quae antecesserunt: producunt homines ipsi liberos, ut eis haec omnia necessario faciant, quae modo enumeraui: ut sumptum praebeant, uestitum, uictum, alia. Cato de agri cult. 102 'et idem hoc si usus uenerit homini facito' (Lucil. lib. IX u. 369 'hoc illi factum est uni' Ter. Andr. 112 'quid hic mihi faciet patri?' Eurip. Orest. 748 ηὐλαβεῖθ' ὃ τοῖς φίλοισι δρῶσιν οἱ κακοὶ φίλοι.

680. Nonius p. 324, 12 'Inpurus est aliquo uitio maculatus. . . . Lucilius lib. XXVI "coniugem *infidamque flaticam* familiam *inpura* (*impura L m. 2 G*) domum (*modum L*)".' Versus antecedentis ultima uox erat ueluti *adulteram.* Conf Apul. de mag. 75 'domus eius tota lenonia, tota familia contaminata: ipse propudiosus, uxor lupa, fili similes'. Leidensis cod praestantiam agnoscis qui habeat *inpura modum* archetypi, Guelferbytanus *impura domum* ex correctura. 'cum . . . coniuge fida' Hor. epist. II 1, 142. *Pathicam* familiam cum Boeckhio scripsit Lachmannus: Sed nihil probabilius quam *infidam* pertinere ad familiam sicut lib. XXII u. 579 legitur 'seruus neque infidus domino': pro *flacitam* posui *placitam* hoc fere ut dixerit poeta: 'an censes cuiquam adulteram coniugem, infidamque placitam familiam, impuram domum?'.

681. Nonius p. 88, 26 'Cribrum. Lucilius lib. XXVI "cribrum . . . in *laterem* in telam licium".' Enarrat poeta res utiles, quas libenter maritus uxori domisedae et lanificae uelit comparare quales enumerat Cato de agr. cult. 13, 1 'cribrum I incerniculum I . . . lucernas *' e. q. s. conf 151, 3 'eo cribro terram incernito'. *in laterem* quid sit traditum non est. Sed Tibullus II 1, 65 'atque aliqua adsidue textrix operata Mineruam cantat et *adpluso* tela sonat *latere*' cum scribat, uix alio modo intellegi poterit locus, nisi si laterem eam esse partem lanificii intellegemus, quae *percutitur* pectine uel *pauitur* uel *feritur:* conf Ciris 179 'non Libyco molles *plauduntur* pectine telae et Varro de l. Lat. V 113 'densum, a dentibus pectinis, quibus *feritur*'. Inde auctore Isid. orig. XIX 22, 19 'leuidensis (uestis) quod raro filo sit, leuiterque densata, pauitensis contraria leuidensi dicta, quod grauiter pressa atque calcata sit' Ouid. fast. III 820 'illa etiam stantis radio percurrere telas erudit et rarum pectine denset opus' metam. VI 56 'inseritur medium radiis subtemen acutis, quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum percusso pauiunt insecti pectine dentes' Lucan. X 142 'filo, quod Nilotis acus compressum pectine Serum soluit et ex denso laxauit stamina uelo' Iuuen. IX 28 'pingues aliquando lacernas . . . et male percussas textoris pectine Galli accipimus'. Poscit igitur mulier tamquam officiosa licium modo in laterem, i. e. in densum ad continuationem operis dudum incepti, modo in telam, i. e. ut nouum sedulo opus inchoet: Verg. georg. I 284 'septuma post decumam felix et ponere uitem et prensos domitare boues et licia telae addere' Tib. I 6, 79 'firmaque conductis adnectit licia telis'. Laterem *ἀγνῦθα* i. e. lapillorum aliquem quo utebantur ad stamen derigendum (Poll. VII 36 Ritschelius opusc. IV p. 678) intellegit Buechelerus Mus. Rhen. XLIII 1888 p. 291 dum scribit 'lucernam, laterem in telam, licium'. At res nimis uilis et pusilla uidetur, cuius de pretio uerba fiant coram marito: neque mulieres tela recta usas esse *κατὰ τὴν ἀρχαίαν ὑφαντικήν* cuius erant *ἀγνῦθες* auctore Polluce l. s. s. aetate Lucilii omnino probabile est. Itaque *later* siue *densum* esse uidetur ipsum contextum i. e. *τὸ ὕφος* uel *σπάθῃ* uel *κτενὶ κεκρουμένον* (Hesychius s. u. *σπαθατόν*).

682. Nonius p. 97, 7 'Depoculassere ac deargentassere et decalauticare. Lucilius lib. XXVI "*depoculassere* (*depeculassere* Leidensis) . . . speculo *depeculassere*".' *Depoclassere,* quod L. F. Schmidtius posuit primus in libro de Lucilii libro IX p. 12 adnot., nititur lemmate Nonii, et in u. Lucilii codice G. Nil igitur boni in lectione codicis L quae propter metrum uitiosa est *depeculassere.* Quae ex u. insequenti male est repetita ubi idem uir doctus pro *depeculassere* recte posuit *despeculassere.* Itaque *depoclassere* et *deargentassere* ad idem poculum pertinent

argenteum: sperat uxor maritum argenteum in poculum, in calauticam, in eburnum speculum pecuniam suppeditaturum. Calautica quae sit enarrat Seruius ad Aen. IX 613 'mitrae feminarum, quas calauticas dicunt'. Antiphanes CAF II p. 88, 189 K *στίμμυν, κατόπτρα, κρωβύλους, κεκρυφάλους.* Plaut. Truc. 52 'priusquam unum dederis, centum quae poscat parat: aut periit aurum aut conscissa pallula est aut empta ancilla aut aliquod uasum argenteum'. Similia uerba finxerunt Graeci ueluti *καθιπποτροφεῖν καταζευγοτροφεῖν* Isaeus V 43. — Videtur primus dixisse *eburnus* Lucilius, eburatus Plautus scripserat Aul. 168, eburneolus Cic. de or. III 225.

684. Nonius p. 382, 31 'Rogare, poscere. Lucilius lib. XXVI "ferri . . . *si* quoque . . . impetret".' Idem p. 366, 21 'Petere significat poscere. . . . Lucilius lib. XXVI "ferri . . . petit".' *Ferri* dixit non *aeris,* quod aere uilius est ferrum: quo magis augetur acerbitas orationis. Loquitur poeta caelebs. si secubitet: lege lepidissimam Ciceronis ad Atticum epistulam V 1: fuerat inter coniuges Q. Ciceronem et Pomponiam aliqua 'ex ratione sumptus offensio': rixa coorta in Arcano narrat postridie Quintus fratri 'nec secum illam dormire uoluisse et, cum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego uidissem'.

686. Nonius p. 18, 6 'Delirare (delerare *G m. 2*) est de recto decedere. . . . Lucilius XXVI "quapropter . . . fungo (fungor G) *ruberum*".' Leidensis codicis praestantiam facile agnoscis qui *fungo ruberum,* Guelferbytanus *fungorruberum,* r male iterata, sicuti lib. XVIII u. 554 *fruniscor eso* Leidensis, *fruniscor rego* Guelferbytanus. Scribendum esse *fungor liberum* demonstraui Mus. Rhen. XLI 1886 p. 549 quia idem positus inuenitur genetiuus in exitu uersuum Ennii 362 Accii 79. 376 R Terent. Adelph. 793 Turpil. 54 R: item apud Afranium 361 R legitur 'maiores uestri incupidiores liberum Fuere'. Adde quod Cic. Or. 155 tradit de *liberum* genetiuo: 'non dicit *liberum,* ut plerique loquimur, cum *cupidos liberum* aut *in liberum loco* dicimus, sed ut isti uolunt' i. e. liberorum. Idem eodem anno protulit Baehrensius FPL p. 213, 502 neque tamen Mercerus primus id *liberum* genetiuum poni uoluit, sed, ut diserte exponit in notis p. 94 edit. 1614, adiectiuum: eodem modo posuit *liberum* Corpetus qui scripsit *cupide* sicuti Mercerus. Imitatus esse uidetur poeta Menandri Misogynem CAF III p. 94, 325 K *γυνὴ πολυτελής ἐστ' ὀχληρόν, οὐδ' ἐᾷ ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡς βούλετ'. ἀλλ' ἔνεστί τι ἀγαθὸν ἀπ' αὐτῆς, παῖδες· ἐλθόντ' εἰς νόσον † τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευσεν ἐπιμελῶς, ἀτυχοῦντι συμπαρέμεινεν, ἀποθανόντα τε ἔθαψε.*

687. Nonius p. 381, 23 'Referre significat perferre (*proferre* Lachmannus), indicare. . . . Lucilius lib. XXVI "quod is *intellegebar* (*intellegebat* Iunius) posse, ad (ita *L m. 1* haud *L m. 2 G*) paucos

681. Nonius p. 88, 26 'Cribrum. Lucilius lib. XXVI "cribrum ... in *laterem* in telam licium".' Enarrat poeta res utiles, quas libenter maritus uxori domisedae et lanificae uelit comparare quales enumerat Cato de agr. cult. 13, 1 'cribrum I incerniculum I ... lucernas *' e. q. s. conf 151, 3 'eo cribro terram incernito'. *in laterem* quid sit traditum non est. Sed Tibullus II 1, 65 'atque aliqua adsidue textrix operata Mineruam cantat et *adpluso* tela sonat *latere*' cum scribat, uix alio modo intellegi poterit locus, nisi si laterem eam esse partem lanificii intellegemus, quae *percutitur* pectine uel *pauitur* uel *feritur:* conf Ciris 179 'non Libyco molles *plauduntur* pectine telae et Varro de l. Lat. V 113 'densum, a dentibus pectinis, quibus *feritur*'. Inde auctore Isid. orig. XIX 22, 19 'leuidensis (uestis) quod raro filo sit, leuiterque densata, pauitensis contraria leuidensi dicta, quod grauiter pressa atque calcata sit' Ouid. fast. III 820 'illa etiam stantis radio percurrere telas erudit et rarum pectine denset opus' metam. VI 56 'inseritur medium radiis subtemen acutis, quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum percusso pauiunt insecti pectine dentes' Lucan. X 142 'filo, quod Nilotis acus compressum pectine Serum soluit et ex denso laxauit stamina uelo' Iuuen. IX 28 'pingues aliquando lacernas ... et male percussas textoris pectine Galli accipimus'. Poscit igitur mulier tamquam officiosa licium modo in laterem, i. e. in densum ad continuationem operis dudum incepti, modo in telam, i. e. ut nouum sedulo opus inchoet: Verg. georg. I 284 'septuma post decumam felix et ponere uitem et prensos domitare boues et licia telae addere' Tib. I 6, 79 'firmaque conductis adnectit licia telis'. Laterem *ἀγνῦθα* i. e. lapillorum aliquem quo utebantur ad stamen derigendum (Poll. VII 36 Ritschelius opusc. IV p. 678) intellegit Buechelerus Mus. Rhen. XLIII 1888 p. 291 dum scribit 'lucernam, laterem in telam, licium'. At res nimis uilis et pusilla uidetur, cuius de pretio uerba fiant coram marito: neque mulieres tela recta usas esse *κατὰ τὴν ἀρχαίαν ὑφαντικήν* cuius erant *ἀγνῦθες* auctore Polluce l. s. s. aetate Lucilii omnino probabile est. Itaque *later* siue *densum* esse uidetur ipsum contextum i. e. *τὸ ὕφος* uel *σπάθῃ* uel *κτενὶ κεκρουμένον* (Hesychius s. u. *σπαθατόν*).

682. Nonius p. 97, 7 'Depoculassere ac deargentassere et decalauticare. Lucilius lib. XXVI "*depoculassere* (*depeculassere* Leidensis) ... speculo *depeculassere*".' *Depoclassere,* quod L. F. Schmidtius posuit primus in libro de Lucilii libro IX p. 12 adnot., nititur lemmate Nonii, et in u. Lucilii codice G. Nil igitur boni in lectione codicis L quae propter metrum uitiosa est *depeculassere.* Quae ex u. insequenti male est repetita ubi idem uir doctus pro *depeculassere* recte posuit *despeculassere.* Itaque *depoclassere* et *deargentassere* ad idem poculum pertinent

argenteum: sperat uxor maritum argenteum in poculum, in calauticam, in eburnum speculum pecuniam suppeditaturum. Calautica quae sit enarrat Seruius ad Aen. IX 613 'mitrae feminarum, quas calauticas dicunt'. Antiphanes CAF II p. 88, 189 K *στίμμυν, κατόπτρα, κρωβύλους, κεκρυφάλους.* Plaut. Truc. 52 'priusquam unum dederis, centum quae poscat parat: aut periit aurum aut conscissa pallula est aut empta ancilla aut aliquod uasum argenteum'. Similia uerba finxerunt Graeci ueluti *καθιπποτροφεῖν καταζευγοτροφεῖν* Isaeus V 43. — Videtur primus dixisse *eburnus* Lucilius, eburatus Plautus scripserat Aul. 168, eburneolus Cic. de or. III 225.

684. Nonius p. 382, 31 'Rogare, poscere. Lucilius lib. XXVI "ferri ... *si* quoque ... impetret".' Idem p. 366, 21 'Petere significat poscere. ... Lucilius lib. XXVI "ferri ... petit".' *Ferri* dixit non *aeris,* quod aere uilius est ferrum: quo magis augetur acerbitas orationis. Loquitur poeta caelebs. si secubitet: lege lepidissimam Ciceronis ad Atticum epistulam V 1: fuerat inter coniuges Q. Ciceronem et Pomponiam aliqua 'ex ratione sumptus offensio': rixa coorta in Arcano narrat postridie Quintus fratri 'nec secum illam dormire uoluisse et, cum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego uidissem'.

686. Nonius p. 18, 6 'Delirare (delerare *G m. 2*) est de recto decedere. ... Lucilius XXVI "quapropter ... fungo (fungor G) *ruberum*".' Leidensis codicis praestantiam facile agnoscis qui *fungo ruberum,* Guelferbytanus *fungorruberum,* r male iterata, sicuti lib. XVIII u. 554 *fruniscor eso* Leidensis, *fruniscor rego* Guelferbytanus. Scribendum esse *fungor liberum* demonstraui Mus. Rhen. XLI 1886 p. 549 quia idem positus inuenitur genetiuus in exitu uersuum Ennii 362 Accii 79. 376 R Terent. Adelph. 793 Turpil. 54 R: item apud Afranium 361 R legitur 'maiores uestri incupidiores liberum Fuere'. Adde quod Cic. Or. 155 tradit de *liberum* genetiuo: 'non dicit *liberum,* ut plerique loquimur, cum *cupidos liberum* aut *in liberum loco* dicimus, sed ut isti uolunt' i. e. liberorum. Idem eodem anno protulit Baehrensius FPL p. 213, 502 neque tamen Mercerus primus id *liberum* genetiuum poni uoluit, sed, ut diserte exponit in notis p. 94 edit. 1614, adiectiuum: eodem modo posuit *liberum* Corpetus qui scripsit *cupide* sicuti Mercerus. Imitatus esse uidetur poeta Menandri Misogynem CAF III p. 94, 325 K *γυνὴ πολυτελής ἐστ' ὀχληρόν, οὐδ' ἐᾷ ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡς βούλετ'. ἀλλ' ἔνεστί τι ἀγαθὸν ἀπ' αὐτῆς, παῖδες· ἐλθόντ' εἰς νόσον † τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευσεν ἐπιμελῶς, ἀτυχοῦντι συμπαρέμεινεν, ἀποθανόντα τε ἔθαψε.*

687. Nonius p. 381, 23 'Referre significat perferre (*proferre* Lachmannus), indicare. ... Lucilius lib. XXVI "quod is *intellegebar* (*intellegebat* Iunius) posse, ad (ita *L m. 1* haud *L m. 2 G*) paucos

retuli".' Codicis Leidensis praestantia nitendum est, qui m. 1 habeat *ad*: unde intellegere recte licet uerba tradita, quae sana esse et numeri sani persuadent et caesura sana. *Referre* esse *perferre* enarrat Nonius, addit exemplum e Verg. Aen. II 547 'referes ergo haec et nuntius ibis Pelidae genitori', deinde Lucilii illa uerba. In quibus propter illud *perferre* quid probabilius quam *ad* paucos scribi oportere, quae particula saepissime cum *referre* consociatur? *Intellegebar*, ut Cic. de or. III 110 'nunc enim inopia reticere intelleguntur', *is* addit, ut Plaut. Merc. 631 'egomet credidi homini docto rem mandare, is lapidi mando maximo' Cic. epist. XII 14, 7 'atque haec omnia is feci, qui sodalis et familiarissimus Dolabellae eram'. Dicit igitur: 'id, quod ego, qui tali sum ingenio, poteram, quodque me posse norant homines, id aegre ad paucos homines amicos rettuli qui de eo iudicarent': uide ad lib. XXX u. 1009. *ad* pro *haud* solus seruauit Baehrensius.

XXVII.

Multo difficilius quam de libro XXVI iudicium est de libri XXVII argumento. Gloriam consecutus erat poeta libro primo saturarum edito et auctoritatem. Qui enim satis modeste locutus erat de lectoribus suis (XXVI u. 592—596) neque Scipionem sua legere uoluerat, is iam ad Scipionem librum mittere est ausus (u. 688 seqq.). Agitur libro XXVII (688—715) de fortuna humana et de uitae humanae uicissitudinibus, quas aequo animo ferendas iudicat secundum Archilochi praeceptum, de agro, de seruis; tum de parasitis et amicis (716—725), de meretricibus (726—737).

688. Nonius p. 308, 24 'Fingere, conponere. ... Lucilius lib. XXVII "*item populi* salute et ... inpertit".' Idem p. 37, 22 'Inpertire est participare et partem dare. Lucilius lib. XXVII "quibus potest inpertit".' Idem p. 37, 28 'Sedulum significat sine dolo. Lucilius lib. XXVII "*salutem* fictis (*factis* Leidensis) uersibus ... sedulo".' Inpertire uerbum quo casu adiecto ponatur intellegitur Plaut. Epid. 126 'aduenientem peregre erum Stratippoclem impertit salute seruos Epidicus'. (Draegerus synt. hist. ling. Lat. ed II uol. 1 p. 561.) Scripsit Lachmannus *rem populi*, ut *salute impertit* apud Lucilium non sicut apud Plautum ad salutationem pertineat, sed et bonis et uersibus sese donaturum populum polliceatur poeta. Veluti 'Rem populi tractas?' Pers. IV 1 'est igitur, inquit Africanus, respublica res populi' Cic. de rep. I 39, conf Spart. uit. Hadr. 8, 3. Quod Nonii codd p. 37 exhibent *salutem*, id maluit

ponere Muellerus. At facilius, opinor, *et* omitti potuit quam addi a librario. Consociauit Lucilius iocose duos ablatiuos *salute et uersibus quibus potest*: quod addit eodem sensu quo Horatius carm. IV 8, 11 'carmina possumus donare'. Scripserat libro XXVI u. 594 sese Siculis Tarentinis Consentinis scribere: at hoc libro secundum Lachmanni lectionem tamquam medicus reipublicae p. R. aegrotanti pollicetur salutem. Quaesiisse nimirum nonnulli uidentur homines simili modo atque Palladas AP XI 291 *τί ὠφέλησας τὴν πόλιν στίχους γράφων*; At Horatius serm. I 4, 1 seqq. comicorum Atticorum ueterum similem esse poetam statuit qui tales conscripserit uersus: sicuti Aristoph. Vesp. 1043 sese dixit *ἀλεξίκακον, τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν*, Ranis 686 pronuntiat *τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν κτλ.*, ciues suos adloquitur Archilochus fragm. 50 B. Haec ego quondam Lachmannum secutus exposui ind. lect. Rostoch. 1888/9 p. 12: nunc et Plauti uersu illo rectius me uti arbitror si statuero utique unam personam a poeta debere appellari, non totam p. R. rempublicam quam salute ille impertiat, nec *rem publicam* posse dici *rem populi* ipsam: denique artius oportere editorem sequi litteras apud Nonium traditas. Itaque *item* e *te* erit statuendum esse male mutatum, *populi* uocatiuum esse *Popli* sicuti pro *Publilius publicus* scribitur *Poblilius poplicus* similia et scriptam esse hanc saturam uel hunc librum XXVII ad Scipionem eundem cuius iudicium libro XXVI repudiarit poeta (u. 594). Cui cum placuisse nouam Lucilii poesin audisset auctor, hunc alterum statim librum ad eum misit: quem librum ad hominem ordinis senatorii missum fuisse demonstrat u. 690.

690. Nonius p. 374, 22 'Proferre, palam facere. Lucilius lib. XXVII "*proferat ergo* ... admiserit".' *Proferam ego* Lachmannus *Proferam iam ergo, ordo uester* Muellerus. Sed Plaut. Aulul. 232 'meus me ordo irrideat' Cic. Brut. 180 'nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gargonium' 205 'homo extra nostrum ordinem meo iudicio disertissimus' in Verr. III 97, 225 'perniciosum uestro ordini'. 'scelera quae in se admiserit' idem uersus exitus Ter. Phorm. 270 'culpam ut Antipho in se admiserit' (415). Serio an per iocum ita minatus sit poeta, non liquet. Ordinis senatorii flagitia illa aetate protulerat Ti. Gracchus, cum legem iudiciariam ferret quam postea dissuasit Scipio Aemilianus (Meyerus ORF[2] p. 191): simili modo postea C. Gracchus ordinis senatorii flagitia et scelera protulit (Meyerus l. s. p. 236). Saturam unam libri XXVII uel totum librum ad hominem ordinis senatorii missam fuisse uersus hic testatur.

691. Nonius p. 320, 27 'Honor, sepultura. ... Lucilius lib. XXVII "nullo honore *displetu* nullo funere".' Ablatiuum *fletu* post Iunium et Fruterium agnorunt Duentzerus Lachmannus

alii, *heredis* supplet ante fletu Buechelerus Mus. Rhen. XLIII 1888 p. 291 memor Publilii sent. 221 R 'heredis fletus sub persona risus est', de litteris egregie, de sententia parum apte: *redis* Munro, *taedis* Lachmannus, *ludis* ego comparato Cic. pro Mil. 32, 86 'ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore et luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, cui cedere inimici etiam solent, ambureretur abiectus'; Plaut. Mostell. 427 'ludos ego hodie uiuo praesenti hic seni faciam quod credo mortuo numquam fore'. (Fest. s. u. simpludiarea funera p. 334.) *Nullus* iteratur ut ap. Laberium 102 R 'nullus timor, uis nulla, nulla auctoritas'. De numero mutato conf Cic. ad Att. IX 7, 5 'legibus, iudicibus, iudiciis, senatu sublato'. Deflet poeta interitum hominis Romani genere clari et uirtutibus, qualis fuit Ti. Sempronius Gracchus qui modo erat trucidatus anno 621/133: *οὐ γὰρ ἐπέτρεψαν ἀνελέσθαι τὸ σῶμα τῷ ἀδελφῷ δεομένῳ καὶ θάψαι νυκτός, ἀλλὰ μετὰ τῶν ἄλλων νεκρῶν εἰς τὸν ποταμὸν ἔρριψαν* (Plut. Ti. Gracch. 20 Appian. b. c. I 16; Oros. V 9, 3 'ipsius quoque Gracchi inhumatum cadauer extabuit'). Vide praef.

692. Nonius p. 138, 18 'Mutuum pro mutuo. Lucilius lib. XXVII "et . . . facis".' Sententiam intellegis comparato Plaut. Trin. 437 'quid agit filius? # Bene uolt tibi. # Edepol mutuum mecum facit'.

693. Nonius p. 238, 12 'Adtendere est intendere. . . . idem lib. XXVII "rem . . . *postula*".' Idem p. 275, 21 'Cognoscere est audire, aestimare. Lucilius lib. *XXVI* "rem *cognoscat* . . . adtendas postulo".' Libro XXVII recte attribuit Lachmannus alii, quia facilius a librario omitti apparet hastam unam quam addi per neglegentiam: conf tabulam prolegg. p. XCIV quae hanc quam nos semper secuti sumus rationem confirmat. Contraria ponuntur *rem* et *dictis* sicut Plaut. Rud. 682. 683 'Desiste *dictis* nunciam miseram me consolari: nisi quid *re* praesidi apparas' (idem Diphilus ap. Ter. Adelph. 164: Plaut. Aul. 222 Epid. 112. 113) ad Herenn. IV 39, 51 'superbi *re* simul et *uerbis* inueniuntur'.

694. Nonius p. 360, 10 'Obseruare, captare (conf Lucilii u. 696) . . . Lucilius lib. XXVII "quod si obseruas hominem *qui* pro commodo et regno *gaudeat*".' Recte Iunius *audeat* ut Verg. Aen. XII 814 'pro uita maiora audere'. *pro regno* dictum aut similiter ut Verg. eclog. I 69 'mea regna' Cic. ad Att. XIV 16, 1 'post in haec Puteolana et Cumana regna renauigare' aut, quod probabilius, ad potentiam hominis in republica nobilis pertinet. Conf Dio Prus. I p. 5, 25 Arn. *ὅστις μὲν γὰρ . . . οὐδέποτε ἢ σπανίως ἑώρακε τοὺς ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς κινδυνεύοντας καὶ πονοῦντας κτλ.* — *quid* scripsi.

695. Nonius p. 330, 11 'Inducere, instituere, confirmare.

Lucilius lib. XXVII "aut . . . et *ut ille* omnino putat".' *Vtile* Mercerus: item librarii codd deteriorum: *quod* coniunctio causalis: conf Cic. ad Att. XIV 13, 6 'Etenim ille, *quoniam semel induxit animum* sibi licere, fecisset nihilominus me inuito'.

696. Nonius p. 275, 19 'Captare, capere. Lucilius lib. XXVII "quod si . . . uolueris".' Captare et obseruare: uide indic. gramm. s. u. hendiadyoin. Ductum uidetur ex hoc u. Lucilii Nonii lemma p. 360, 10 'obseruare, captare'. Similiter praecepta sua commendarat poeta amico lib. XXVI u. 610 'haec tu si uoles per auris pectus inrigarier'. Sed hoc loco magis modeste dicit: 'quod si, Scipio, per exiguum temporis spatium haec mea carmina inspicere et animo capere uolueris'.

697. Nonius p. 384, 25 'Redire, referri, reuocari. Lucilius lib. XXVII "si . . . *rediuit* . . . commodo".' *redibit* recte Mercerus: idem quod *hoc* positum esse pro *huc* arbitratur, non probandum est neque Lachmanno obtemperandum, qui ita distinguit 'si non, tamen ad te hoc redibit': quo facto enuntiatum efficitur parum aptum cum sequatur 'tu hoc carebis commodo'.

698. Nonius p. 301, 16 (p. 474 Muelleri) 'Excidere, dissentire. Lucilius lib. XXVII "metuo . . . *ergo* (*ego* Geneuensis et Lachmannus) *quo* (*uiuo* deteriores et Muellerus) ab *arciloco* excido".' Spectari Archilochi fragm. 74 B *χρημάτων ἄελπτον οὐδέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον οὐδὲ θαυμάσιον . . . ἐκ δὲ τοῦ καὶ πιστὰ πάντα κἀπίελπτα γίγνεται ἀνδράσιν κτλ.* adnotat Dousa. *excido ab Archilocho* scripsit Lucilius sicuti Thucyd. VIII 81, 2 classis codd altera *ἵνα . . . ἀπὸ τῶν ὑπαρχουσῶν ἐλπίδων ἐκπίπτοιεν*, altera omittit *ἀπό*: ab Archilocho excido idem ualet quod ualere iubeo Archilochi praeceptum. Conf Plut. de adul. et am. 7 p. 52 D *Διονύσιος ἐκπεσὼν φιλοσοφίας πάλιν εἰς πότους . . . ἧκε φερόμενος* (de audiend. 17 p. 47 C). Neque tamen unum hunc Archilochi locum sed totum eius librum septenariis quos imitatus est compositum spectasse uidetur poeta: aliud enim fragmentum spectat u. 699. ⟨*anti*⟩quo scripsi memor Propertii II 3, 21 'et sua cum antiquae committit scripta Corinnae'.

699. Nonius p. 286, 6 'Dimissum, humile, miserandum, abiectum. . . . Lucilius lib. XXVII "re in . . . animos in mala *dimittere*".' Ita Leidensis m. 1: idem m. 2 et reliqui *et in mala dimittere*. Quod licet possit defendi ueluti uersu Suei qui dicitur quem attulimus ad lib. IX u. 359, tamen Lachmannum et Muellerum secuti *et* ut languidum cum L m. 1 omittimus: simili modo *ac* interpolatum est u. 736. Spectat poeta uersus Archilochi 66 B *θυμέ, θύμ', ἀμηχάνοισι κήδεσιν κυκώμενε . . . μήτε νικῶν ἀμφάδην ἀγάλλεο μήτε νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο· ἀλλὰ χαρτοῖσίν τε χαῖρε καὶ κακοῖσιν ἀσχάλα μὴ λίην· γίγνωσκε δ' οἷος ῥυσμὸς ἀνθρώπους ἔχει·* eosdem uersus spectat Quintus Smyrn. XIV 202 *μήτ' ἐπὶ*

πήματι πάγχυ δαΐζεο θυμὸν ἀνίῃ, μήτ' ἐσθλῷ μέγα χαῖρε. — 'demittunt mentes' Vergil. Aen. XII 609, 'uicti debilitantur animosque demittunt' Cic. de fin. V 42. Appian. prohoem. cap. 11 de Romanis *οὔτε ταῖς εὐπραγίαις ἐπαιρόμενοι μέχρι βεβαίως ἐκράτησαν, οὔτε συστελλόμενοι ταῖς συμφοραῖς.*

700. Nonius p. 302, 23 'Ferre, pati. ... Lucilius lib. XXVII "ceterum *quidquid* sit quid non sit *fere* aequo animo ac fortiter".' Ita Leidensis m. 1: *fero* L m. 2 G. Imitatus est poeta uersum Plauti Trin. 994 '*ceterum* (ita Guilelmius: *sed erum* codd) qui sis, qui non sis, floccum non interduim (*interdum* codd), quem locum iam Muellerus adfert in Nonii editione. Plaut. Rud. 402 'ergo *animus aequus* optumum est aerumnae condimentum': contra Terentius Adelph. 24 *aequanimitas, aequo animo* passim: 'adeste aequo animo' Andr. 24, 'aequo animo ferre' Andr. 397, 'quod fors feret, feremus aequo animo' Phorm. 138, 'uos aequo animo aequa noscere oportet' Adelph. 503. Similiter Laberius 65 R 'aequum animum indigna iniquat contumelia'.

701. Nonius p. 362, 14 'Proprium rursum significat perpetuum. ... Lucilius lib. XXVII "cum sciam ... datum *est*".' Verba Archilochi illa *γίγνωσκε δ' οἷος ῥυσμὸς ἀνθρώπους ἔχει* spectat poeta: similem postea sententiam posuit lib. XVII u. 551.

702. Nonius p. 29, 28 'Mediocritas medium ... Lucilius lib. XXVII "paulo hoc melius (homelius *L*) ... quam *ut opessummum*".' Superlatiui forma uetustior facile agnoscitur in corruptela. Verbum substantiuum bis omitti consentaneum est, cum pronomen *hoc* bis sit subiectum. Noli tollere *ut*: sententia potest esse imperfecta quam hoc modo suppleas: 'hoc minus malum quam ut pessumum omnium dicas malorum'. (Cic. Brut. 70 Orat. 41.)

703. Nonius p. 21, 4 'Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat. ... Lucilius satyrarum lib. XXVII "modo ... *colus* cernui".' Idem p. 200, 18 'Collum neutri est generis. ... collus masculino ... idem lib. XXVII "modo ... collus *cernis*".' Notandum quod hoc loco apud Nonium lib. XXVII Lucilii diserte dicitur satyrarum, quod alibi occurrit nusquam: uide prolegg. p. LXXXVIII. De *modō* altero posito pro iambo Lachmannus egit in Lucret. comment. p. 140. 141: conf Lucil. VIII u. 298 XIII u. 448. *Cernuus* quid sit apud Lucilium, exposuimus ad III u. 129. Quo loco cum soccum significari hoc uocabulo intellexerimus, eodem modo hoc uersu *collus cernui* intellegatur de socco, cuius collus angustior modo sursum ducitur cum induis soccum, modo deorsum cum exuis: collum amphorae appellauit Cato de agr. cult. 88, 1 Phaedr. I 26, 10 'quae cum lagonae collum frustra lamberet' alii. Quo pertineat comparatio, non patet: suspiceris fortunae uicissitudines et inconstantiam spectari.

704. Nonius p. 27, 6 'Strabones sunt strambi, quos nunc dicimus. ... Lucilius lib. XXVII "nulli ... istorum".' Strabonem fieri locutionem a Lucilio mutuatus est Varro sat. Menipp. 176 B: Graeci dicunt *ἐποφθαλμιᾶν ἐποφθαλμίζειν*: conf Suid. s. u. *ἐποφθαλμίσας· φθονήσας ἢ ἐπιθυμητικῶς ἐπιβαλών 'ὁ δὲ ἰδὼν τὸ χρυσίον ἐποφθαλμιᾷ τῷ ἀνθρώπῳ'*: Charit. I 7, 1 *ἐπωφθαλμίασε τῷ χρυσῷ.* Adfert Dousa Hor. epist. I 14, 37 'non istic obliquo oculo mea commoda quisquam limat, non odio obscuro morsuque uenenat'. Lucilii h. u. recepit R. Foersterus in edit. Scriptorum Physiognom. II p. 321.

706. Nonius p. 289, 12 'Deductum, delectatione ductum. ... Lucilius lib. XXVII (XXVI *G*) "*illoc* oculi ... rapit".' *Illo* recte Iunius; Plaut. Mostell. 1069 *illo* Ambrosianus, *illoc* falso Palatini, Aulul. 705 'nam ut dudum hinc abii, multum illuc (*ita DVE*, illic *B*) adueni prior', ubi *illo* editores. Recte negant ferri posse *illic* aduerbium pro pyrrhichio positum ubi *illi* restituerunt ueluti Captiu. 278 aliis locis quos indicat CFW Muellerus de Plauti prosod. p. 331. Agi uidetur de amore mulieris formosa: *oculi deducunt*, ut poeta Pompeianus CLE II p. 431, 934 B 'me oculei posquam deducxstis in ignem'. spes, potiundi: 'spes facilem Nemesim spondet mihi' Tibull. II 6, 27.

707. Nonius p. 213, 32 'Messem generis feminini, masculino Lucilius lib. XXVII "potius quam non *magnum esse* non *probaui indemedia* (ita L: *proba uindemedia* G, *uindemia* impressi)".' Audis Lucilium agricolam et possessorem. Consociatur messis et uindemia lege agraria CIL I 200, 95 'quae messis uindemiaque P. Cornelio L. *Calpurnio cos.*', Gratiar. actio Constant. Aug. (VIII) 13 'si horrea messis implesset, si uindemia redundasset, si oliuitas larga fluxisset': *ἀμητοῦ ⟨ἢ⟩ τρυγητοῦ ὄντος* restituit Buechelerus in R. Schoenei Philonis mechanicae syntaxis edit. Berol. 1893 p. 96, 30. Non *proba* uindemia, sicut Plaut. Rud. 373 'improbae sunt merces' Liu. XXXII 2, 2 'argentum ... probum non esse'. Nemo tam insanus est, ut dicat 'incultus horno pereat ager potius, quam non magno messe, non proba uindemia ludat operam rusticorum'.

708. Nonius p. 477, 29 'Adiutatur pro adiutat. ... Lucilius lib. XXVII "nec ... *usuras et* ... diu".' *Adiutari* pro *adiutare* ei soli scriptores uidentur scripsisse quos adfert Nonius l. s. s. Sensus uidetur esse hic: nec agrum, si paulo minus magno fructu adiuuit dominum per multos annos, ideo contemnas sed corrigas oportet melius colendo: usura, ut Ouid. rem. am. 173 'obrue uersata Cerealia semina terra, quae tibi cum multo faenore reddat ager'.

709. Nonius p. 196, 18 'Chartam (cartham *L*) generis feminini. masculini Lucilius lib. XXVII "*nec sic* ubi graeci ...

perimus".' Sententiam recte distinxit Lachmannus: *periimus* principio uersus est collocatum ut Plaut. Merc. 609 'Quidquid est, ad capita rerum perueni. # Primum omnium Periimus': ubi codd sicuti hoc loco *perimus:* uide ad lib. XXIX u. 843. Sententiam intelleges collato Propert. II 34, 25 'Lynceus ipse meus seros insanit amores: solum te nostros laetor adire deos. Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris proderit aut rerum dicere posse uias?' Ouid. metam. XIII 92 'ubi nunc facundus Vlixes?' *carti* Lucilius, si recte interpretamur codicum scripturas: *cartae* Socraticae maluit scribere Horatius de arte poet. 310 quem locum Muellerus attulit. Similem sententiam protulit Sophocles fragm. 666 Nauckii ed II (Cic. Tusc. III 71): *ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν πλάστιγγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον, τὰ πολλὰ φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα.* Versus initium nondum est emendatum.

711. Nonius p. 88, 17 'Canicas ueteres furfures esse uoluerunt. Lucilius lib. XXVII "quanti uellet quam canicas *a pulte* (*apud te* Guelferbytanus) *et magonis* (*maconis* Leidensis, *mangonis* olim impressi) manu".' Paulus ex Festo p. 46 M 'Canicae furfures de farre a cibo canum uocatae'. De cibo canum Phaedr. IV 19, 4 ubi conqueruntur canes de hominum contumeliis 'furfuribus sibi consparsum quod panem darent': eundem cibum mendicorum appellant Martial. X 5, 5 'interque raucos ultimus rogatores oret caninas panis inprobi buccas' Iuuen. V 10 'cum possit honestius illic et tremere et sordes farris mordere canini?' Loquitur opinor seruus: 'dixi erus potius me uenderet, quanti uellet, quam canicas ac pultem e Magonis saeuissimi uilici manu sumerem tristis'. *Mango* ille qui uenalis ductitat, homo saeuus (Plaut. Rud. 584) locum habere in hac sententia non potest. *quanti uellet*, ut Petron. 43 'uendidit enim uinum quanti (ita Buechelerus: *quantum* cod) ipse uoluit', i. e. summo pretio, apud Lucilium si recte interpretamur est minumo pretio. Cic. epist. ad Brut. I 16, 4 'potuimus . . . beneficiis atque honoribus ut participes frui, quantis uellemus'. Magonis nomen cuius prima producitur syllaba sicuti apud Silium in seruo non magis mirabile quam Hannonis (Wilmannsii Ex. inscr. Lat. 2157): agnouit iam Iunius.

712. Nonius p. 88, 9 'Contenturum. Lucilius lib. XXVII "tu . . . me *ruperint* . . . fecerim".' Idem p. 382, 22 'Rumpere, defetigare. . . . idem lib. XXVII "*contemtum* cum me *ruperint* . . . fecerim".' Scripsit *ruperim* Iunius, quem secuti sunt Lucilii editores, item nuper Vahlenus Sitzungsber. d. Berl. Ak. 1901 p. 345, qui *me* pronomine Lucilium significari arbitratur. At parum credibile est duobus eodem modo locis corruptum esse uocabulum *ruperint*. *Summa omnia fecerim* quid sit Muellerus non intellexit: adfert iam Dousa Cic. ad Att. XV 13, 5 'Dolabella . . . scripsit . . . sese

de attributione omnia summa fecisse'. Adde de or. II 85 'Sin uidebitur, quom omnia summa fecerit, tamen ad mediocres oratores esse uenturus'. Sed Lucilius hac locutione hic utitur similiter atque apud Graecos Xenoph. instit. Cyr. VIII 8, 2 *τοῖς τὰ ἔσχατα πεποιηκόσιν* III 1, 9 et 22 *πάντα τὰ ἔσχατα παθεῖν* Plat. Politic. p. 297 E *θανάτῳ ζημιοῦσθαι καὶ πᾶσι τοῖς ἐσχάτοις*. *contenturum* absolute positum ut Cic. de orat. I 206 'petimus ab Antonio, ut ea, quae continet neque adhuc protulit . . . explicet nobis' Ter. Eun. 103 'quae uera audiui, taceo et contineo optume'. *rumpere*, ut Dig. XIX 2, 30, 2 'qui mulas ad certum pondus oneris locaret, cum maiore onere conductor eas rupisset' XLVII 10, 9, 3 'qui eum *seruum* flagris rumpat' Martial. III 13, 3 'accusas rumpisque cocum, tamquam omnia cruda attulerit'. Increpat seruus Lucilii uilicum qui per lorarios et tortores flagris peruri iussit cessatorem minaturque dominum aegre laturum serui perniciem neque iram suam contenturum.

715. Nonius p. 301, 14 'Excludere, liberare. Lucilius lib. XXVII "primum qua uirtute seruitute excluserit".' Quia particula apud Lucilium non inuenitur: itaque falso *quia* L, *qua* recte G: *sese* addidi. Agitur de homine libertino, qui primum narrat qua uirtute libertatem adeptus sit, deinde alia.

716. Nonius p. 331, 9 'Insigne, utile, necessarium. Lucilius lib. XXVII "cocus . . . sic amici *animum quaerunt* rem parasiti ac *diuitias aut*".' Praecedebat talis fere uersus: 'hunc uide ut magnifice gallus caudam extollit splendidam: cocus non curat caudam insignem esse illam, dum pinguis siet'. Non igitur oportet scribatur cum Ribbeckio Mus. Rhen. XXIX 1874 p. 123 'cauda insignem esse ullam' qui potuit afferre quo commendet scripturam Plin. nat. hist. X 78 'cerni coepere picarum genera quae longa insignes cauda uariae appellantur'. De gallinaceis idem Plin. l. s. 139, 140: 'in sublime caudam quoque falcatam erigens' laudatur hoc genus auium l. s. 47. diuitias trisyllabon in uersus exitu positum ut Plaut. Capt. 170 Terent. Andr. 797 Pompon. 159 R alibi. De sententia conf Horat. serm. II 2, 26.

718. Nonius p. 88, 7 in C littera '*Tibicidas*. Lucilius lib. XXVII "uiginti domi an triginta *uel* centum *tibicidas* alas".' CGl Lat. II p. 101, 24 'cibicida *σκατοφάγος*'. *an* pro *uel* Lachmannus alii posuerunt. De *σκατοφάγος* conf Kockius ad Menand. 825 (CAF III p. 222), schol. Aristoph. Pac. 48. Vocabulum *cibicida* alibi non inuenitur: formatum est ut *paricida muricidus:* unde deductum sit, nemini dubium esse potest, quid significet, alii aliter iudicauere (Loewei prodr. gloss. p. 307). Recte autem eos iudicasse qui parasitos isto uocabulo uocari statuerunt — quod unus fecit Corpetus edit. p. 164 — inde efficitur, quod Lucilius id e Graeco *σιτόκουρος* uidetur uertisse, de quo Athen. VI p. 247 E

Τῷ δὲ παράσιτος ὅμοιά ἐστιν ὀνόματα ἐπίσιτος . . . καὶ οἰκόσιτος, σιτόκουρός τε καὶ αὐτόσιτος κτλ. Vtuntur hac uoce comici in locis huic Luciliano simillimis, uelut Menand. 420 (CAF III p. 122) K *σιτόκουρον ἄθλιον ἄχρηστον εἰς τὴν οἰκίαν εἰλήφαμεν*, id est tamquam curculionem. Idem 244 p. 70 K *ὡς ὀκνηρός, πάντα μέλλων, σιτόκουρος ὁμολογῶν παρατρέφεσθαι.* Alexis 177 (II p. 363) K *ἔσει περιπατῶν σιτόκουρος.* Adloquitur poeta hominem diuitem et nobilem qualis erat Scipio cuius nihil intererat quot parasitos aleret.

719. Nonius p. 370, 28 'Parcere, seruare. Vergilius lib. X (532) "argenti atque auri memoras quae multa talenta, natis parce tuis". Lucilius lib. XXVII "parcat illi *maius cui* possit cui fidem esse *eximent*".' Seruius ad Vergilii u. s. s. Aeneidos X 532 Gnatis parce tuis. 'Parce autem est secundum antiquos serua, ut apud Lucilium et Ennium inuenitur'. Non est quod dubitemus quin Lucilius eadem qua Vergilius posuerit parcere uerbum significatione. Pro *maius* codd deteriores *malus* quod recepit Muellerus, *magis* Gerlachius Corpetus Lachmannus: *cui prosit* Muellerus. *existiment* Dousa, *existimet* Muellerus: 'parcat illis magis qui post sint, cui fidem esse existimem' Lachmannus. Ego quod posui 'parcat illi magis, qui possit, cui fidem esse existimet' ita intellego 'paterfamilias seruet potius rem illi filio aut amico, si liceat non omnia consumere uictu, cui fidem et probitatem esse existimet, non ganeoni aut parasito infido': Liu. I 27, 5 'Albano non plus animi erat quam fidei'. *existimet* uerbum alias non traditur apud Lucilium: quod comoediae est proprium, spernitur a tragicis Ennio Vergilio Lucretio Catullo elegiacis, abstinent etiam Horatius Persius Martialis Iuuenalis.

720. Nonius p. 29, 6 'Pedetemtim (pedetemptim G) et pedepressim dictum est caute, quasi lenta et tarda itione. . . . Lucilius lib. XXVII "ille contra omnia . . . laedat".' Numeri uersus sani sunt, neque sententia imperfecta. *Ille* pro pyrrhichio praecipue in principio poni uersuum hoc uersu allato Lucilii exponit Dziatzko ad Terent. Adelph. (Lips. 1881) u. 72: uide ad lib. XXIX u. 826. Ad *omnia* supplendum est facit: adfert Nonius l. s. Cic. de off. I 120 'sin minus, sensim erit pedetemtimque faciendum'. Conf Cic. pro Mil. 36 'nihil per uim umquam Clodius, omnia per uim Milo' Plin. epist. II 8, 1 'Studes an piscaris an uenaris an simul omnia? Possunt enim omnia simul fieri ad Larium nostrum' Terent. Heaut. 97 'Eius filiam ille amare coepit perdite, prope iam ut pro uxore haberet: haec clam me omnia': conf ad lib. XV u. 489 Stowasserus stud. Vindob. V 1883 p. 255. Sententiam quo magis intellegas, conf Petron. 44 'nunc populus est domi leones, foras uulpes'. Itaque homo ille inter plures foris omnia sensim facit, domi solus cum est omnia inhumane et saeuiter.

Parasitum similiter describit Diodorus comicus CAF II p. 420, 16 *εἰσέρχομαι ἐνθάδε σιωπῇ καὶ ποιήσας εὐσταλῆ ἐμαυτόν, ὥστε μὴ ἐνοχλεῖν τὸν συμπότην.*

722. Nonius p. 37, 18 'Portorium dicitur merces quae portitoribus datur. Lucilius lib. XXVII "facit . . . portorium (*portitorium* Leidensis) dent".' *Quŏd ĭlli* ut Terent. Heaut. 21 alias. Comparatio trita esse uidetur in comoedia Attica (Eupol. 48 K), describuntur homines qui *παρατελωνοῦνται* (Diog. Laert. IV 46) quales uidere potuit poeta uel Puteolis uel in Sicilia: Cic. in Verr. II 70, 171 'Canuleius uero, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat ea quae sine portorio Syracusis erant exportata: portum autem et scripturam eadem societas habebat' (Liu. XXXII 7, 3). Merces quae aut inuehebantur aut euehebantur profiteri debebant mercatores omnes apud portitores: quae a portitoribus scribebantur in tabulis publicis, quas appellabant *ἀπογραφήν*: [Demosth.] in Phorm. 34 *ἐπειδὴ δὲ τοῦτο ἐκ πολλῶν ἔμελλεν ἐλεγχθήσεσθαι ψευδόμενος, ἔκ τε τῆς ἀπογραφῆς τῆς ἐν Βοσπόρῳ παρὰ τοῖς ἐλλιμενισταῖς καὶ ὑπὸ τῶν ἐν τῷ ἐμπορίῳ ἐπιδημούντων κτλ.* De portorio, quod Graece *ἐλλιμένιον* dicitur, disserit Pollux IX 30. 31: *καὶ τὸ τελούμενον παρ' αὐτῶν τελῶν ἀπογραφή, τὸ δὲ μὴ ἀπογραφὲν ἀναπόγραφον.* Quod uocabulum Lucilius Latine uertit *inscriptum* quod significat mercem quam mercator dolo malo noluit profiteri, i. e. indicare portitoribus. Eodem in alia re utitur uocabulo Varro rer. rust. II 1, 16 'itaque greges ouium longe abiguntur ex Apulia in Samnium aestiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne, si inscriptum pecus pauerint, lege censoria conmittant'. (Digest. L 16, 203 Wilmannsii Ex. inscr. Lat. 2738.)

724. Nonius p. 270, 2 'Concedere, credere uel consentire. . . . Lucilius lib. XXVII "*in* concedere . . . manus".' *id* recte Corpetus alii. Obscenitatem quandam inesse in hoc u. suspicatur Corpetus edit. p. 169: *quod spectatur* maluit scribere pro *quo superatur* Muellerus in Nonii edit. At tutatur lectionem istam Caes. bell. Gall. V 31, 3 'Res disputatione ad mediam noctem perducitur. Tandem dat Cotta permotus manus: superat sententia Sabini'. Vir bonus uolet id solum concedere in disputatione, quo in disputatione bonis argumentis superatur et uincitur, parasitus solet omnia adsentari: Cic. Lael. cap. 25. 26, 99 'Nec enim facillime adgnoscitur, quippe qui etiam aduersando saepe adsentetur et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus uincique se patiatur' e. q. s.

725. Nonius p. 37, 15 'Monogrammi . . . (cetera adscripsi lib. II u. 59) et uicesimo (uiginti L^1) VII "quae . . . uocant".' Quae pietas? interrogatio uidetur esse talis quales collectae sunt a Vahleno ind. schol. Berolin. aestiu. 1902 p. 5 seqq. ueluti Cic.

Tusc. I 105 'Quem Hectorem? aut quam diu ille erit Hector?' Pietas hominis alicuius antea laudabatur. Rogat poeta 'quae pietas?' Respondet: 'famelici quinque sunt adducti ad cenam (uide lib. I u. 49), hoc pietatem uocant'. Philosophis et rhetoribus Lucianus de paras. 40 detrahit uestimenta: *τοὺς μὲν . . . ὑπὸ ἐνδείας ἴδοις ἂν λεπτοὺς καὶ ὠχρούς, πεφρικότας, ὥσπερ ἤδη τραυματίας παρειμένους.* Positum est *uocant* sine obiecto quod ut Afran. 156 R ex praecedenti sententia suppletur: conf lib. IX u. 378 'nomen *enim* illi est'. Subiectum uidetur esse parasiti et adulatores: Plut. de adul. et am. cap. 12 p. 56 E 'funestus est adulatorum *ἔπαινος . . . τὴν Πτολεμαίου θηλύτητα καὶ θεοληψίαν καὶ ὀλολυγμοὺς καὶ τυμπάνων ἐγχαράξεις εὐσέβειαν ὀνομάζων*'.

726. Nonius p. 358, 32 'Offendere, laedere. . . . Lucilius lib. XXVII "nam hic quidem reditum talem portendebant neque alia in mare ulla offendere".' Legitimum recta cum caesura septenarium habes inde a uerbo *talem:* itaque excidit ante eum uocabulum iambicum, quo altera pars uersus antecedentis, quae post caesuram eius restat, suppleatur. Videtur agi de reditu Vlixis et de Tiresiae et Circes uaticinio (Hom. λ 100—137 μ 140). Pro *hic* posui *hi:* nominatiuus pluralis *hic* admodum incertis nititur testimoniis (conf Neuei de formis ling. Lat. II ed 3 p. 416) neque Plaut. Pseud. 822 'hoc hic quidem homines tam breuem uitam colunt' aptus est quo nitatur huius formae fides. Subiectum accusatiui cum infinitiuo est *alia ulla,* praedicatum *offendere,* quod *laedere* esse recte explicat Nonius. Ablatiuum *mare* habet Lucretius I 161 'e mare primum homines, e terra posset oriri squamigerum genus' Plaut. Cistell. 14 'tranquillo mare', Fronto p. 51 med. N et quos adfert scriptores Georgesius in lexico formarum s. u. — *offendere* in septenarii exitu positum TRF inc. inc. 140 R p. 295 ed tert. — *reditum talem:* Hom. μ 140. 141 *αὐτὸς δ' εἴ πέρ κεν ἀλύξῃς, ὀψὲ κακῶς νεῖαι, ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους* qui soli te pessum dederint, 'remigium uitiosum Ithacensis Vlixi, cui potior patria fuit interdicta uoluptas' Hor. epist. I 6, 63.

728. Nonius p. 366, 30 'Petere, sequi. . . . Lucilius lib. XXVII "rerum (*recum* Leidensis m. 1) *expliratorum* (ita Guelferbytanus, sed *i* in rasura, post *ex* rasura: *explicatorem* Leidensis, *expilatorem* Geneuensis) . . . petam".' Sententia obscura est: loqui uidetur Penelope, quae Eumaeum mittit (Hom. ϱ 508 seqq.) ut sciscitetur de mendico qui erat Vlixes.

729. Nonius p. 237, 28 'Aditus, interpellatio. . . . Lucilius lib. XXVII "cum . . . meam".' Maluit Lachmannus 'pacem cum peto', alii forsitan malint 'cum peto pacem'. Sed *pacem peto* sollemnis est locutio: conf Ennius TRF incert. incertor. 10 (p. 273 ed III Ribb.) 'tum coniecturam postulat pacem petens ut se edo-

ceret obsecrans Apollinem quo sese uertant tantae sortes somnium'. De simili discrepantia accentus metri et uerborum consulto a poetis quaesita nusquam certius licet iudicare quam in septenarii principio: milites enim cantabant 'Gallias Caesar subegit Nicomedes Caesarem', cum liceret commodius cantare 'Caesar Gallias subegit', item Porcius Licinus scripsit 'Poenico bello secundo' e. q. s. cum promptum fuerit scribere 'bello Poenico secundo'. — Placat poeta amicam iratam ut deam. Cum appello *meam:* ut Ouid. met. XIV 761 'quorum memor, o mea, lentos pone, precor, fastus et amanti iungere, nymphe'. Terent. Eun. 664 'mea tu' (Adelph. 289).

730. Nonius p. 238, 21 'Appellare est familiariter respondere. Lucilius lib. XXVII "cum mei . . . meam".' Nugatur Nonius: nam dominus, domina uerba sunt amatoria et publica: Ouid. amor. III 7, 11 'et mihi blanditias dixit dominumque uocauit Et quae praeterea publica uerba iuuant' metam. IX 467 'iam dominum appellat, iam nomina sanguinis odit, Byblida iam mauult quam se uocet ille sororem' Achill. Tat. II 4, 4 *θίγε χειρός, θλίψον δάκτυλον, θλίβων στέναξον. ἢν δὲ ταῦτά σου ποιοῦντος καρτερῇ καὶ προσίηται, σὸν ἔργον ἤδη δέσποινάν τε καλεῖν καὶ φιλῆσαι τράχηλον* 6, 1. 2. Vxores quoque *domina* uocabulo tempore imperatorum salutatas esse constat: conf Seneca de matrimonio Stud. Lips. XIX 1899 p. 61, 24 Friedlaenderi histor. morum p. R. I ed 6 p. 443. 448. 474 Wilmannsii Exempl. inscript. Lat. 534. Signum interrogationis in exitu uersus posuere editores quos nolui sequi. Coram seruolis dominus Lucilius amicae indulgere ut dominae non uult: similiter Aristoteles edixerat teste Clem. Alexandr. paedag. III 12, 1 *ἐγὼ δὲ καὶ τοῖς γεγαμηκόσι παραινέσαιμι ἂν οἴκοι τὰς γυναῖκας μήποτε κατὰ πρόσωπον οἰκετῶν φιλεῖν. οὐδὲ γὰρ προσγελᾶν δούλοις Ἀριστοτέλης εἴα ποτέ, πολλοῦ γε καὶ δεῖ κατ' ὄψιν αὐτῶν φιλοφρονούμενον φαίνεσθαι τὴν γυναῖκα.*

731. Nonius p. 407, 30 'Tempestas, tempus. . . . Lucilius lib. XXVII "iam qua tempestate uiuo, *certe sine:* ad me recipio".' Verba *certe sine* negans posse ferri mutauit Lachmannus Kleinere Schriften II p. 76 qui substituit *chresin* et coniunxit hunc u. ut posteriorem cum u. 701. Sed uersus exitum *ad me recipio* mutuatus est poeta e Ter. Heaut. 1056 'Vxorem ut ducas. # Pater . . . # Nil audio. # Ad me recipio, Faciet'. Quae locutio hic absolute posita est, eadem cum accusatiuo pronominis coniuncta legitur Plaut. Mil. 229 'tu unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia est, nos inimicos profligare posse. # dico et recipio ad me'. Neque numeri uersus corrupti feruntur: nam *sine ad* pyrrhichius non magis offensioni est, quam *quidem ad* Plaut. Rud. 322 (CFW Muelleri de Plauti prosod. p. 283. 284). Itaque homo prodigus loqui uidetur hoc modo: 'iam, quo tempore etiamnunc uiuo,

tu certe me sinas illud facere: ego confido me consilii mei rationem posse reddere'.

732. Nonius p. 37, 8 'Maltas ueteres molles appellari uoluerunt, a Graeco, quasi malacus. Lucilius lib. XXVII "insanum *uocant . . . uidet*".' Porphyrio ad Hor. serm. I 2, 25 '"Malthinus tunicis demissis": sub Malthini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari. Ab re tamen nomen finxit. Maltha enim malacos dicitur'. Pollux X 58 *ὁ δ' ἐνὼν τῇ πινακίδι κηρὸς ἢ μάλθη ἢ μάλθα* Schol. Theocr. VII 105 *μαλθακὸς ὁ τρυφερός, ἐκ τῆς μάλθης. αὕτη δέ ἐστι κηρὸς ἀμόργῃ συνηψημένος· χρίουσι δὲ αὐτῇ τὰς τῶν σανίδων γομφώσεις· ἀφ' οὗ διὰ τὴν ἔκλυσιν καὶ τὸ τρυφερὸν καὶ τὸ ἐν τῷ βίῳ λοιδόρημα λέγεται.* Turpiter homo dicitur mollis tamquam cera: at in molli et delicata femina cerea figura laudatur ueluti a Philodemo AP IX 570 (p. XIV ed Kaibel.) *Ξανθὼ κηρόπλαστε, μυρόχροε, μουσοπρόσωπε, εὔλαλε, διπτερύγων καλὸν ἄγαλμα Πόθων*: similiter Varro Menippeus sat. Menipp. 432 B 'Chrysosandalos locat sibi amiculam de lacte et cera Tarentina quam apes Milesiae coegerint ex omnibus floribus libantes, sine osse et neruis, sine pelle, sine pilis, puram putam proceram candidam teneram formosam' ubi apium nomine Milesiarum aperte Sisennae Milesiarum stilum indicat scriptor. De sententia conf Hor. serm. II 3, 77 'quisquis ambitione mala aut argenti pallet amore, quisquis luxuria tristiue superstitione aut alio mentis morbo calet: huc propius me, dum doceo insanire omnis uos, ordine adite' (Friedlaenderus ad Iuuen. II 17). Itaque Stoicorum doctrinam tangit poeta: uide ad incert. u. 1178.

733. Nonius p. 74, 20 'Ardum pro aridum. Lucilius lib. XXVII (*XXVI* Guelferb.) "ardum . . . *signum sabucum uocat*".' Sabucum a producta pronuntiatum esse Lucilii aetate egregie hic uersus testatur: contra 'poma săbuci' Ser. Sammon. 47, idem 97 'parua sabucus' 333. 498: sabucus, non sambucus ponunt in Plinii nat. hist. editores. *lignum* egregie Iunius: uocabulum uulgare est, similiter Graeci *ξύλον*: Callim. hymn. in Cer. 40 *αἴσθετο Δαμάτηρ ὅτι οἱ ξύλον ἱερὸν ἄλγει* AP IX 414 *ἡ παλίουρος ἐγώ, τρηχὺ ξύλον* Septuag. Genes. II 9 *καὶ ἐξανέτειλεν ὁ θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς πᾶν ξύλον ὡραῖον . . . καὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τῷ παραδείσῳ* ubi Latine uertitur *omne lignum* et *lignum uitae*. Alio modo Seneca epist. 101, 14 de cruce 'adactus ad illud infelix lignum', Cic. pro Mil. 33 'Clodi . . . cadauer . . . infelicissimis lignis semustilatum'. Pro *miserrimum* codd optimorum multis placuit *miserinum* quod ap. Nonium l. s. praebent codd Florentinus et Harleianus ueluti Stowassero stud. Vindob. V 1883 p. 253 Buechelero Carm. Latin. Epigr. II p. 840, 1826, 2: ego adulescentulum me memini coram magistro defendere traditam in LG lectionem sicuti feci stud. Lucil. p. 35: neque enim ullam fidem arbitror esse nunc in

lectionibus Harleiani et Florentini neque olim arbitratus sum. Potuit scribere Lucilius 'aridum miserum atque infelix lignum: sabucum uocat'. Mĭsĕrrimum scripsit, sicuti Plautus sĭmĭllumae Asin. 241 uĭcĭssatim Stich. 532 săgĭttis Aulul. 395 Phĭlĭppeo Bacchid. 220 alia, sŭpĕllectile Ter. Phorm. 666. Color uersus tamen est tragicus: similem uersum per iocum finxit Pomponius comicus Armorum iudicio 9 R 'tum prae se portant ascendibilem semitam: [quam] scalam uocant'. De mensura *miserrimum* uerbi egit Skutschius Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 305. Scripserat poeta: 'more Stoicorum amicus eum insanum uocat quem feminam uulgo dici uidet sicuti tragicus poeta pro sabuci nomine illud posuit "ardum miserrimum atque infelix lignum".' Interpretatus est Franckenius hunc locum *coniect. crit. ad Lucil. libr. decadem II et III* p. 6 ex Plin. nat. hist. XXIX 57 'supplicia annua canes pendunt, inter aedem Iuuentatis et Summani uiui in furca sabucea armo fixi' ita, ut conquerantur de supplicio canes et quo nomine tortores homines suo sermone, non canino materiam furcae appellent, commemorent. Sed certe haec uerba non dicunt canes, sed homines: neque enim ideo sabucus lignum infelix est, quod canes in ea suspenduntur; sed quia arbor illa infelix habetur, propterea in ea canes solent supplicio affici. Conf Plin. l. s. XVI 108 de arboribus 'Infelices autem existimantur damnataeque religione quae neque seruntur unquam neque fructum ferunt' (XXIV 68. 73). Ex Tarquitii Prisci ostentario arborario Macrob. Saturn. III 20, 3 'arbores quae inferum deorum auertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant: alaternum, sanguineam (conf Plin. l. s. XVI 108 XXIV 73), filicem, ficum atrum, *quaeque bacam nigram nigrosque fructus ferunt*' e. q. s. Et antea (2): 'Sciendum quod ficus alba ex felicibus sit arboribus contra *nigra ex infelicibus*. Docent nos utrumque pontifices' e. q. s. Atqui 'sabuci acinos habent *nigros*' (Plin. l. s. XVI 180). Quae platanus umbrosa in fabula Aesopica (313 Halm.) ingratis dicit uiatoribus *ὦ ἀχάριστοι ἔτι τῆς ἐξ ἐμοῦ εὐεργεσίας ἀπολαύοντες ἀχρείαν με καὶ ἄκαρπον ἀποκαλεῖτε*; ea casu tantummodo huius loci uidentur esse similia. [Modo indicat Buechelerus CIL VI 6623 perit sub sabuc⟨o⟩.]

734. Nonius p. 296, 24 'Expedire, *utile esse*. . . . Lucilius lib. XXVII "ego enim an *per eiciam ut me amare expediam*".' Versus initium sanum esse pollicetur idem initium lib. XXVI u. 654: *me amore expediam* Gerlachius alii. Qua scriptura probata exemplum loco alieno positum esse a Nonio multi statuerunt, ueluti Lachmannus et Muellerus qui in Nonii editione sub lemma *expedire, liberare*, quod subsequitur, Lucilii uersum transposuit. At melius erit credere semel tantummodo esse erratum et mutare illud *expediam* cum edit. pr. in *expediat* quod similiter usurpetur

lib. XXVI u. 659. *perficiam* Maduigius. Cic. Phil. II 3, 7 ‘itaque hodie perficiam, ut intellegat, quantum a me beneficium tum acceperit’. Loquitur adulescens amore perditus qui summa opum contentione enititur ut meretrix donis commodisque capiatur oblatis.

735. Nonius p. 253, 23 ‘Capere, decipere, circumuenire. . . . Lucilius lib. XXVII “at . . . altera”.’ *Altera* si recte traditum est, ex praecedenti sermone olim potuit intellegi: supplendum esse dicas ueluti *die*. Corruptum esse uersus exitum censet Dziatzko Mus. Rhen. XXXIII 1878 p. 94 qui scribit *capiar alterae*. Monet denique Baehrensius apud Propertium saepenumero *forma* positum esse pro muliere formosa: at si ita statuis *aspectu* tolerari nequit. Adulescens remedia quaerit amoris: seruus eum alloquitur, simili modo atque Parmeno Phaedriam in prima scaena Eunuchi Terentii ubi adulescens u. 83 ‘totus, Parmeno, tremo horreoque postquam *aspexi* hanc’.

736. Nonius p. 271, 29 ‘Cedere, excidere. . . . Lucilius lib. XXVII (XXVI *G*) “lignum cedat pensum faciat edis uerrat (uarrat *G*) uapulet”.’ Idem p. 420, 8 ‘Verrere, mundare. . . . Lucilius lib. XXVII (*XXVIII G*) “lignum caedat aedis uerrat (uarrat *G*) *ac* uapulet”.’ Codicis L praestantia hoc loco egregie cernitur, qui utroque Nonii loco in numero libri sibi constet, cum fluctuet G: qui quod utroque loco habet *uarrat*, unde Muellerus *uorrat* maluit scribere, mirum sane est. Plauti uersum Mercat. 397 hic posuerat poeta: neque est quod utroque loco Nonium errasse credas, cum et Plauti et Terentii et Caecilii uersus passim tangat Lucilius. Agitur de ancilla, quae sicuti apud Plautum exponitur l. s. s. pluribus, non sit formosa, sed cuius officium sit *πτῆξαι ταπεινὴν προσπεσεῖν τ' ἐμὸν γόνυ σαίρειν τε δῶμα* Eurip. Androm. 166: idem Hecub. 362 *προσθεὶς δ' ἀνάγκην σιτοποιὸν ἐν δόμοις σαίρειν τε δῶμα κερκίσιν τ' ἐφεστάναι λυπρὰν ἄγουσαν ἡμέραν μ' ἀναγκάσει.* Ipse Plaut. Merc. postea u. 416 ‘ea molet, coquet, conficiet pensum, pinsetur flagro’.

737. Nonius p. 420, 5 ‘Verrere, ferire, peruertere. . . . Lucilius lib. XXVII “quam . . . deuerrere”.’ *Quam* est pronomen relatiuum: agitur de meretrice uoraci et rapaci: ‘quam non solum deuorare se omnia ac deuerrere impune posse arbitrari uides quae tu habes, sed etiam aliorum rem familiarem una perdere amatorum.

738. Nonius p. 275, 12 ‘Conmodare est mutuari. Lucilius lib. XXVII “certa . . . conmodent”.’ Panaetii audis doctrinam: conf Cic. de offic. I 51 ‘Omnium autem communia hominum uidentur ea, quae sunt generis eius, quod ab Ennio positum in una re transferri in permultas potest: “Homo qui erranti comiter monstrat uiam, quasi lumen de suo lumine accendat, facit: nihilo

minus ipsi lucet, cum illi accenderit”. Vna ex re satis praecipit, ut, *quicquid sine detrimento commodari* possit, id tribuatur uel ignoto: ex quo sunt illa communia, non prohibere aqua profluente, pati ab igne ignem capere, si qui uelit, consilium fidele deliberanti dare, quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta’: qua in re iam Plautus uerbum *commodare* adhibuit Rud. 434 ‘cur tu aquam grauare, amabo, quam hostis hosti commodat?’ conf Diphil. 62 (CAF II p. 561) K Plut. de inuid. et od. cap. 6 p. 538 A. Studia Lucilii Panaetii philosophi studiis affinia deprehendimus lib. XXVIII u. 742 seqq.

739. Nonius p. 472, 15 ‘Inpertit Lucilius lib. XXVII “*sospitat inpertit salutem* plurima et plenissima”.’ Versum emendare Lachmannus uoluit ita, ut imperatiuum bis restitueret ‘sospita, inperti salute’ e. q. s. At nihil probabilius quam *inpertit* recte traditum esse et propter u. 689 et propter Nonii lemma. Itaque restat ut uerba transponamus ‘sospitat, salute impertit’ e. q. s. qui ordo uerborum etiam in uu. 688. 689 extat.

740. Nonius p. 368, 16 ‘Pernix significat celer. . . . Lucilius lib. XXVII “fuimus . . . fore”.’ *nobis* edit. princ.: at sententia non est perfecta. Agitur de beneficii gratia cuiusdam: conf Plaut. Capt. 780 ‘*speroque* me ob hunc nuntium *aeternum* adepturum cibum’ Mostell. 195 ‘stulta es plane, quae illum tibi *aeternum putes fore* amicum et beneuolentem’ Terent. Eun. 872 ‘at nunc dehinc *spero aeternam* inter nos gratiam *fore*, Thais’ Publil. sent. 235 ‘inopi beneficium bis dat qui dat celeriter’: conf Vahlenus ad Ennii sat. I 2. Suppleas ueluti ‘beneficium gratumque’.

741. Nonius p. 284, 30 ‘Differre, distare. . . . Lucilius lib. XXVII “tamen *aliti* uerruca aut cicatrix *medius* papule differunt”.’ Restituit Mercerus recte *aut* priore loco: quod pro *medius* posuit *naeuus*, id non placuit Lachmanno, qui adnotat apud Celsum (V 28, 18 p. 220, 23 Daremb.) legi ‘Papularum uero duo genera sunt. Alterum, in quo per minimas pusulas cutis exasperatur, et rubet, leuiterque roditur: medium habet pauxillo leuius, tarde serpit’ e. q. s. Neque tamen huic uersui quicquam boni adfertur hac Celsi doctrina. Ego *melius* scripsi et ita interpretor ‘ulcus illud appellabitur tamen aut uerruca aut cicatrix melius: nam papulae aliter sunt comparatae’. Hominem ueluti Campano morbo insignem adulator dixit papulis eiusmodi neminem offendi: papulae in prouerbio sunt ap. Senec. de uita beat. 27 ‘papulas obseruatis alienas, obsiti plurimis ulceribus?’

XXVIII.

Noua metra saturae conatus est poeta iniungere, senarium iambicum et hexametrum dactylicum. Tribus saturis librum constitisse exposuimus prolegg. p. CXI. Saturam septenariis compositam antecessisse senarios probatur ordine uu. 747. 762. Heroos ultimo loco posui mera coniectura usus. Tamen idem erat ordo in libro XXIX, in quo metra hoc ordine erant disposita: septenarii senarii hexametri, septenarii senarii quos iterum excipiant hexametri libri XXX. Atque primae saturae (742—750) argumentum quale fuerit, non uideo. In sequenti satura (751—793) primo (751—756) conuiuium describitur factum Athenis, in quo de philosophia erant sermones et de philosophis Atticis, de Academiae doctoribus et de Epicuro. Satura epistulae missae ad amicum fuisse uidetur similis (757—763). Tum in eis quae proxima sunt (773—793) agitur de domus expugnatione cuiusdam, de iudicio de ui quod immineat ni fallimur poetae ipsi eiusque asseclis, de Lupi quaesitoris saeuitia. Qui restant senarii (764—772), dubium est quo pertineant. Satura tertia herois uersibus quae erat composita (794—801) Accius carpebatur.

1.

812. Nonius p. 298, 4 'Efferre, extollere. . . . Lucilius lib. XXVIIII "omnia . . . loquar".' De *ccfero* uide ind. gramm. s. u. orthographia; *ecferor* bene est traditum lib. IV u. 158, pro *cc* solent librarii *haec* ponere sicuti hoc loco et lib. XXVI u. 652, item in Accii uerbis factum est et Ennii, quae Cicero adfert pro Sest. 102 de fato 35; denique Plaut. Aul. 664 similiter peccant librarii. — omnia alia, i. e. reliqua omnia, uide ad lib. XI u. 424 XXIX u. 913. — *in quibus rebus* adnectitur ut ad Her. II 30, 49 med. 'earum rerum aliquid' Terent. Heaut. 364 'quod rerum omnium est primum'; Eunuch. 248 'qui esse primos se omnium rerum uolunt'; Lucret. I 56 'unde omnis natura creet res, auctet, alatque quoue *eadem* rursum natura perempta resoluat' IV 321 'aera continuo rerum simulacra secuntur *quae sita sunt* in luce': uide interpp. ad Hor. serm. I 9, 4 Ouid. metam. VIII 49. — *ne ego multis loquar: ne* quamquam sequitur pronomen non est particula affirmatiua sed negatiua, *multis* i. e. *multis uerbis* ut Cic. in Verr. IV 46, 104 'ne multis morer' Terent. Andr. 114 'quid multis moror?': 'ne multa' Cicero pro Cluent. 47. 180. Praeter

uirtutem et sapientiam omnia alia quae iactamus, ne multis dicam, inepta sunt, fluxa, fragilia: conf lib. XVII u. 550.

813. Nonius p. 311, 24 'Fouere est nutrire, prouehere. . . Lucilius lib. XXVIIII "uentrem alienumesttum (est *om L m. 1*) . . . *cataplasmo*".' Idem p. 350, 32 'Maestum, enectum fame. Lucilius lib. XXVIIII "uentrem . . . cataplasma".' Dactylicos numeros agnoscit Muellerus alii, trochaicos rectius Lachmannus: nam *uti* non potest esse particula sed est uerbum ut Cels. IV 9 init. 'cataplasmatis calidis, fomentisque umidis utuntur' VII 26, 5 p. 312, 37 Daremb. 'quidam cataplasmatis calefacientibus utuntur'. *Fouere* igitur cum sit perfectum, *uti* infinitiuus erit historicus. Agitur de seruis: illi uentrem *alienum* fouere, i. e. inimicum, iratum: Hor. serm. II 2, 18 'panis latrantem stomachum bene leniet'; 8, 5 'quae prima iratum uentrem placauerit esca'. — *maestum,* ut Verg. georg. I 159 'concussaque famem in siluis *solabere* quercu' Horat. carm. II 5, 6 'nunc fluuiis grauem solantis aestum' (serm. II 6, 117). Facete addit seruus in uentre laborante usos esse eos cataplasma ex molito hordeo: quod genus cataplasmatis describit Scribon. Larg. 160 'farinae hordeaceae . . . bini sextarii' (Cato de agr. cult. 157, 5) Plin. nat. hist. XVIII 74 'panem ex hordeo antiquis usitatum uita damnauit, quadripedumque fere cibus est'. — cataplasma ablatiuus ut scema u. 804. Comparat Mercerus Plaut. Pers. 104 'At edes: nam iam intus uentris fumant focula', unde *fomentum* eodem modo interpretati sumus lib. VIII u. 311.

815. Nonius p. 300, 10 'Exui, liberari. Lucilius lib. XXVIIII "unde . . . se".' *Vnde* correptae particulae cum apud Terentium nullum inueniatur exemplum (Skutschius Plautina et Romanica p. 72), rectius erit statuere corripi *domum*. — *uix,* de itineris molestia positum ut TRF inc. inc. 73 R 'adsum atque aduenio Acherunte uix uia alta atque ardua'. Non est quod credamus apud Nonium ablatiuum esse omissum qui pertineat ad *hoc:* quod potius pro *huc* accipiendum, cum *exuat* pertineat ad *unde.* Cic. in Verr. V 151 'Si . . . ex his te laqueis exueris'.

816. Nonius p. 313, 12 'Filum, oris liniamentum. Lucilius lib. XXVIIII "*surge mulier ducite* filum non malum".' 'uirgon an mulier, dubito' eleganter Lachmannus. 'surge mulier, duc te' cum deterioribus codd collato Plaut. Aul. 708 'me deorsum duco de arbore' Terent. Hec. 522 'se duxit foras' Plaut. Bacch. 593 'duc te ab aedibus' Muellerus, parum apte: nam sine loci notione et occultandi cum significatu absolute *duc te* non potest dici. Videtur tamen esse septenarius in medio mancus: *ducite* absolute positum Plaut. Capt. 721 'ducite ubi ponderosas crassas capiat compedes' Mil. 1394 'ducite istum'. Excidit ueluti 'istam: aspicio': comparat Muellerus Plaut. Mercat. 755 'satis scitum filum mulieris: uerum hercle anet'.

817. Nonius p. 360, 28 'Obducere, aperire. (?) Lucilius lib. XXVIIII "uos interea lumen auferte (ita *L m. 2:* autferte *m. 1*, afferte *G*) . . . aulea obducite".' Recte *auferte:* Plin. epist. VII 21, 2 'cubicula obductis uelis opaca nec tamen obscura facio. cryptoporticus quoque adopertis inferioribus fenestris tantum umbrae quantum luminis habet' II 17, 21 'quae (zotheca) specularibus et uelis obductis reductisue modo adicitur cubiculo, modo aufertur'.

818. Nonius p. 196, 12 'Consortium neutri generis. consortione⟨*m*⟩ feminini Lucilius lib. XXVIIII (sic Guelferbytanus altero X compuncto: ceteri *XVIIII*) "deierat enim scripsisse (ita *Guelferb.:* scribsisse *L m. 2*, scribse *L m. 1*) et post non scribturum (ita *G:* scrbturum *L*) redi in consortionem".' *se* recte addit Lachmannus alii, *scribse* formam seruauit Muellerus qui *deierat* creticum producta ultima arbitratur esse perfectum: neque hoc probabile neque magis Plauti more praesentis formam *a* producta posuisse poetam. Hortatur nescioquis quendam hominem quem saturis suis laeserat Lucilius ut cum eo in amicitiam redeat: conf Pallad. AP XI 340 *ὤμοσα μυριάκις ἐπιγράμματα μηκέτι ποιεῖν, πολλῶν γὰρ μωρῶν ἔχθραν ἐπεσπασάμην κτλ.*

2.

820. Nonius p. 418, 7 'Vrgere est premere, cogere. . . . Lucilius lib. XXVIIII "urget . . . tua".' Cels. I 2 'At imbecillis — quo in numero magna pars urbanorum omnesque paene cupidi litterarum sunt — obseruatio maior necessaria est . . . cauere meridianum solem, matutinum et uespertinum frigus, itemque auras fluminum atque stagnorum, minimeque nubilo caelo, soli aperienti se committere, ne modo frigus, modo calor moueat: quae res maxime grauedines destillationesque concitat'. *grauido* codd, conf prolegg. p. CXIV: similiter traditur Catull. 44, 13, locos e Plinii nat. hist. collegit Mayhoffius ad XXVIII 57, alios Georgesius in formarum lexico quibus addas Front. p. 80, 25 N.

821. Nonius p. 74, 10 'Aduocasse pro uocasse. Lucilius lib. XXVIIII "amicos . . . aduocasse".' Terent. Phorm. 312 'inde ibo ad forum atque aliquos mihi amicos aduocabo ad hanc rem qui adsient' GL VI p. 616, 5 K (TRF[3] p. 315 R) 'amicos ad hanc rem si uoles aduoca'. Saturis suis 'inprobi' epitheton sibi conciliauerat poeta contra quod pugnat postea lib. XXX u. 1026 'omnes formonsi, fortes tibi, ego inprobus'.

823. Nonius p. 97, 4 'Deletio. Lucilius lib. XXVIIII "deletionem . . . exercitus".' Agitur hoc et sequentibus uu. quinque de bello Hannibalico. Cladem Cannensem tangit: conf Liu. XXII 54, 7 'Romam ne has quidem reliquias superesse ciuium sociorumque sed occidione occisum cum duobus consulibus exercitum deletasque omnes copias allatum fuerat'.

824. Nonius p. 317, 27 'Habere, tenere, occupare. . . . Lucilius lib. XXVIIII "hoc . . . apuliam".' *hoc,* Samnium, *ille,* Hannibal: conf Liu. XXII 54, 9 'cum duobus consulibus duo consulares exercitus amissi nuntiabantur, nec ulla iam castra Romana, nec ducem nec militem esse; Hannibalis Apuliam, Samnium ac iam prope totam Italiam factam'; 61, 11 'defecere autem ad Poenos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, *Apulorum pars,* Samnites praeter Pentros' e. q. s. (XXIV 20, 3 seqq.).

825. Nonius p. 289, 1 'Deicere, praecipitare. . . . Lucilius lib. XXVIIII "*detrursus* (*detrusus* olim impressi) . . . *deiectaque* italia".' *deiectusque* Iunius. Hannibalem Poenorum legati ex Italia semouerunt: itaque non ad hostem sed ad populum R. pertinet uersus cuius angustiae et sollicitudines describuntur: Liu. XXII 54, 10 'Hannibalis . . . iam prope totam Italiam factam'. In corruptis litteris *det rursus* orthographiam uetustiorem *detrussus* agnoscas: Cic. pro Caecin. 16, 47 'deiectus detrussusque (*ita cod Tegernseensis*) sum' ubi de ui agitur. In uerborum collocatione facile intellegitur *ui deiectus* tamquam unum esse uocabulum ut ad Her. II 28, 45 extr. 'non exules, sed ui eiectos'; cum tmesi IV 29, 40 extr. 'ut me ui de meo fundo deieceris' Vlpian. Dig. XLIII 16, 1 'Praetor ait: "unde tu illum ui deiecisti, . . . post annum de eo quod ad eum qui ui deiecit peruenerit, iudicium dabo". Hoc interdictum proponitur ei qui ui deiectus est: etenim fuit aequissimum ui deiecto subuenire' e. q. s. Verborum collocatio similis lib. XXVIII u. 769 'piscium magnam atque altilium uim'. incert. u. 1228 'festo atque profesto totus item pariterque die populusque patresque iactare . . . se' e. q. s.

826. Nonius p. 240, 8 'Accipere, decipere. Lucilius lib. XXVIIII "sic . . . acceptum".' De accipere uide ad lib. XXVI u. 667. Agitur de clade quam Hannibali intulit Scipio pugna ad Zamam commissa utiturque sermone castrensi Lucilius sicuti Lentulus in Cic. epist. XII 14, 4 'et in oppugnando male acceptus' Nep. Eum. 8, 1 'conflixit non acie instructa sed in itinere, eumque male acceptum in Mediam hiematum coegit redire'. Item illud *uetulum lupum* sumptum esse ex sermone castrensi indicat Horatius epist. II 2, 28 qui de Luculli milite 'post hoc uemens lupus et sibi et hosti iratus pariter'. *illum* pro iambo positum esse indicatur eo, quod pes quintus et sextus uno atque eodem uocabulo non constant: uide ad lib. XXVII u. 720. Suppleas fere hoc modo: 'funditus pessum dedit'.

828. Nonius p. 339, 14 'Longe etiam ualde. . . . Lucilius lib. XXVIIII "*cui ubi deriminutia meae epitegma apepelli* longe opera ante alia omnia".' Recte Iunius *epiteugma:* cui contrarium

adiungitur *ἀπότευγμα* ap. Cic. ad Att. XIII 27, 1 Diodor. XV 6, 7: ‘uiderim in uita mea’ agnouerunt Duentzerus Quicheratius. Nil uero profuit quod Gerlachius *Apelli* pictoris nomen agnoscere sibi uisus est. In sententia ipsa desideratur utique aut superlatiuus aut superlatiui similis elocutio: Terent. Phorm. 367 ‘at quem uirum! quem ego uiderim in uita optimum’ Lygd. IV 93 ‘et longe ante alias omnes mitissima mater’ Catull. 68, 159 ‘et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est’ Fronto p. 101, 1 N ‘uidi pullulos tuos quod quidem libentissime in uita mea uiderim’ Liu. I 15, 8 ‘longe ante alios acceptissimus militum animis’ 9, 12 ‘unam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem’. — *alia omnia* in uersus exitu positum sicuti *alii omnes* lib. XI u. 424. Videtur antecessisse adiectiuum ueluti *praeclarum: epiteugma* ad pugnam referendum esse arbitror ad Zamam commissam sicuti legitur Appian. Lib. 105 *οἱ πρέσβεις διεθρόησαν ἐς ἅπαντας τὴν ἐμπειρίαν καὶ ἐπίτευξιν τοῦ Σκιπίωνος*: restat ut pro *apepelli* scribatur *belli*. Quae si recte restituimus, narrat hic apud Lucilium maioris illius Scipionis nescioquis commilito quae praeclare ille in pugna ad Zamam commissa gesserit: ‘longe praeclarum’ Nonius intellexit tamquam ‘ualde praeclarum’.

830—833. Nonius p. 282, 26 ‘Discrimen rursum separatio. . . . Lucilius lib. XXVIIII “et amabat . . . alba”.’ Idem p. 405, 11. 16 ‘Signare est designare, ostendere. Lucilius lib. XXVIIII “sic (si *Leidensis*) socrates in amore et in adulescentulis meliore paulo facie signat *nihilque amaret*”. . . . Signare, discernere, separare. Lucilius lib. *XVIIII* “nam ut discrimen non facit neque signat linia alba”.’ Adnotat Dousa alii haec e Platonis Charmide petita esse p. 154 B *ἐμοὶ μὲν οὖν, ὦ ἑταῖρε, οὐδὲν σταθμητόν· ἀτεχνῶς γὰρ λευκὴ στάθμη εἰμὶ πρὸς τοὺς καλούς· σχεδὸν γάρ τί μοι πάντες οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ καλοὶ φαίνονται* ubi uide interpretes et antiquos et recentes. Lachmannus Mercerum secutus (ad p. 405, 12) inuertit ordinem duorum fragmentorum quae apud Nonium p. 405 leguntur ita ut legatur ‘nam ut discrimen non facit neque signat linea alba . . . sic Socrates in amore’ e. q. s. Quod recte fecit. Quae res ideo memorabilis est, quod inde apparet inuerso ordine singula singulorum librorum afferri fragmenta in libris XXX—XXVI sicuti ipsi libri inuerso ordine afferuntur: conf prolegg. p. LXXXVI. — *et amabat omnes: σχεδὸν γάρ τι . . . πάντες οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ καλοὶ* uidebantur Socrati. — ***nam ut discrimen non facit neque signat linea alba*** ⟨*in albo* ***marmore***⟩ suppleui secundum Sophoclis fragm. 307 Nauckii ed. II *οὐ μᾶλλον ἢ λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη*: uerba Lucilii uidetur imitari Gellius praef. 11 ‘alba ut dicitur linea sine cura discriminis’. — Verba usque ad *facie* recte tradita esse arbitror: emendanda sunt sola uerba extrema ‘signat nihilque amaret’ ut scribatur: *signat*

nil quem amet, id est Socrates nulla nota amoris distinxit pulcrum quem amet a minus pulcro quem neglegat. Eadem corruptela in exitu uersus 804 (prolegg. p. CXIV extr.).

834. Nonius p. 472, 11 ‘Partiret pro partiretur. Lucilius lib. XXVIIII “quid quas partiret ipse pro doctrina boni”.’ *pro* ex *pse* per errorem librarii, *doctrina* ablatiuum natum esse ex praepositione falsa probabile uidetur. Quare *doctrinas* scripsisse uidetur poeta. *partiret* dictum esse uidetur ut *diuidere* ad Her. IV 6, 9 ‘Prometheus, cum mortalibus ignem diuidere uellet’. *Doctrina boni* non arbitror dici Latine: ‘doctrina rerum honestarum’ Cic. de off. I 151: expectas *doctrinas nouas*.

835. Nonius p. 382, 3 ‘Referre, reddere. . . . Lucilius lib. XXVIIII “quod . . . mihi”.’ Metuo ne dominus, quod te intromisi, plagas mihi imponat. Loquitur ostiarius. *gratiam referre* in utramque partem dici exponit Seyffertus ad Cic. Lael. 53 extr. Halmius ad Cic. pro Sull. 47 extr.: conf Terent. Eunuch. 385 ‘si . . . illis crucibus . . . nunc referam gratiam’.

836. Charisius GL I p. 96, 15 K ‘Nemo . . . antiqui et pro nullo saepe posuerunt, ideoque nemo dicentes, quasi minus significarent, et homo addebant; ut Terentius (*Eun.* 549) “numquis hic me sequitur? nemo homo est”. et Lucilius XXIX [nemo est] ideo dixit “quis . . . sum homo”.’ Imitatus est Lucilius iocum illum in Cyclopea positum sicuti Aristoph. Vesp. 184 *τίς εἶ ποτ', ὤνθρωπ', ἐτεόν; # Οὖτις νὴ Δία.*

837. Nonius p. 381, 7 ‘Reddere, facere. Lucilius lib. XXVIIII “pluteos *excutit tectaque* et testudines reddet”.’ Recte *tecta* siue hendiadyoin statuas cum Dousa siue intellegas uineas (Caes. de b. c. II 9, 2). — *excutiet* Lachmannus, quod parum intellegitur, *excudet* Quicheratius: *ex scutis* scripsi. Verba sunt parasiti, qui quid rex suus sit facturus adnuntiat inclusis gloriose: Terent. Eun. 773 ‘primum aedis expugnabo’.

839. Nonius p. 245, 18 ‘Anceps, acutum ex utraque parte. Lucilius lib. XXVIIII “uecte . . . cardines”.’ Minatur miles sicuti lib. XXVIII u. 776 similis Poliorcetes: conf Terent. Eun. 774 ‘in medium huc agmen cum uecti, Donax’. Quae Horatius commemorat ‘lucida funalia et uectis et arcus oppositis foribus minacis’ carm. III 26, 7, ea instrumenta omnia pertinent ad illud *θυροκοπεῖν* quod in comoedia Attica saepe memoratur (Antiphan. CAF II p. 116, 239 K). Tumido utitur sermone miles cum *ancipiti ferro* dicit pro *securi:* conf Bentleius ad Hor. l. s. s. Quod sumpsisse uidetur ex uetere quodam poeta unde Lucret. VI 168 ‘caedere si quem ancipiti uideas ferro procul arboris auctum’. Tabernas *effringere* noctu solebat Nero ludibundus (Sueton. Neron. 26): quis in hoc libro auctor fuerit domus effringendae, non uideo. Lib. XXVIII u. 773 seqq. poeta se ipsum tale quid ausum esse uidetur

narrare. Num hoc libro de eadem eiusdem domus expugnatione iterum agat, non apparet: Granii cenam bis narrauit.

840. Nonius p. 245, 10 'Anceps, duplex. Lucilius lib. XXVIIII "nemo . . . cardines".' Respondet domnaedius e fenestris. Parum intellexit tumidam militis orationem: quare pro '*ancipiti* ferro effringat cardines' respondet ridicule '*ancipites* ferro effringat cardines'. — *ancipiti* scripsit *Bentleius* contra Nonii testimonium: de cardinibus uide ad lib. XXVIII u. 773.

841. Nonius p. 288, 30 'Deicere dicitur mittere. . . . Lucilius lib. *XXVII* "has *et fenestras* (*fenestris* Leidensis secunda manu) in caput *deiciunt* (*deiciam alii codd et editt*) qui prope ad hostium aspirauerint".' Adfert Nonius et ante hoc fragmentum et post hoc fragmentum uersus e libro XXVIIII (897 et 825): quare recte egerunt qui libro eidem attribuerunt. — *has,* aulas cum stercore uel similia: conf Dittenbergeri Syllog. Inscr. Gr. edit. II 356, 17 ubi similis aedium obsessio describitur *τοὺς δὲ τῆς οἰκίας δεσπότας . . . προστεταχότας ἑνὶ τῶν οἰκετῶν . . . ἀνεῖρξαι ἀνασκεδάσαντα τὰ κόπρια αὐτῶν. τὸν δὲ οἰκέτην σὺν τοῖς καταχεομένοις . . . ἀφεῖναι τὴν γάστραν ὥστ' Εὔβουλον ὑποπεσεῖν·* (Demosth. LIV 4 Dio Prus. II p. 27, 9 Arn.). — *e fenestris* recte Lachmannus: pluralis apud Graecos usitatus ueluti Praxillam PLG III p. 567, 5 *ὦ διὰ τῶν θυρίδων καλὸν ἐμβλέποισα παρθένε* Plut. Dion. 57 *ὀρέγει . . . διὰ τῆς θυρίδος ἐγχειρίδιον*, ubi Nep. Dion. 9, 6 'per fenestras gladium dedit'. — Fortasse *deiciant* scribendum, agitur de seruis. — *qui prope ad ostium aspirauerint*] relatiuum enuntiatum habet sententiam condicionalem, ut Plaut. Amphitr. 652 'omnia adsunt bona quem penest uirtus' conf Draegeri synt. hist. l. Lat. II ed II p. 540 § 493.

843. Nonius p. 272, 11 'Caedere, frangere. . . . Lucilius lib. XXVIIII "caede hostium *grato* urger*cistam perimus*".' Idem p. 417, 32 'Urguere, insistere. Lucilius lib. *XXVIII* "caede . . . *perimus*".' *urgue* utroque loco Leidensis m. 1. Gnatonis personam cuius nomine seruum suum uidetur appellasse, ex Terentii Eunucho sumpsit poeta. — *restant* recte *resistunt* explicat Dousa qui confert Propert. III 8, 31 'dum uincunt Danai, dum restat barbarus Hector' Ouid. fast. II 749 'melioribus, Ardea, restas'. Adde Terent. Heaut. 1009 'in qua re nunc tam confidenter restas stulta'. — 'caedere ianuam saxis' Cic. in Verr. act. II lib. I 27, 69. — *perimus* librarii solent scribere pro *periimus:* uide ad lib. XXVII u. 710 V 184. In exitu uersus positum et eodem modo scriptum est in codd Plaut. Most. 364.

844. Nonius p. 358, 24 'Offendere est percutere. . . . Lucilius lib. XXVIIII "crus . . . offenderit".' Pro *nihil est: miles* Ribbeckius Mus. Rhen. XXIX 1874 p. 125: at locutio sollemnis *nihil est* qua de conf interpretes ad Plaut. Capt. 344 Terent. Eun. 638

Heaut. 672 Hor. serm. II 3, 6. 116. Quae significat hoc loco sermonem omnem irritum esse et uanum. Vnde apparet hoc modo interpungendum esse: exclamarat Gnato timidus: 'at nimium metuo ne improbi frangant mihi crus lapide'. Respondet miles: '"crus lapide" nihil est, credam si te ictu perculerit'. — Similem atque Lucilius fabulam Ateius Capito narrauerat auctore Gellio IV 14 'Aulus Hostilius Mancinus aedilis curulis fuit. Is Maniliae meretrici diem ad populum dixit, quod e tabulato eius noctu lapide ictus esset, uulnusque ex eo lapide ostendebat. Manilia ad tribunos plebi prouocauit. Apud eos dixit comissatorem Mancinum ad aedes suas uenisse, eum sibi recipere non fuisse e re sua: sed cum ui inrumperet lapidibus depulsum. Tribuni decreuerunt aedilem ex eo loco iure deiectum, quo eum uenire cum corollario non decuisset propterea ne cum populo aedilis ageret, intercesserunt'.

845. Nonius p. 36, 27 'Depilati dictum rarefacti. Lucilius lib. XXIX "*nato* . . . sumus".' *Gnathonem* agnouit Mercerus. *depilati sumus:* aqua feruenti immissa uidentur cardinum confectores illi esse ambusti: depilare emadefactam perdicem coci dicuntur Apic. VI 221. Foribus repulsum gelida perfundit mulier ap. Horat. serm. II 7, 90.

846. Nonius p. 384, 5 'Recipere, reuocare. Lucilius lib. XXVIIII "primum . . . te".' *quo recipiat te* codd, *quod recipiat te* Mercerus, *quo recipias te* Lachmannus. Similia iurgia et rixae narrantur Propert. IV 8, 61 'illas direptisque comis tunicisque solutis excipit obscurae prima taberna uiae'. Ablatiuus *quo* recte traditus est: Caes. b. G. VII 66, 7 'ne tecto recipiatur Plaut. Rud. 574 'recipe me in tectum'. Varro sat. Menipp. 589 B 'hic in cenaculo polito recipiuntur'. Apparet *recipiat* dici de domino aedium, qui hominem recipit foris stantem. *exaduorso:* ueterem orthographiam hoc loco seruarunt Nonii codd: conf indicem grammaticum s. u. *orthographia.* Anno 632/122 modo *auersum,* modo *auorsum* exaratum est in lege de repetundis CIL I 198, 3. 59: eadem ratione utitur Lucilius. Quod aduerbium positum est pro *exaduersum* ut internundino lib. XXVI u. 637. Contra Terent. Adelph. 583 'apud ipsum lacum est pistrilla et exaduorsum fabrica'.

848. Nonius p. 383, 19 'Remissum, missum. Lucilius lib. XXVIIII "cohibet . . . remisit".' Idem p. 350, 30 'Maestum, triste, miserandum. . . . Lucilius lib. XXVIIII "cohibet *et domina* maestus (aestus *L m. 1*) se albinus".' Distinxit Mercerus ante Albinus contra Nonii quod posteriore loco exhibet testimonium. Quod testimonium si sequemur, prioris sententiae subiectum pater est Albinus, qui ideo maeret, quod modo a genero post sponsalia repudium filiae suae est remissum. Itaque generi nomen aut in

antecedentibus erat nominatum aut in sequentibus. Albinus iste est certe Postumius quidam, neque tamen idem uidetur esse ad quem quid sit *uirtus* postea exposuit Lucilius ea satura, cuius extat fragmentum incert. u. 1326 seqq. Consulem anni 603/151 A. Postumium historicum, qui admodum senex esset anno 624/130, uel quod magis placet consulem anni 606/148 Sp. Albinum oratorem (Cic. Brut. 94) hoc loco poeta uidetur appellare. Vtrumque Albinum infesto animo appellat ll. ss. Lucilius neque fauent huic familiae Scipionis amici in quibus est Polybius (XL 6 [XXXIX 12]). Postumiam quod dimisit gener ille Albini, suspiceris factum esse moribus mulieris prauis et corruptis: bibosam quandam Postumiam commemorat Catullus XXVII 3: uide ad incert. u. 1326.

3.

851. Nonius p. 238, 11 'Adtendere est intendere. ... Lucilius lib. XXVIIII "praeterea ut *nostros* ... adtendere *de re* dictis ... uelis".' *de re* post atten*dere* deleuit edit. princ., *nostris* Bentinus. — *animos* pluralis memorabilis: *templa freta limina* alibi legitur: *σὺ δὲ ταῦτα μετὰ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν* et similia Graeci poetae. Color uersus idem est atque lib. XXVII u. 693 ubi legitur *animum adtendas. adtendere atque adhibere* hendiadyoin: 'enimuero huc aures magis sunt adhibendae mihi' Plaut. Cas. 475.

853. Nonius p. 383, 13 '*Rogare,* instituere. ... Lucilius lib. *XXVII* "consilium ... *progator* (*rogator* Geneuensis)".' Nonius si secundum ordinem quem solet seruare hunc uersum protulit non potest esse libri XXVII cui unus attribuit Baehrensius: Antecedunt libri XXVI uu. 684. 685, secuntur libri XXIX fragmenta duo uu. 848—850 et 846. 847. Itaque probabilissimum erit restituere libri numerum XXIX. Agitur de uiro princeps ciuitatis qui fuerit: Cic. de orat. III 63 'ea philosophia ... procul abest tamen ab eo uiro, quem quaerimus et quem auctorem publici consilii et regendae ciuitatis ducem et sententiae atque eloquentiae principem in senatu, in populo, in causis publicis esse uolumus'; I 211 'hunc reipublicae rectorem et consilii publici auctorem esse habendum praedicaremque P. Lentulum principem illum ... et P. Africanum et C. Laelium' e. q. s. Ad hunc talem uirum poeta hanc saturam misit: sicuti ex uersibus qui antecedunt intelleximus, hunc eodem modo appellat quo Scipionem lib. XXVII.

854. Nonius p. 36, 25 'Collare est uinculi genus, quo collum adstringitur. Lucilius lib. XXVIIII "cum ... *collareque* ... deportem".' Paulus Fest. epit. p. 45 M 'Catulus genus quoddam uinculi, qui interdum canis appellatur' (Plaut. Cas. 389 'ut quidem tu hodie canem et furcam feras'). Collare memoratur in uinculis Plaut. Capt. 357, nihil huc pertinet collare Musei Kircheriani

(1474 in catalogo Helbigii ed II) cum inscriptione CIL XV 7194 'fugi, tene me' e. q. s., *columbar* appellat Plautus per iocum *collare* Rud. 888 quale exhibet uasculi pictura Duemmleri opusc. III p. 24. *deportem* uocabulum militare, i. e. domum deducam: uide interpretes ad Liu. XXXIX 38, 5. 9. Gloriatur meretrix: ego deportem profugum amatorem domum meam ut fugitiuum cum uinculis dominus.

856. Nonius p. 271, 22 'Conuenire, interpellare. ... Lucilius lib. *XXVIIII* "haec *tu* ... *insidiisque* (insidisque *L m. 1*) locaui".' Idem p. 340, 25 'Locare, parare. Lucilius lib. *XXVIII* "haec *tum* ... tela (tale *Guelf.*) *insidiaeque* locaui".' Libro XXVIIII ascribemus quod facilius unam hastam omitti patet librarii incuria quam addi. Neque uerba quae utrobique tradita sunt mutabimus *haec ... conuentus tela ... locaui:* quam rationem secuti *tum* scribi necesse esse statuemus. Porro neque *insidiisque* neque *insidiaeque* uera esse potest scriptura: sed *insidiasque* cum editt uett est scribendum quod pertineat ad *locaui* positum in uersus exitu pro *collocaui* uel *posui.* conuentus, ut Liu. VII 5, 3 'ianitori opus esse sibi domino eius conuento extemplo ait'. Interpellatus a meretrice ne blandimentis animus irretiatur, haec tela insidiasque paraui.

857. Nonius p. 300, 20 'Eiectum dictum exclusum. ... Lucilius lib. XXVIIII "ubi erat *scopios* eicere ... amorem".' *ubi erat scopus* Iunius, *ubi erat kopioses* Lachmannus, quod uocabulum sententia non commendatur. *ubi erat scabiosus* temptaui: *scabies* de amoris impuri prurigine Martial. VI 37, 4 XI 7, 6: antecedebat *debebas.* Terentium sequi uidetur Lucilius qui Andr. 307 secundum codd 'quanto satius te id dare operam qui istum amorem ex animo amoueas tuo, quam id loqui quo magis lubido frustra incendatur tua' quibus de uersibus Vahlenus egit Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1901 p. 352. 353. At metrica suadet ut tanti quanti Bentleius quondam nos hodie faciamus eam lectionem quam adnotat Donatus ad Andriae l. s. s. 'qui istum amorem ex corde eicias'.

859. Nonius p. 391, 25 'Stare, erigi, prominere. Lucilius lib. XXVIIII (ita Leidensis: Guelferb. *XXVIII*) "hic ... papyllas ... marmoreo".' 'corpus solidum et suci plenum' Terent. Eun. 318. — stare papillas pectore marmoreo: similiter Philodemus AP V 12, 3 *κἂν στέρνοις ἔτι κεῖνα τὰ λύγδινα κώνια μαστῶν ἕστηκεν μίτρης γυμνὰ περιδρομάδος.*

861. Nonius p. 220, 3 'Polypus generis feminini. Lucilius lib. XXVIIII "paulisper *cui medemtia* (medemptia *G*) *medem* haec se ut polypus ipsa".' Lachmannus: *paulisper comedent iam eadem haec se ut polypus ipsa.* Scaliger: *Paulisper comedens edet haec se, ut polypus, ipsa:* idem Alcaei comici uerba attulit ex Athenaeo

VII p. 316 C ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὥσπερ πουλύπους qui locus ita uidetur esse constituendus ἔδω δ' ἐμαυτὸν ⟨αὐτὸς⟩ ὥσπερ πουλύπους (CAF I p. 764 K). De polypodis uoracitate multa Aelian. uar. hist. I 1: eadem similitudine usus est Carneades ap. Stob. flor LXXXII 13. In litteris corruptis *cuimedemtiam* uerbum, quod pertineat ad *paulisper*, cum hoc uerbum cum sequentibus nequeat coniungi, oportet indagare: scripsi igitur 'cui paulisper me dem, iam edet haec se ut polypus ipsa': *cui* in antecedentem uersum reieci. Agitur de zelotypa: si me dabo paulisper alii mulieri, furenter irata pollicem rodet sicuti Canidia Horat. epod. V 47: conf schol. ad h. u. Petron. fragm. III B Sittelium de gestibus ueterum p. 16). Aristoph. Vesp. 286 μηδ' οὕτω σεαυτὸν ἔσθιε μηδ' ἀγανάκτει.

863. Nonius p. 153, 17 'Permities, periculum, exitium. Lucilius lib. *XXVIIII* (ita Leidensis: *XXVIII* Guelf.) "nunc tu ... *nuptiis uel sese* neges (*neces* Leidensis) te ... *permitiae* (*pernicie* olim impressi)".' Numeri salui sunt et sani in uerbis 'nunc tu contra uenis uel qui in nuptis'. Versus ad chronologiam saturarum definiendam magni est momenti. Vsurpat poeta in antiquiore saturarum corpore etiamtunc *contra* more Ennii ultima correpta qui (ann. u. 463 V) in exitu hexametri posuit 'contra tueri' (Varr. de l. Lat. VII 12), in principio (ann. u. 563 V) 'contra carinantes' (Seru. auct. ad Aen. VIII 361): pro spondeo posuit incert. u. 1186 et post annum fere 628/126 'contra defensorem hominum morumque bonorum' incert. u. 1335; qua in mensura poetam secuti sunt omnes usque ad saeculum p. Ch. IV. *Contra uenire* dictum est de obuiam in uia euntibus ueluti Quintil. VI, 3, 95 Martial. XIV 62 Iuuen. I 160, inde ita est translatum, ut sit pro impugnare positum ueluti Cic. ad Att. I 1, 4 'ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore uenirem' (Phil. II 2, 3) pro Rosc. com. 18 'quid? tu, Saturi, qui contra hunc uenis, existimas aliter? in Verr. II 43, 107 'si de litteris corruptis contra uenit'. pro Mur. 9 'illum ipsum, quem contra ueneris' (C. F. W. Muellerus ad Friedlaenderi Iuuen. VII 29). — *in nuptis*, ut 'in hac commotus sum' Terent. Eun. 567, 'in mala deditus uir adultera' Catull. LXI 102 (Rothsteinius ad Propert. I 13, 7). Hor. serm. I 4, 27 'hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum': utriusque amoris incommoda hic inter se comparantur. — *uel sese* codd, *noluisse* conieci cum synizesi Luciliana: *belle esse* Lachmannus contra sensum. — 865. de scriptura *permities* uide ad lib. II u. 77. Tangitur poena moechorum. 'ludibundus nec sine pernicie tamen' Suet. Ner. 26.

866. Nonius p. 313, 16 'Flagitium ueteres uitium quod uirgini infertur dici uoluerunt. flagitium, periculum. Lucilius lib. XXVIIII "*quiete poscente* minus et *praebunt* ... flagitio".'

Emendauit hunc locum Mercerus. De pueris agi apparet pronomine *qui*, accedit quod Nonius flagitium de mulieribus proprie dici adnotat sententia ipsa Lucilii adductus. Comparat Mercerus Iuuen. VI 33 'illud nonne putas melius, quod tecum pusio dormit? pusio qui noctu non litigat, exigit a te nulla iacens illic munuscula' e. q. s. *praebere* absolute dictum ut παρεῖχε Aeschyl. Pers. 211 παρέχειν χρὴ κακῶς Aristoph. Lys. 162. 227 αἰτεῖν et παρέχειν una ponit Philodemus AP V 120 in laude Philaenii quae dicitur καὶ παρέχουσα πάντα καὶ αἰτῆσαι πολλάκι φειδομένη. Ipsum uerbum flagitium demonstrat non fieri comparationem meretricum cum pueris qualem Plaut. Truc. 153 seqq., sed matronarum uel uirginum: conf AP V 301. Lactant. instit. diuin. I 10, 1 'Aesculapius et ipse non sine flagitio Apollinis natus'.

868. Nonius p. 290, 2 'Docere, dicere. Lucilius lib. XXVIIII "at (ad *L m. 1*) non sunt similes neque dant quid *sint* dare uellent *acciperisne* doce".' *si* dare uellent? *acciperesne* edit. pr. Agi de gratia quam uel pueri uel puellae largiuntur amatoribus consentaneum est cum tota ista satura meretricii sit argumenti. Itaque *dant* idem esse erit statuendum quod *praebebunt* u. 866 quo de usu egit Friedlaenderus ad Martial. II 9 'Scripsi, rescripsit nil Naeuia. Non dabit ergo? Sed, puto, quod scripsi, legerat. Ergo dabit': conf IV 7, 1. 71, 6 'Quid ergo casta facit? Non dat, non tamen illa negat'. Videtur poeta agere de matronis, quas non similes esse meretricum dicit interlocutor neque omnino praebere. Tum interrogat poeta: Quid si similes essent? Tune abutereris?

4.

870. Nonius p. 31, 18 'Sudum dictum est quasi semiudum, ut est aer post pluuias serenus et liquidus. ... et Lucilius lib. XXVIIII "nec uentorum flamina flando *suda secundent*".' Numeros esse trochaicos ex caesuris intellegere licet, quas utriusque uersus assequemur legitimas si *iter* addiderimus. Conf Ouid. heroid. XIII 136 'blandaque compositas aura secundet aquas' Propert. III 21, 14 'iam liquidum nautis aura secundat iter' Varr. sat. Menipp. 224 B 'dum nos uentus flamine sudo suauem ad patriam perducit'. Itaque flamina suda πνεῦμα οὔριον: uento secundante Tacit. ann. II 24 Iustin. XXVI 3, 4. Versus sumpti sunt ex tragoedia, in qua inimicus male imprecabatur inimico: ex Ennii Thyeste eos esse sumptos exposuimus ad u. sequentem.

872. Nonius p. 405, 2 'Spargere, madefacere. Lucilius lib. *XVIIII* (*XXVIIII* nonnulli deteriores codd) "latere pendens, saxa spargens tabo sanie et sanguine atro".' Hunc Ennii uersum esse in Thyeste (362 V) qui fuerit testatur Cicero Tusculan. I 44, 107. Horatius qui de Lucilio serm. I 10, 54 'Non ridet uersus Enni

grauitate minores', minus huc facit: Porphyrio enim quae adnotat 'Facit autem haec Lucilius cum alias, tum uel maxime in tertio libro: meminit VIIII et X', ea ad libros VIIII et X pertinent, non ad XVIIII. Lacunam statuit esse factam Mercerus, qua perierit Lucilii herous qui fuerit libri XVIIII una cum uerbis *Ennius Thyeste*. At multo probabilius esse illic apud Nonium positum fuisse uersum e lib. XXVIIII Lucilii quam uersum e libro XVIIII petitum demonstrat series exemplorum Nonii l. s. s. quae exposita est prolegg. p. CIII: nam inde a p. 399 Nonii usque ad p. 421 nullus adfertur uersus Lucilii e libris I—XXII. Itaque numerus libri erat XXVIIII, cuius uersum excidisse arbitratur Muellerus cum uerbis *Ennius Thyeste*. Tamen Plauti integrum uersum lib. XXVII (u. 736) posuisse Lucilium certum est: tragicorum tumorem libro XXIX exagitatum fuisse uersibus septenariis item apparet ex antecedentibus et sequentibus huius libri uersibus. Qui commendant Ennii uersum reuera adlatum fuisse a Lucilio, cum contineant diras et malas inprecationes sumptas e tragoediis: ueluti uu. 870. 871 'nec uentorum flamina flando suda ⟨*iter*⟩ secundent' similia sunt eis, quae teste Cicerone l. s. Ennii Thyestes male imprecatur 'ut naufragio pereat Atreus'.

874. Nonius p. 489, 16 'Nefantia pro nefanda . . . idem lib. XXVIIII "dissociat *atque* (adque *L m. 1*) *omnia* ac (an *Guelferb.*) nefantia". Varro Sciamachia περὶ τύφου (509 B) "ego, inquit, eam suppetias, quitunc (*quicum* Lachmannus Buechelerus) mihi nec res nec ratio est, *dissociat atque* (adque *L m. 1*) *omnia* ac nefantia?".' Lucilii uerba ita constituit Buechelerus sicuti nos exhibemus: dissociata est ἀκοινώνητα Graecum. Verba tragoediae spirant sermonem: utrum e tragico an e Lucilio Varro uerba illa sumpserit, dubium est. Ad Ennii Thyesten bene ea posse referri inprimis Varronis loco collato intellegitur.

875. Nonius p. 30, 27 'Exordium est initium. . . . Lucilius lib. XXVIIII "*uirum* tristis ... exordio".' *Verum* Mercerus. *tristis ex exordio* ut Terent. Andr. 268 'ex hoc misera sollicita est die quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae'. Ludit Lucilius Pacuuii prologos ut *contortos:* docent enim rhetores in expositione inprimis *ne quid contorte dicamus* (ad Herenn. I 9, 15 med.). Simili modo Gnathaena meretrix Diphili poetae irridet prologos (Athen. XIII p. 580 A), Euripidis prologos Aristophanes Ranis 1197 seqq. Tristis ille fuit opinor Lucilius qui sedebat in theatro fastidiosus Musae Pacuuianae.

876. Nonius p. 171, 5 'Signatam uirginem uetustas uoluit dicere. Lucilius lib. XXVIIII "*primam crisicum* negat signatam *redere* (ita Leidensis, *redire* Guelferbytanus, *reddere* olim impressi)".' Recte Scaliger *Chrysi cum,* Mercerus *primum: signatam* idem male temptauit cum scriberet *se gnatam*. Ad Pacuuii Chrysen pertinere intellexit Naekius (opusc. I p. 106): conf Hygin. fab. CXXI 'cum Chryses ad Agamemnonem deprecandum uenisset, ut sibi filiam redderet, non impetrauit. Ob id Apollo exercitum eius partim fame partim morbo totum consumpsit. Itaque Agamemnon Chryseida grauidam sacerdoti remisit'. Itaque *signatam* recte enarrat Nonius: primum negat rex se intactam reddere sacerdoti filiam (Hom. A 31 καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν), postea grauidam reddidit. Quem locum in lexicis conferunt Tertull. de exhort. cast. cap. 12 med. 'assume de uiduis fide pulchram, paupertate dotatam, aetate signatam', is nihil huc facit. Verterat poeta uocabulum quo Euripides usus erat in Hypsipyla (TGF 762 N ed II) εὔφημα καὶ σᾶ καὶ κατεσφραγισμένα. *natam* recte inseruit Baehrensius ni fallor primus. Positum fuisse id quod hoc uersu narratur in prologo tragoediae consentaneum est: cuius argumentum enarrat Ribbeckius histor. poes. Rom. I ed II p. 171. Fabulam eandem respicit poeta lib. XXVI u. 653 seqq.

877. Nonius p. 27, 9 'Exterminatum est praeter terminos missum. Lucilius lib. XXVIIII "ni (ita *L*: ñ *G*) rediret ad se atque illam exterminare *miseram*".' *exterminaret* editiones, *miseriam* Passeratius, neutrum satis facit. Nam infinitiuus potest pendere e uerbo quod erat in uersu sequenti et desideratur ueluti *ex animo*; locutio *rediret ad se* flagitat potius *insaniam*: conf Terent. Adelph. 794 'Tandem reprime iracundiam atque ad te redi'; Lucret. IV 996 'donec discussis redeant erroribus ad se'. 1023 'uix ad se redeunt' Cic. diuin. in Caecil. 57 'rediit ad se atque ad mores suos', quae uerba leguntur tamquam pars septenarii. Proprie dicitur de eis qui e morbo qualis est comitialis ad se redeunt (Cels. III cap. 23 init.).

878. Nonius p. 274, 15 'Conducere est sicuti usu. Lucilius lib. XXVIIII "magno . . . conduxeris".' Verba sana esse uidentur: praedium nunc magno tibi erit (Iuuen. III 166), nunc non magnam inpensam postulabit magno quod conduxeris. *magna mercede,* ut Cic. epist. I 9, 3 'Te autem etsi mallem in meis rebus expertum quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo eam fidem cognosse hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram' de dom. 29 'data merces est erroris mei magna' Tusc. III 12 'nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit'. Asyndeta similia sunt lib. X u. 387 XVI u. 520 XXVII u. 700.

879. Nonius p. 294, 22 'Explorare, probare. . . . Lucilius lib. XXVIIII "certum . . . omnia".' Alloquitur dominus delatorem qui cum dubitatione referat de fraudibus dispensatoris: uera de eo referri dicit dominus, qui furem illum esse dudum cognouerit.

881. Nonius p. 36, 18 'Emungi ex manifesta significatione

manat. Lucilius lib. XXVIIII "in *mellis* spem esse omnem quouis *possem emungi uolo*". Terentius (*Phorm. 682*) "emunxi argento senem".' Menander ita posuit *ἀπομύττειν*: CAF III p. 142, 493 K *γέρων ἀπε⟨μέ⟩μυκτ' ἄθλιος λέμφος*: Poll. II 78 *ἤδη δέ τινες τῶν κωμικῶν τὸ ἐπὶ κέρδει ἐξαπατᾶν ἀπομύττειν εἶπον*. Item Caecilius uidetur hoc usus esse uocabulo (CRF ed 3 p. 93 XXXVII R) quem spectat Horatius de art. poet. 238 'Pythias emuncto lucrata Simone talentum'. Etiam *bolus* uocabulum ex comoedia sumptum (Terent. Heaut. 673: Plaut. Poen. 101 'tangere hominem uolt bolo'). — Cic. epist. XII 1, 1 'cuius omnis spes in uobis est et in D. Bruto'.

882. Nonius p. 472, 5 'Palpatur. Lucilius lib. XXVIIII "hic *me ubi* uidet subblanditur *palpatur* caput scabit".' Festus p. 210, 18 'Pedibus obsitum, id est pediculis . . . et Lucilius "*ubi me uidit*, caput scabit, pedes legit".' Eadem quae Festus habet Paulus sine nomine poetae confusa cum uerbis Titinii quae antecedunt. Verba *subblanditur ⟨fur⟩, palpatur* Lucilii esse utrumque apparet: neque enim uocabulum Plautinissimum *subblanditur* glossematis loco positum esse est credibile. Quibus uerbis sedem in uersu suam dissignat homoeoteleuton i. e. septenarii initium: ⟨*fur*⟩ addidi. Recte *hic me ubi uidet* poetice collocatur in codd Nonii: Terent. Eunuch. 132 'is ubi ⟨*esse*⟩ hanc forma uidet honesta uirginem' 260 'ille ubi miser famelicus uidet mi esse tantum honorem'. Sicuti uocabulum Plautinum *subblanditur*, ita mensura Plautina *caput* pyrrhichiacum adhibuit: conf Skutschius Mus. Rhen. XLVIII 1893 p. 306 C. F. W. Muellerus de Plauti prosod. p. 91 seqq. Neque tamen uerba 'caput scabit pedes legit' significant *κροκυλεγμόν* adulatoris (de quo conf interpretes ad Theophrast. Charact. 2, 3 Ribbeckius Abhandl. d. K. Saechs. Ges. d. W. IX 1883 p. 54), neque enim reuera de suis pediculis confiteri eum qui loquitur probari poterit neque comparatur apte historia illa de Phalanto ap. Paus. X 10, 6 seqq. quam adhibet Skutschius l. s. s. Sed ad 'caput scabit' non supplendum est *meum* — quod ineptum erat dicere — sed utique *suum* ut par est et alibi fit ueluti Hor. serm. I 10, 71 'saepe caput scaberet'. Itaque homo ille, qui subblanditur et palpatur, simul caput suum scabit, pedes legit: quae signa sunt culpae et malae conscientiae: conf Apul. metam. X 10 'Ingens exinde uerberonem corripit trepidatio et inuicem humani coloris succedit pallor . . . tum pedes incertis alternationibus commouere, modo hanc modo illam capitis partem scalpere . . . ut eum nemo prorsus a culpa uacuum merito crederet' (Sittelius de gestibus p. 48).

884. Nonius p. 283, 29 'Ducere, uoluere, pertractare. . . . Lucilius lib. XXVIIII "age nunc, summam sumtus (ita *L m. 1:* sumptus *reliqui*) ducatque *aeri* simul adde alieni".' Transposuere

uerba uarium in modum uiri docti; Muellerus: 'atque adde alieni aeris simul'. Melius erit legitimum ordinem uerborum *aeris alieni* seruare: uocabulum *alieni* post *aeris* primum omissum in exitu sententiae addidit librarius. Colloquitur dominus cum dispensatore infido.

886. Nonius p. 74, 4 'Aera, numeri nota. Lucil. lib. XXVIIII "hoc est ratio peruersa aera summa *et* subducta inprobe".' *est* recte Casaubonus. Increpat dominus dispensatorem improbum qui breuiarium rationum ei affert (Suet. Galb. 12 extr.): conf Cic. ap. Non. p. 193, 11 'Quid? tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare?' *hoc est ratio* pro interrogatione est positum cum negatiua sententia: quo in genere neutrum legitime poni exponit Draegerus de syntaxi hist. ling. Lat. I ed 2 p. 185: peruersa sunt aera singula, et summa est inprobe subducta: Cic. ad Att. V 21, 11 'recte, inquit, Scaptius, sed subducamus summam', unde apparet falli eos qui cum Scaligero scribunt 'aera summae subducta inprobe'. Similiter interrogat Cic. in Verr. act. II lib. I 14, 36 post rationes recitatas Verris: 'Hoc est rationes referre?' De seruo rationes reddente Dig. XXXV 1, 82 'imputationes probe an improbe referantur'.

887. Nonius p. 399, 13 'Subducere, subputare. . . . Lucilius lib. XXVIIII "eodem uno hic (hi *G*) modo *errationes subduceret* (*rationes subducent* Iunius et Mercerus) suas".' Aptius opinor *hic* cod Leidensis probato scribetur *subducet:* conf prolegg. p. CXIV extr. — eodem uno, uide ad lib. XX u. 570; *omnes* addidit Muellerus. Dispensatoris improbi curam nisi sedulo examinabis, omnes suas rationes eodem modo praue subducet.

888. Nonius p. 275, 5 'Credere est fidem habere dictis uel factis. Lucilius lib. *XXVII* (sic Leidensis: *XXVI* Guelferbyt.) "hymnis (hiemis *Guelferbyt. m. 1*) uelim te id quod uerum est credere".' Positum est hoc fragmentum apud Nonium inter libri XXX u. 970 et XXVIII u. 780: itaque aut libri XXVIII fuit, cui attribuit Muellerus, qui senarium constituit, aut XXVIIII, cui nos tribuere malumus ideo quod hoc in libro de Hymnide apparet actum fuisse septenariis uersibus qualem numerum facile restituas: uide u. 894.

890. Nonius p. 369, 32 'Putare, aestimare. . . . Lucilius lib. XXVIIII "perge . . . *potes* . . . putem".' Recte Lachmannus numeris ut succurreret *pote:* nemo enim illud *face* audebit mutare. Verba sunt meretricis.

891. Nonius p. 289, 30 'Destinare, emere. Lucilius lib. XXVIIII (XXVIII *Guelf.*) "*facio ad lenonem . . . destiner*".' facio ⟨*cito*⟩ *Muellerus,* malui addere *ilico* quod saepenumero ponitur in exitu uersus (Terent. Heaut. 656 Hecyr. 188 Phorm. 88 alibi). —

in libertatem destino dictum ad exemplum locutionis *in libertatem uindicare.* Locus sapit comoediam Atticam: conf Plaut. Rud. 44 ‘ad lenonem deuenit, minis triginta sibi puellam destinat’ quod pretium indicat mulierem fidibus doctam esse percaram: Terent. Phorm. 558 ‘Triginta? hui, percara est’: idem pretium XXX minarum tamquam sollemne in comoedia memoratur Plaut. Curc. 63 Mostell. 300, eodem pretio uenit Neaera auctore [Demosth.] cont. Neaer. 29, nec aliter Isocr. *περὶ ἀντιδόσ.* 288 *τοῖς μὲν λυομένοις εἴκοσι καὶ τριάκοντα μνῶν τὰς μελλούσας καὶ τὸν ἄλλον οἶκον συναναιρήσειν*: eiusdem pretii aestimatum fuisse Platonem tradit Diog. Laert. III 20. Tria illa milia igitur sunt drachmarum uel denariorum, talentum dimidium quod expenditur in *πόρνης λύσιν*: qua de re conf Plutarch. de adul. et amic. 23 p. 64 F ubi plura adnotat Wyttenbachius. Etiam uerba *in libertatem* redolent sermonem Atticum: conf contr. Neaer. 30 *ἀφιέναι οὖν αὐτῇ ἔφασαν εἰς ἐλευθερίαν χιλίας δραχμάς* 31 *τἀργύριον ὃ παρὰ τῶν ἄλλων ἐραστῶν ἐδασμολόγησεν ἔρανον εἰς τὴν ἐλευθερίαν συλλέγουσα.*

894. Nonius p. 330, 9 ‘Inducere, persuadere. Lucilius lib. *XXVIII* “*ighymnis* (ita L: *XXVIII gemis hymnis* G m. 1, *XXVIII hymnis* G m. 2) ego animum *sic* induco quod tu (tua *G*) ab insano auferas”.’ Offenderunt in numeris et Lachmannus qui malit ‘Hymnis ego animum hoc induco’ et Muellerus, qui ‘Hymnis ego sic animum induco’. Ego faciliore opera arbitror et sententiam et numeros corrigi si pro *sic* posuerimus *si.* Colloquitur cum meretrice adulescens: ego si recogito, quod tu cottidie a me insano auferas, piget sane ab lenone te abduxisse. Archetypus habuisse uidetur *XXVIII igymnis* barbare scriptum pro *hymnis* sed correctum: inde numerum XXVIIII recuperauit Muellerus. De sententia conf Martial. XI 50 ‘nulla est hora tibi, qua non me, Phylli, *furentem despolies:* tanta calliditate rapis’ (Plaut. Truc. 31 seqq.).

5.

895. Nonius p. 24, 12 ‘Ignominia est nominis nota. . . . Lucilius libro XXVIIII “*Apolost nomen* . . . *delicis* . . . inponere”.’ Recte *numen* Iunius. Locus propter orthographiam memorabilis: *apolost* praebent codd, cum praeter hunc uersum apud Nonium in Lucilii fragmentis *st* post uocalem lib. XXVI u. 633 sit traditum: uide ind. uerborum s. u. *sum.* — *delicis* pro *deliciis* praebet item Festi codex incert. u. 1140. *macula atque ignominia* coniunxit Cic. pro Font. 36 init.; ‘quibus tu priuatim iniurias plurimas contumeliasque inposuisti’ idem in Verr. IV 9, 20. Minatur puer poetae inimicus quidam amatorem diuitem et potentem pueri ulturum esse pueri iniurias: uide quae adnotauimus ad lib. VII u. 277.

897. Nonius p. 288, 10 ‘Detrahere, extrahere. Lucilius lib. XXVIIII “cum . . . detrahant”.’ Varro in Prometheo sat.

Menipp. 435 B ‘in tenebris ac suili uiuunt, nisi non forum hara atque homines qui nunc ⟨*sunt*⟩ plerique sues sunt existimandi’; Lucr. III 77 ‘ipsi se in tenebris uolui caenoque queruntur’; *τὸν ῥύπον τοῦ χαμαὶ βίου* M. Anton. VII 47. In sequentibus uidetur poeta narrare quomodo nuper tamquam in lutum aliquis descenderit ipse alium ut extraheret.

898. Nonius p. 318, 21 ‘Habere, dirigere. Lucilius lib. XXVIIII “*hunc* (sic codd, olim impressi et Mercerus *huc*) . . . uenit”.’

899. Nonius p. 357, 16 ‘Obscenum significat et maledicum. . . . Lucilius lib. XXVIIII “deum *rixa uertat uertat* uerba obscena”.’ *deum rex auertat* recte Turnebus: uersum compleas addens ueluti *ac turpia.* Exclamat mulier, cui conuicia intorquet nescioquis. *deum rex,* Vergil. Aen. XII 851 ‘siquando letum horrificum morbosque deum rex molitur’. *uerba obscena:* iubet lex *αἰσχρὸν* . . . *μηδένα μηδὲν εἰπεῖν παρούσης γυναικός* Plut. Rom. 20.

900. Nonius p. 325, 32 ‘Indulgere, augere. Lucilius lib. XXVIIII “tu qui iram indulges nimis manus *abstinere a muliere* melius est”.’ Verba transposuit Iunius. Similiter atque Polemo miles in Menandri *Περικειρομένῃ* homo ille uerbera infert mulieri: cuius alius castigat saeuitiam. De accusatiuo coniuncto cum *indulgeo* uide interpretes ad Terent. Eun. 222 ‘*nimis me* indulgeo’ Heaut. 988 Afran. 389 R ubi tamen pronomina leguntur personalia *me te nos.*

902. Nonius p. 110, 23 ‘Fabitorem. Lucilius lib. XXVIIII “fabitorem . . . putes”.’ fauitorem *Guelferb.* Imitatus est Terent. Andr. 717 ‘summum bonum esse erae putaui hunc Pamphilum, amicum, amatorem, uirum in quouis loco paratum’: conf lib. VII u. 270.

903. Nonius p. 315, 29 ‘Graue, necessarium. Lucilius lib. XXVIIII “habeasque *animo* mihi admodum causam *graue* (ita *LG:* grauem *uulgo*) fore quae me ab ullo commodo abducat tuo”.’ Recte addidit Lachmannus *in* quod excidit ante *animo* sicuti in eadem locutione Liu. XLIV 25, 1. Proprio tamen sensu adhibuit *habeasque in animo* positum pro *memento* ut similiter Cat. de agr. cult. 1, 1 ‘praedium quom parare cogitabis, sic in animo habeto, uti ne cupide emas neue opera tua parcas uisere’ Conf Plato Euthyphr. p. 2 B Reip. VI p. 490 A *εἰ νῷ ἔχεις* Cic. ad Att. I 6, 1 ‘domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam et exaedificatam animo habebas’. . . Verba reliqua si sana sunt, admodum artificioso delicato contorto sermone utitur mulieris amator, qui affirmet eam causam, quae se ab ullo commodo mulieris abductura sit, sibi admodum grauem i. e. tristem et molestam fore. Expectes potius dicere eum nullam causam sibi satis grauem futuram, qua commotus mulieris commodum sit

desertururus: nam *grauis causa* legitur Cic. ad Att. I 10, 2 'sed quia nullam uideo grauem subesse causam' ubi causam dicit offensionis; Ouid. Trist. V 8, 37 'utque ego te uideam causa grauiore fugatum' (II 193). Itaque recte si tradita sunt uerba, istud *causam grauem mihi fore* dictum est sicuti Iuuen. I 163 'nulli grauis est percussus Achilles' Carm. Lat. Epigr. 226 B 'Iulia Pieris obstetrix hic iacet nulli grauis' (Lucan. VIII 157). Coniungi hos uersus apte cum praecedenti adnotat Dousa in commentario.

905. Nonius p. 364, 14 'Periculum, experimentum. . . . Lucilius lib. XXVIIII "cuius . . . *periculo* . . . periculum".' *cuius* monosyllabon ut lib. XXX u. 1039. — Inusitatam formam in exitu uersus posuit, usitatam in medio: uide ind. gramm. s. u. *syncope*. Similiter Plaut. Capt. 740 'periclum uitae meae tuo stat periculo'. Terent. Hecyr. 766 'amicus qualis sim, aut quid possiem, potius quam inimicus, periclum facias'. Satis rhetorice et contorte loquitur idem ille amator futurus, dum se ostentat in uocabulo eodem diuersa posito significatione. Versum ad priores tres apposuit Lachmannus: conf Lucr. III 55.

906. Nonius p. 372, 24 'Producere dicitur longius ducere. . . . Lucilius lib. XXVIIII "et si . . . diutius".' *hunc*, opinor amorem. — *longius et diutius* secundum morem poetae hendiadyoin. 'uitamque Naeui producit longius' Cic. Brut. 60: *uitam producere* e Vergilio Aen. II 637 Nonius adfert l. s. s. Anaphora eundem loqui indicat rhetorum discipulum cuius sunt uersus antecedentes: *producturum* ad mulierem pertinere posse intellegitur lib. XVII u. 538: supplendum *speras amorem*.

908. Nonius p. 352, 4 'Nobilis dicitur et notus. . . . Lucilius lib. XXVIIII "tum illud epifoni (epitofoni *L*) quod etiam *tum* nobile est".' *etiamnum* I. Dousa, *etiamnunc* Maduigius, recte, ut uidetur. *epifoni* pro imperatiuo habuit Dousa, ἐπεφώνει imperfectum posuit Muellerus in Nonii editione, rectius erat praesens relinquere immutatum, cum imperfectum non sit aptum, praesens historicum in epiphonemate aptissimum. Vocabulum e rhetorum schola sumpsit Lucilius: agit περὶ τοῦ ἐπιφωνεῖν Theon RG I p. 212 W II p. 103 Sp. Demetr. de elocut. 106—108 qui allatis Homeri uu. τ 7—12 ita pergit: εἶτα ἐπιφωνεῖ 'αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος' Zenob. IV 82 θαυμάσαντες οὖν οἱ δικασταὶ τὸ σόφισμα τοῦ νεανίσκου ἐπεφώνησαν 'κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν'. Simili cum sententia amator ille rhetoricus sermonem suum magnifice uoluit concludi.

909. Nonius p. 36, 10 Coniungere, copulare, dictum est a iugo (hinc Lachmannus adnotat apparere scribendum esse *Coniugare*). Lucilius lib. XXIX "*quam mihi* quantum est inter humanum genus rerum*que* inter se *coniungat* communicat".' — Initium uersus prioris est corruptum. Pro *rerumque: ferumque* Mercerus: ego

malo niti in uerbis traditis *quantum est rerum* quod dictum est sicuti 'quid rerum' Plaut. Aul. 117 'quod fallaciarum' Mil. 1156 'quantum est hominum' Catull. 3, 2 (conf Lorenzius ad Plaut. Pseud. 339). *Communicat* in exitu uersus si recte traditum est, coniungendum erit cum accusatiuo, quem *quantum est rerum* locutio suppeditat: pro *coniungat: coniungant*, pro *quam mihi* posui *cum amicis*. Sapiens cum amicis communicat quantum est inter humanum genus rerum quae inter se coniungan*t* amicos.

911. Nonius p. 234, 26 'Aptus significat adeptus. . . . Lucilius lib. XXVIIII "ut . . . non aptus".' *foret* addidit I. Dousa. Huc pertinere fragm. incert. u. 1169 arbitratur Lachmannus: quam similitudinis rationem non perspicio.

912. Nonius p. 360, 24 'Offerre, adferre (efferre Guelferb.) Lucilius lib. XXVIIII "*ut nunc hac re* . . . offeras".' *in* addidit Quicheratius. — *opem atque auxilium*, hendiadyoin ut saepe: uide indic. gramm. s. u. *hendiadyoin*. Cic. diuin. in Caecil. 2, 4 'qui opem a me atque auxilium petissent' in Verr. II 3, 9 'quibus opem auxiliumque ferretis' Iuuen. XIV 183 'quorum ope et auxilio'. Venit mulier ad amatorem quae auxilium petat.

913. Nonius p. 364, 4 'Periculum est salutis discrimen. . . . Lucilius lib. XXVIIII "adde . . . *periculo* ex ordine".' meo periculo, ut Plaut. Rud. 432 'nostro illum puteum periclo et ferramentis fodimus' 1393 'mirum quin tuom ius meo periclo aps te expetam' Cas. 293 'Liber si sim, meo periclo uiuam: nunc uiuo tuo'; *ex ordine* coniungendum cum *omnes* ut Cic. de leg. agr. I 4 'uendit Italiae possessiones ex ordine omnes'. — *alios*, reliquos. Videtur esse imperfecta sententia: adde alios omnes meo sumptu qui uolunt uiuere et meo aere. Quibus uerbis ille amator penuriam excusans mulierem a se aspellit rogantem.

914. Nonius p. 330, 21 'Insultare, iniuriosius aliquid dicere. Lucilius lib. XXVIIII "insulta . . . *te* . . . me".' tu *Passeratius*. Vociferatur mulier spe elusa, amator eam castigat se ipsum miserando.

915. Nonius p. 36, 5 'Subplantare dictum est pedem subponere. Lucilius XXVIIII "subplantare (supplantare *L m. 2 G*) aiunt graeci".' Addunt olim impressi 'ὑποσκελίζειν dicitur', Iunius 'ὑποσκελίζειν dicunt'. Vocabulum Latinum uidetur primus finxisse Lucilius quod receperunt post eum litterae Latinae. Nec est quod Graecum illud expectes: nam agitur de translatione uerbi qua uti solent Graeci ueluti Plat. Euthyd. p. 278 B διὰ τὴν τῶν ὀνομάτων διαφορὰν ὑποσκελίζων καὶ ἀνατρέπων.

916. Nonius p. 303, 13 'Ferre, adferre. . . . Lucilius lib. XXVIIII "colligere . . . feram".' Sentenția est obscura: suppleas hoc fere modo 'nec studui uictum me hunc alienae mulieri colligere,

auxilium, tam etsi est indigna ut meretrix, ut feram. *tam etsi,* ut lib. V u. 181. ‘collegae auxilium, tam etsi est indignus, feram’ Passeratius codd refragantibus. Cic. in Verr. II 3, 9 ‘si uobis indigni essent uisi, quibus opem auxiliumque ferretis’. Iam ad conuicia amicus ille procedit, cum indignam beneficiis suis esse mulierem exclamet.

917. Nonius p. 252, 13 ‘Carpere, celeriter praeterire. ... Lucilius lib. XXVIIII “hiemem ... carpam”.’ Similiter Terent. Adelph. 590 ‘Nam iam abibo atque unum quicquid, quod quidem erit bellissimum, carpam et cyathos sorbilans paulatim hunc producam diem’. *hiemem* uidetur esse corruptum et ablatiuus restituendus, ita ut spectetur fabula de formica quam exemplo proposuit lib. XIX u. 561 seq.

918. Nonius p. 278, 10 ‘Delenitus est mente alienatus. ... Lucilius lib. *XXVIII* “concedat ... quod *uult* ... *prorsus* ac ... eligat”.’ Idem p. 269, 29 ‘Concedere, dare uel permittere. ... Lucilius lib. XXVIIII “concedat ... deleniat”.’ Idem p. 301, 10 ‘Eligere, defetigare. Lucilius lib. XXVIIII “corrumpat *prorsus ad* ... eligat”.’ Duplici Nonii testimonio si confidere licebit, reuera Lucilius *us* syllabam in *prorsus* pati passus est synaloepham tamquam in *um* terminatione quod in Plautinis usu uenire fabulis exponit Leo Quaest. Plautin. Berol. 1895 p. 224 seqq.: de *rursus* simili modo posito in uersu conf GL VI p. 448, 13 K Seru. ad Aen. II 508. — *deleniat,* ut lib. XXX u. 1004 ‘*delenit amore*’. Mores adulatoris describuntur: conf lib. XXVII u. 724. — ‘*neruos omnis eligat*’ Gerlachius lectorem relegat ad Cic. Tusc. III 84 ‘haec sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae et omnes eligendae’ qui initio dixerat (13) ‘omnes radicum fibras euellere’ (conf 83 med. de diuin. II 149); uocabulum est rusticum. Idem tamen Cic. Tusc. II 27 scripsit ‘neruos omnis ... elidunt’ si recte traditus est locus. ‘sine osse et neruis’ amicam mollem describit Varro sat. Menipp. 432 B: ἐκνενευρισμένοι audiunt Athenienses ap. Demosthen. III 31.

920. Nonius p. 289, 26 ‘Deferre, celatum prodere. Lucilius lib. XXVIIII (ita *L:* XXVIII *G*) “quapropter ... *hac* persequi ... hominis”.’ Hortare, ut pacem cum illo potius componam: sed uereor ne iterum ab eo accepturus sim iniuriam. Quapropter certumst contra facere atque suasisti et nomen deferre hominis. ‘certum est facere’ Plautinum: conf Mil. 303 ‘certum est facere’ 522 ‘ita facere certum est’ (= 574) Terent. Phorm. 551 ‘certum est persequi’. *persequi,* uocabulum forense: Cic. pro Flacc. 47 ‘hunc aestuantem et tergiuersantem iudicio ille persequitur’. Posuit hoc fragmentum ante lib. XXVIII u. 784 I. Beckerus Philol. V 1847 p. 43 Lachmannus alii: nos codicis L secuti sumus auctoritatem quam confirmat ordo lemmatum: uide prolegg. p. XCVII.

922. Nonius p. 287, 8 ‘Distrahere est uendere. Lucilius lib. XXVIIII “diuidant differant, dissipent, distrahant”.’ Lacunam statuit Muellerus: uerba sunt comici quibus apte compararetur Plaut. Cist. 208 ‘feror differor distrahor diripior’. Quid sit distrahere apparet Apul. metam. IX cap. 6 ‘strenuum negotiatorem nacta sum, qui rem, quam ego mulier et intra hospitium contenta iam dudum septem denariis uendidi, minoris distraxit’ i. e. quinque denariis. Schol. Bob. in Cic. pro Planc. p. 259, 32 ‘Scimus enim praeconibus auctiones fructui esse, quod per eos omnia distrahantur’.

XXVIII aut XXIX.

923. Nonius p. 406, 23 ‘Tollere, occid*ere* (ita Mercerus: *hoccid;* L *occidi* G) Lucilius lib. *XXVI* “at cui ... *hiatrus* unus potuit tollere”.’ Iunius recte *cyathus,* Baehrensius *kiatus* maluit ponere quod H et K in scriptura capitali uix possunt discerni. Vocabulis Graecis utitur poeta ut fieri solet in sermone medicorum et languentium: dyspepsia Cato de agri cult. 127, 1. Versum sic scandit Muellerus de re metr. ed II p. 551: ‘at cuí quem febris úna atque una ἀπεψία’; quod si rectum est, primus Lucilius *febris* posuit pro trochaeo quod contra legem ueterum erat poetarum. Tamen alterum huius productionis apud Lucilium non extat exemplum; immo uel in hexametris raro uocalem producit poeta ante mutam cum liquida: uide indic. gramm. s. u. productio. Neque tamen est magis credibile *cui* disyllabon hoc loco poni sicuti saepe in hiatu apud Plautum (uide interpr. ad Trin. 558 Mil. 351) qui *huic* posuit disyllabon Rud. 39 Asin. 10. Sed dubito an uersus e Lucilii lib. XXVI exciderit una cum Varronis nomine cuius in Menippeis talis productio inuenitur saepius (38. 235 B). Libro XXVIII hoc tribuit fragmentum Lachmannus.

925. Varro de lingua Latina VI 69 ‘Spondere est dicere “spondeo” a sponte (nam id ualet) et a uoluntate. itaque Lucilius scribit de *Gretea,* cum ad se cubitum uenerit, [sua uoluntate] (*delendum uidit Scaliger*) sponte ipsam suapte adductam ut tunicam et *ccterac* (impressi *cetera*) reiceret’. Senarios recte constituit Lachmannus quem secuti sumus. Nomen meretricis fuit Cretaea, i. e. *Κρηταία* quod significat meretricem Creta in insula natam. Solebant enim meretrices nominari de loco unde ortae erant ueluti Cyri paelices audiunt ap. Xenoph. Anab. I 10, 2. 3 ἡ *Μιλησία* et ἡ *Φωκαΐς* Afran. 136 R ‘ubi hice Moschis quaeso habet meretrix Neapolitis?’. — *ut tunicam et cetera reiceret*] AP V 251 *ῥίψωμεν, χαρίεσσα, τὰ φάρεα* e. q. s.

928. Nonius p. 463, 8 ‘Propitios et homines placatos dici uetustas uoluit. *XXVII* “in *uonis* . . . sunt *ui* (ita Leidensis: *di* Guelferb.) *diutius eadem una* . . . sententia. nam cum benignitate *sollicito propositos*”. Terentius in Adelphis (31) “quam ut ea quae parentes propitii”.’ Lucilii nomen recte addunt editores. Septenarium qualem constituere ‘in bonis porro est uiris si irati seu cui propitii’ malum esse, cuius caesurae offendant aures, intellexit Lachmannus, qui iure senarios restitueret: idem minus bene quod Aldus suo loco restituerat *ut* inseruit post *eadem*. De *eadem una* uerbis sicuti lib. XXIX u. 887 coniunctis conf ad lib. XX u. 570 Leo ad Plaut. Poen. 1340. Verba ‘nam cum benignitate sollicito propositos’ ita constituit Lachmannus ‘nam cum benignitate solita propitios’; dubitat tamen num Lucilii sint. At benignitatis mentio bene congruit cum adiectiuo *propitii* et exordium senarii sanum esse uidetur. Viri boni non celeriter uel iram ponunt uel beneuolentiam, sed diu manent uel irati uel beneuoli. Nam una cum benignitate insita qua fauent amicis propositi sunt sollicite tenaces ita ut inimicis dubitent cito reconciliari. Scripsi igitur ‘in bonis porro est uiris si irati seu cui propitii sunt ut diu eadem ⟨*de eodem*⟩ una maneant in sententia’. Reliqua incerta. *Diutius* comparatiuus aperte et ineptus et corruptus. — *propitii* proprie de dis dicitur passim sicuti *irati* Hor. serm. II 3, 8, hoc loco de hominibus dici Nonius testatur. Et hic et incert. u. 1233 Lucilius secundum cottidiani sermonis consuetudinem scripsit *bonus uir* non *uir bonus* sicuti fecit Cato alii cum per metrum utrumque potuerit ponere: eandem collocationem praebent Plautus et Terentius in locutionibus familiaris sermonis ueluti ‘bone uir salue’ Capt. 954 Pseud. 1145 Pers. 789 Cas. 725 Curc. 610 Mil. 364 Bacchid. 775 Andr. 846 Adelph. 476. 556 Eun. 660.

933. Donatus ad Terentii Phormionem IV 3, 9 ‘Id cum hoc agebam commodum’. ‘commodum, tantum quod’. Lucilius ‘mihi commodum *est aut dare uestimentor*; (uestimentotum *O*) *posueram*’. Ita codd, nisi quod V habet ‘est aut ulla uestimenta reposueram’ ex librarii coniectura. Senarios recte constituit Lachmannus quorum in priore *commodum* in exitu uersus positum fuisse probabile est sicuti apud Terent. l. s. s. Plaut. Rud. 519 Cas. 593, in posteriore plusquamperfectum *posueram* cuius formae exitus senarii proprius erat locus (Brixius ad Plaut. Capt. 17). Plusquamperfectum cum *commodum* aduerbio ponitur Cic. ad Att. X 16, 1 ‘commodum ad te dederam litteras’ XIII 9, 1 ‘commodum discesseras heri’ 30, 1 ‘commodum ad te miseram Demean’. Perfectum *posiui* Lucilius adhibuisse non uidetur. Itaque *uestimenta posueram* senarii erat pars post caesuram, ‘ueste posita’ Cic. Tusc. I 113 ‘tunicamque poneret’ V 60 ‘uelamina ponit’ Ouid. a. a. II 613. *dare* recte traditum uidetur: conf ad lib. XXIX u. 868.

935. Grammaticus de dubiis nominibus GL V p. 584, 24 K ‘Nasum generis neutri, ut Lucilius “nasum hoc corpusque scutum”.’ scitum Hauptius. At uerbum intactum manere melius erit. Parasitum interrogarat nescioquis ubi scutum reliquerit. Qui respondet, nasum et uentriculum suum dum tangit digito: ‘nasum hoc corpusque scutum’. Martial. II 11, 4 ‘quod paene terram nasus indecens tangit’.

936. Priscianus GL II p. 381, 4 K ‘Lucilius “quin amplexetur qui uelit ego non sinam me amplectier”. amplexetur *περιπλεκέσθω*’. Codd LK Hertzii posteriore, GLK priore loco futurum *amplectetur*, confirmat *amplexetur* coniunctiuum metaphrasis Graeca Prisciani quae simul ostendit sententiam esse perfectam et *quin* similiter adhibitum atque lib. XIV u. 359. Amplectier propter formam in exitu uersus erit collocandum: uerba omnia cum sint sana, senarios constituemus potius quam septenarium claudum et elumbem qualem constituit Muellerus ‘quin amplexetur qui *uolt* ego non sinam me amplectier’: quamquam lacunosam esse sententiam erit concedendum. *amplectier* non passiuo sed actiuo sensu dictum est: excidit ueluti ‘te hic in uia’.

938. Varro de lingua Latina libro VII 47 ‘Apud Lucilium “*quidem* thinno capto *corium* excludunt foras” et “occidunt, Lupe, saperdae te et iura siluri” et “sumere te atque amian” piscium nomina sunt eorumque in Graecia origo’. Excerpta Varronis de piscibus apud Lucilium facta esse uidentur secundum ordinem librorum chronologicum (uide prolegg. p. LIII): fragmentum primum pertinet ad libros XXVI—XXIX, alterum ad librum I (u. 54), tertium numeros exhibet dactylicos, cum sit sententia imperfecta. In u. primo recte O. Muellerus *cobium:* simile est Aristippi apopthegma Diog. Laert. II 67 *Διονυσίου δὲ προσπτύσαντος αὐτῷ, ἠνέσχετο· μεμψαμένου δέ τινος, εἶτα οἱ μὲν ἁλιεῖς, εἶπεν, ὑπομένουσι ῥαίνεσθαι τῇ θαλάττῃ, ἵνα κωβιὸν θηράσωσιν· ἐγὼ δὲ μὴ ἀνάσχωμαι κράματι ῥανθῆναι, ἵνα βλέννον λάβω* (conf fab. Aesop. 116 H Iuuen. XI 37). — *quidem* natum ex compendio perperam soluto, uerum restituit codicis b Spengelii librarius qui exhibet *quod*.

939. Nonius ex grammatico p. 205, 29 ‘Fretum . . . masculini . . . Lucilius “*serana caecaeli* (ita Leidensis: *caecili* Guelferbytanus: *caeli* editio Iunii) *nomine* et *salis* fretus”.’ ‘Serena caeli numina et salsi fretus’ Tollius ad Auson. Vers. Paschal. 26 p. 295 edit. Amstel. 1671: qui in addendis p. 796 non recte negat uersum esse Lucilii, quod traditur apud Charisium (GL I p. 129, 6 K) ‘fretus, huius fretus Porcius Licinus (lucinni: *N m. 1* licinni: *m. 2*), ut Plinius eodem sermonis dubii libro VI refert, “salsi fretus”.’ ‘*salsi fretus*’ etiam F. Dousa scripserat in edit. Vterque poeta imitatus esse uidetur Ennium qui saepius *aequora salsa,*

mare salsum similia. Nam Lucretius II 1100 quae scripsit ex eodem auctore sumpsit ‘nubibus ut tenebras faciat *caelique serena* concutiat sonitu’: conf Cato de agr. cult. 156, 3 ‘postea ponito pocillum in sereno noctu’. Similiter neutrum pluralis Ennius posuerat in Andromed. 95 R ‘quae caua caeli signitenentibus conficis bigis’ Melanipp. 251 R ‘lumine sic tremulo terra et caua caerula candent’: conf Verg. Aen. IV 451 ‘caeli conuexa tueri’: Lucret. I 340. Itaque opus non erit scribere cum Lachmanno *momina*, cum Muellero *lumina*: *numine* posuimus cum Arati exordio similia protulisse poetam putemus: ‘impleta caelitum serena caeli numine et salsi fretus terraeque uastae’.

940. Nonius ex grammatico p. 107, 31 ‘Eugium, media pars inter naturalia muliebria. Lucilius *in epodis hymnis sine eugio ac destina*. Laberius in Centonario (25 R) “quare tam arduum ascendas? † au concupisti eugium scindere?”’ Idem Nonius p. 490, 20 ‘Deliritas, deliratio. Laberius (138 R) “quaenam mens, quae deliritas uos subpolitoris facit † cum cano eugio puellitari?”’ *In epodis* deleuerunt ut glossema et Lachmannus et Muellerus cum statuant librarium *hymnis* male intellexisse et enarrasse illo glossemate. Tamen praestat uerba *in epodis* si facile fieri poterit emendare quam tollere. Numeri sunt aperte aut iambici aut trochaici agiturque de meretrice a lenone redimenda: Plaut. Epid. 487 ‘is ipse hanc destinauit fidicinam’ Pers. 667 ‘qui *hanc* non properes destinare’ (uide ad lib. XXIX u. 893). — *eugium* uocabulum praeter locos s. s. non inuenitur. Auctionem fieri meretricum suspicatur Ribbeckius CRF ed II p. XXII qui proponit ‘Hymnis sine eugio: Age, destina’: at offendimur uocabulo spondiaco in pede quarto. Recte si senarios constituimus, de Hymnide compluribus saturis egerat poeta: et septenariis et herois uersibus eam celebratam fuisse demonstrant lib. XXIX uu. 888. 894 et incert. u. 1193. Insanus es, si est utroque loco solida nata Hymnis ac destinas.

Dubia.

942. Probus de nomine excerpta GL IV p. 212, 10 K ‘Nasus hic an hoc nasum? antiqui neutraliter dicebant. itaque *Lucretius* “nasum *diductius* quam *pandius* paulo uellem”. qui nunc masculino genere dicitur. nam Cicero (de nat. deor. II 143) “nasus itaque, qui diductus est, quasi murus oculis interiectus esse uideatur”.’ Cicero scripsit: ‘nasus itaque locatus est, ut quasi murus’ e. q. s.: unde non mirandum est in uerbis antecedentibus item grammaticum turbas fecisse. Adnotat Keilius ‘*nasus* nec masculino nec neutro genere in Lucretii libris legitur. sed Lucilii exemplis neutraliter dici probant Nonius p. 215 et gramm. de

nom. dub. gen. u. *nasum*’ (GL V p. 584, 24 K: conf lib. VII u. 267 XXII u. 582 incert. u. 935). Quare nihil probabilius quam Lucilii esse uerba illa, sed corrupta. Scribendum est *deductius*: Ael. Lamprid. Diadum. 3, 2 ‘puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flauo, nigris oculis, naso deducto’ Sueton. August. 79 extr. ‘nasum et a summo eminentiorem et ab imo deductiorem’ (Imhoof-Blumerus Portraetkoepfe auf roem. Muenzen d. Rep. u. Kaiserzeit ed II Lips. 1892 tab. I 7). Deducto naso qui pulcher habetur contrarius est nasus pandus uel rostrum pandum qualem habent delphini et apri (Ouid. metam. III 674 ‘lati rictus et panda loquenti naris erat’ X 713 ‘excussit pando uenabula rostro’ uide ad lib. V u. 212). *Pandus* uocabulum quod etiam Vitruuius adhibet ex uulgari sermone sumptum II 9, 12 p. 58, 13, ante Lucilium quis usurpauerit, nescio. Numeri sunt iambici: uerba ‘nasum deductius’ exitum senarii exhibent legitime facti. ‘nasum rectius’ Lucilius dixit XXII u. 582. — *si* inseruimus post *pandius*. Insanus essem, si uellem ea quae natura mihi dedit neque possunt corrigi, mutari.

XXVI—XXIX.

944. Priscianus GL II p. 379, 16 K ‘Lucilius “a me auxiliatus *si est*” passive, *βοηθηθείς*’. Idem p. 567, 17 ‘Auxilior, auxiliatus, *βοηθήσας καὶ βοηθηθείς*. Lucilius ‘a me auxiliatus *et*’. sic et amplector amplexus *καὶ περιπλακεὶς καὶ περιπλεχθείς*’. Ita codd GLK, reliqui omittunt *et*: Quicheratius ap. Corpetum p. 253 *siet*, *sies* nos: quod si uerum est, hemistichium aut septenarii aut senarii est pars post caesuram legitimam.

945. Nonius ex grammatico p. 195, 4 ‘Cima neutro, ut Lucilius “asparagi *molle set* (sed *G*) uirde (*ita solus Leidensis m. 1: uiride reliqui*) cima”. feminino Cornelius Celsus, etsi minoris auctoritatis, posuit “laetam formosamque cymam”.’ Codicis L testimonium qui *uirde* exhibeat noluimus neglegere: *ardum* Lucilius lib. XXVII u. 733, *uirde* (*uirdem* cod) oleum Cat. de agr. cult. 145, 3 quem locum adfert Heraeus ad Append. Prob. 201 ‘uiridis non uirdis’ archiu. lexicogr. Lat. XI 1900 p. 329, *reuirdescent* auct. ad Her. IV 34, 45 extr.: conf indic. gramm. s. u. *syncope*. — *cuma optima* recensetur in edicto Dioclet. 6, 11 ubi uide Bluemneri adnot. p. 84, Graece ibi dicitur *ὅρμενος*.

946. Nonius ex grammatico p. 17, 15 ‘Manducones, qui manduci dicti sunt et mandones, edaces. Pomponius Pictoribus (112 R) “Magnus manducus camillus canterius”. Lucilius “atque omnes mandonum gulae”. Varro Bimarco (53 B) “magna uti

tremescat Roma et magnae mandonum gulae".' Vocabulum *mando* proprie est Lucilianum: ex Lucilio sumpsit Varro uersus exitum.

947. Probus instit. art. GL IV p. 67, 31 K de austerus et austeris forma 'nunc cum dicat Lucilius "austerissimarum herbarum sucos exprimebat" utique iam "hic" uel "haec austeris", non "hic austerus" facere demonstratur'. Non est quod dubites de auctore huius uersus quem septenarium esse si reuera est Lucilii consentaneum est nisi quod ultimum uocabulum mutauerat grammaticus: iure ita iudicari euincit iusta quae euadit uersus caesura. Suspiceris Lucilium scripsisse *exprimeret* ⟨*uafer*⟩ et egisse de medico qui absinthia tetra porrigit aegrotantibus. Comparauit iam Stowasserus stud. Vindob. IV 1882 p. 135 Petron. 88 'itaque herbarum omnium sucos Democritus expressit' qui περὶ χυμῶν scripserit Diog. Laert. IX 46 Theophrast. de caus. plant. VI 1, 6. Superlatiuum *austerissimus* adfert Neuius de formis l. Lat. II edit. III p. 189 ex Scribonio Largo 142 Gargilio p. 193, 3 Rosei aliis.

948. Nonius p. 94, 5 ex grammatico 'cocsendicas, coxas (ita *Guelferb.* cocsendica coxa *Leid.*) Lucilius "*caput colos temtatur* (temptatur *Guelferb.*), truncus sustinetur *a cocsendicibus*".' Tractauit hunc uersum Godofredus Hermannus in praef. ad Plauti Bacchides p. V, qui contulit Isidor. orig. XI 1, 72 'Truncus media pars corporis a collo usque ad inguina. de quo Nigidius "caput collo uehitur, truncus sustinetur coxis et genibus cruribusque".' Conf Swoboda de Nigidio p. 130. Scripsit Hermannus: 'Collo caput sustentatur truncus sustinetur coxendicibus'. Hermanni lectionem probauit Lachmannus. Muellerus in commentario apud Nigidium legi auctor est *sustentatur*, ideo quod cod Isidori Guelferb. habet *sustentetur*, cum habeant *sustinetur*, *sustenetur* reliqui; idem apud Lucilium deleuit ut glossema uerba *sustinetur a* et scripsit 'caput ⟨*ut*⟩ collo sustentatur, truncus coxendicibus'. Ego Lachmanni editionem sequi malui, quamuis legitima careat uersus caesura: qua in re septenarius iste minime est singularis (uide indicem gramm. s. u. *septenarius*). Verba *collo caput* cum sint aperte transiecta, hoc loco iterum traicere suo iure aliquis possit ut scribatur 'c. c. sustentatur, sustinetur truncus coxendicibus'. Similem sententiam protulit poeta lib. IV u. 161 seq.

950. Seruius ad Aeneidos I 181 'Anthea si quem' . . . 'Aut certe "quem" uacat, ut superius diximus istas frequenter uacare particulas. ut ipse Vergilius (X 861) "Rhebe diu, res siqua diu mortalibus ulla est". nemo enim dicit "siqua ulla", sed "si ulla": uacat ergo "qua". item in Lucilio "*et quem* Pamphilum quaeris", "*quem*" uacat: nam de uno loquebatur'. Adnotat Lachmannus: 'Haec non uidentur esse Lucilii, sed Terentii, ex Hecyra (804) V 3, 6, *hospitem ecquem Pamphilum Hic habes?*'

Neque tamen est cur cum Muellero uerba Lucilii esse negemus qui edit. p. 168 confirmet esse ea Caecilii. Nam quod scripsit Terentius Andr. 344 'o Pamphile, te ipsum quaero', quem locum adfert Muellerus, non magis efficit ut Lucilio uerba illa tribuere nequeamus quam Hecyrae locus ille quem attulit Lachmannus. Scribendum apud Seruium '"ecquem Pamphilum quaeris" *ecquem* uacat'.

952. Gellius I 3, 18 '"Contra patriam", inquit Cicero, "arma pro amico sumenda non sunt". Hoc profecto nemo ignorauit et priusquam Theognis, *quomodo* (quam *uel* quod *codd*) Lucilius ait, nasceretur'. Comparauit Dousa Plutarch. cum princip. esse philos. 2 p. 777 C τὸ δὲ λέγειν ὅτι δύο λόγοι εἰσίν . . . ἕωλόν ἐστι καὶ ὑποπιπτέτω τῷ τουτὶ μὲν ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι (CAF III p. 495 K). Versus uidetur fuisse septenarius: 'hoc priusquam nasceretur Theognis omnes nouerant'. *Theognis* disyllabon ut *Cleostrata Theotimus* semper trisyllaba apud Plautum, *priusquam* eadem uersus sede positum lib. XXVI u. 642.

953. Lactantius instit. VI 18, 6 I p. 547, 19 Brandt. 'Itaque uiator ille uerus ac iustus non dicet illud Lucilianum "homini . . . meum".' Versus partem post caesuram quae legitur sumpsit ex Terentii Heautont. 549 'tanto hercle melior. ‡ Non est mentiri meum'. Homini amico et familiari hendiadyoin Lucilianum, sicuti hostem atque inimicum incert. u. 1334.

954. Nonius p. 67, 4 'Praeficae dicebantur apud ueteres quae adhiberi solent funeri mercede conductae. . . . Lucilius lib. *XXII* "mercede . . . magis".' Libri XXVII esse fragmentum satis probabiliter iudicat Lachmannus ita ut *V* ante II in libri numero apud Nonium exciderit. Comparauit Corpetus Horat. art. poet. 431 seqq. 'ut qui conducti plorant in funere dicunt et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic derisor uero plus laudatore mouetur' unde Muellerus *ut* posuit initio uersus prioris. Conf Fab. Aesop. 369 Halm. πλούσιος δύο θυγατέρας ἔχων τῆς μιᾶς ἀποθανούσης θρηνούσας ἐμισθώσατο. τῆς δὲ ἑτέρας παιδὸς λαλούσης 'ὡς ἄθλιαι, εἴγε αὐταὶ ὧν ἐστι τὸ πάθος θρηνεῖν οὐκ ἴσμεν, αἱ δὲ μηδὲν προσήκουσαι οὕτω σφοδρῶς κόπτονται καὶ κλαίουσιν', ἡ μήτηρ ἔφη· μὴ θαύμαζε, τέκνον, εἰ αὗται οὕτως θρηνοῦσιν· ἐπὶ γὰρ ἀργυρίῳ τοῦτο ποιοῦσιν. Sumpsit Nonius ex grammatico.

956. Donatus ad Terentii Andriam V 4, 11 'Metuo ut substet hospes. Ut, ne non. Lucilius "*tuam* ut memoriam retineas".' tuam *AV*, tu iam *BTC*, metuam *Bentleius*. Septenarii est pars prior.

957. Seruius ad Aeneidos X 564 'tacitis regnauit Amyclis'... 'unde tacitae Amyclae dictae sunt quod periere silentio. hinc est quod ait Lucilius "mihi necesse est *loqui: nam scio Amyclas tacendo perisse*".' Fabulam de Amyclis Latino oppido quod silentio

perierit qui post Vergilium memorant (conf Otto de prouerbiis p. R. p. 24), ii omnes ex Vergilio scholiisue Vergilianis suam sumpserunt scientiam. Memorauit ante Vergilium Afranius (274 R) togatarum scriptor 'deliberatum est non tacere ⟨*me*⟩ amplius: Amunclas (amyclas cod) ⟨*enim*⟩ tacendo periisse audio': quo in uersu quod Hertzbergius posuit *Amunculas* ideo displicet, quod eiusmodi formam in exitu uersus potius poni oportet et particulam *enim* quam Hermannus addidit sententia efflagitat. Oppidi nomen *Amunclas* fuisse testatur Plin. nat. hist. VIII 104 (Solin. II 32). Errare Seruium et Afranii illud esse fragmentum cuius uerba pessum dederit grammaticus contendit Ribbeckius l. s. s. Tamen quid probabilius, quam et oppidi positi in Auruncis et prouerbii Latini uel fabulae domesticae meminisse praeter togatae scriptorem etiam poetam Auruncum? Amunclae nomen apud Lucilium ponere nolui: legerat enim doctus poeta historicorum libros qui oppidum a uetere Laconum oppido originem traxisse enarrauerint. Plaut. Asin. 23 'iurato mihi uideo necesse esse eloqui quicquid roges'. Menaechm. 117 'portitorem domum duxi ita omnem mihi rem necesse eloqui est' quae exempla patefaciunt suum et proprium Lucilii uersibus esse sermonem ab Afranio multum diuersum. In altero uersu hiatum sciens admisi: 'nam sciŏ Ămyclas tacendo periisse ⟨antiquum oppidum⟩': sicuti Naeuius CRF 110 'uno ab amica abduxit' alii.

959. Glossarium CGL II p. 131, 61. 62 'muttonium *προβασκαντον. λουκιος* (*προβασκάνιον λουκίλιος* editt) muttonius *προβασκάνιον*' p. 132, 5 'mutonium *πρόσθεμα*' (III p. 351, 46 'mutunium *πέος*'). muttonius ut lenonius fullonius a mutto (lib. VIII u. 307), muttonium pro substantiuo uidetur fuisse positum et significasse moetinum quod lib. II u. 78 memoratur signum. Vocabulum probabile est fuisse positum in septenarii uel senarii exitu ubi ueluti *lenonius* similia plerumque ponuntur apud Plautum, apud Lucilium ueluti *Vulcaniam*; reuera in inscriptione Pompeiana exit septenarius 'sceptrum pro mutunio' CLE I p. 109, 231 B: quae inscriptio quod incipit 'fueere quondam Vibii opulentissimi' prouerbii loco antiquitus uidetur fuisse tamquam illud *ἦσάν ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.*

960. Paulus ex Fest. p. 311 'Sub uitem proeliari dicuntur milites, cum sub uinea militari pugnant. Lucilius "neque prodire in altum proeliari *procul sub uite*".' Festus p. 310, 6 '—— ri dicuntur —— militari pug —— que prodire —— *ul sub uite*'. Septenarium restituit Scaliger: 'neque prodire in altum proeliari sub uitem procul', senarios Lachmannus alii: 'nequeunt prodire in altum proeliarier procul sub uite'. Scaligerum secuti sumus, quod uersum integrum attulisse Verrium probabile est, deinde quod septenarios afferri pro portione proba-

bilius quam senarios. Sermone castrensi utitur poeta qualis est *prodire in altum, proeliari sub uitem procul.* Procul proeliari posteriore aetate est *eminus pugnare* (Caes. b. c. I 26, 1). — *sub uitem* scripsimus secundum lemmata Pauli et Festi et illud quod antecedit *sub uitem hastas iacere* et quod sequitur Pauli *sub uineam iacere.* Milites per iocum *uineam* appellabant *uitem*, contra uitem centurionis *uineam:* conf Fest. et Paul. l. s. s. 'sub uineam iacere dicuntur milites cum astantibus centurionibus iacere coguntur sudes'. Conf ad incert. u. 1349.

961. Priscianus GL II p. 338, 2 K 'Naeuius neutraliter hoc Samnite protulit in carmine belli Punici. ad cuius similitudinem debet "hoc dite" dici. . . . Lucilius tamen "*ὠμοτριβὲς* oleum Casinas" pro Casinate'. Oleum agri Casinatis ut optimum commendauit Varro rer. hum. XI ap. Macrob. Saturn. III 16, 12 quem locum attulit Dousa. '*Flos olei*' quod appellatur in edicto Diocletiani III 1 oleum optimum et pretiosissimum Latine, idem ibi Graece est *ἔλαιον ὀμφάκινον*: quod ex olea adhuc inmatura fieri docet Plinius nat. hist. XII 130 XV 9. Idem oleum Graece dicitur *ὠμοτριβές* (Bluemnerus ad ed. Diocl. p. 71. 72) quod commemorat Theophrastus fragm. IV 15 *ἐπεὶ καὶ τῷ ἐκ τῶν ἐλαιῶν μάλιστα χρῶνται τῷ ὠμοτριβεῖ τῆς φαυλίας.* Septenarii partem esse uerba ante caesuram posita euincit *Casinas* adiectiuum de cuius mensura constat Silii uersibus IV 227 XII 527: *ὠμοτριβής* in uersu ponitur ut *οἰκοτριβής* ap. Athen. X p. 432 F.

962. Donatus ad Terentii Adelphos III 1, 8 'E re nata. Sic proprie dicimus de his quae contra uoluntatem nostram acciderunt, ut nunc uitium uirginis. ergo e re nata, ex uitio uirginis. sic Lucilius "puer hic e re nata (*here nata* Leidensis) *sic eius dedit haud malus est*". Et sic maluit dicere' e. q. s. Numeri uidentur esse trochaici, septenarii caesuram fieri post *e re nata* conicias, *haud malus* in exitu uersus positum fuisse ut Plaut. Rud. 35 (haud malam 337; Terent. Adelph. 479 'hic Geta, praeterea, ut captus est seruorum, non malus neque iners': nempe in seruili persona describenda sollemnis uidetur fuisse talis litotes ueluti lib. XXII u. 579 'seruus neque infidus domino neque inutilis' ad Herenn. IV 51, 64 extr. 'seruulus non inurbanus'). *est* propter sequens *et* male repetitum a librario. — *e re nata* Apuleius metam. IV 14 med. V 8 med. — *sic dedit*, sic dixit, ut lib. XXVIII u. 758 XXX u. 1036. — *eius* iambicum: conf interpretes ad Terent. Phorm. 113. 185 Luchsius Studemundi stud. I p. 346 Dziatzko ad Heaut. 551. *hic* aduerbium.

963. Festus p. 273, 9 'Redarguisse per e litteram Scipio Africanus Pauli filius dicitur enuntiasse; ut idem etiam pertisum. cuius m̄. (*meminit*) Lucilius, cum ait "quo facetior uideare et scire plus quam cęteri pertisum *hominem* non pertaesum dicere

ferum nam genus".' Idem p. 217, 5 '*Pertisum* di ——— qui Pau ———' Pauli epit. p. 216 'pertisum pro pertaesum dixerunt' p. 72 'distisum et pertisum dicebant' e. q. s. Cic. or. 159 'ex quo quidam pertisum etiam uolunt, quod eadem consuetudo non probauit'. Quintil. I 7, 25 'uortices et uorsus ceteraque in eundem modum, quae primus Scipio Africanus in e litteram secundam uertisse dicitur'. Scipionis loquendi consuetudinem Lucilio non utique placuisse testantur passim Nonii codd (conf indicem gramm. s. u. *orthographia*) qui praebeant *exaduorso* similia: quam Scipionis loquendi consuetudinem hoc loco poeta impugnat facete. Scipionis meminerat ut uiri doctissimi libro ut uidetur XXVI u. 594: uide lib. XXVII u. 688. Versus alterius exitus est corruptus: e litteris '*dicere ferum nam genus*' Lachmannus effecit '*dicere aerumnamst opus*', ita ut personalis sit constructio uerbi *pertisum*, alii alia. Ego scripsi 'dicere humanum genus', pro *hominem* genetiuum arbitror pluralis esse restituendum: sicuti Scipio similiter ap. Macrob. Saturn. III 14, 7 scripsit 'quod me reipublicae maxime miseritum est'. Sententia igitur imperfecta est et antecedebat uelut 'debes tamen'. Locus sumptus esse uidetur ex oratione Scipionis in qua homines descripserat turpissimos et perditos, utpote quorum dudum taedeat genus humanum.

965. Paulus ex Festo p. 276, 7 'Remeligines et remorae a morando dictae. . . . et Lucilius "*quae*nam uox ex te resonans meo gradu remoram facit".' Festus p. 277, 5 '. . . . . meo gr. . . . . . .' Verba ex tragoedia sumpta sunt: *ex tete* resonans Muellerus, *extemplo* resonans Lachmannus, *ex tecto* Bergkius, *ex aede* Ribbeckius praef. edit. TRF II p. LXXI qui nouum adfert testimonium A. Mai class. auct. VIII 355: unde tamen nihil ad emendationem potest acciri. Ego sedem corruptelae indicaui in uoce *quaenam:* nam expectes non *quae* sed *qualis* pronomen. Ergo *quoianam* restituendum: ita enim locuntur ueteres scaenici: Plaut. Rud. 229 'quoinam uox mihi prope hic sonat?' 332 'quoia ad auris uox mi aduolauit?' Bacchid. 979 'quoianam uox prope me sonat?' Trin. 45 'quoia hic uox prope me sonat?' Curc. 113 'quoia uox sonat procul?' 229 'quoiam uocem ego audio?' Merc. 864 'nescio quoia uox ad aures mi aduolauit' ubi codd modo recte, modo *cuia*, modo *quia, cui*.

966. Seruius auctus ad Aeneidos VI 1 '. . . classis dicitur uel quod fiat de fustibus. cal*as* (*ita Stephanus:* cales *uel* kales *codd*) enim dicebant maiores nostri fustes quos portabant serui sequentes dominos ad proelium; unde etiam calones dicebantur. nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret, ipse uallum. uallum autem dicebant calam; sicut Lucilius "scinde calam ut caleas", id est "o puer, frange fustes et fac focum". inde ergo classem dictam dicunt. alii' e. q. s. Paul. Fest. epit. p. 45, 16 'cacula . . . dicitur autem a Graeco κᾶλον, quod fustibus clauisque ligneis ad tutelam dominorum armari soliti sint'. p. 46, 15 'calones calcei ex ligno facti' p. 62, 8 'calones militum serui dicti, qui ligneas clauas gerebant, quae Graeci κᾶλα uocant' = Non. p. 62, 16. Conf Loewei Prodr. gloss. p. 322. Vocabulum Lucilii *calam* priorem habere productam inde probabile fit, quod a grammaticis comparatur cum *calones* et κᾶλα Graeco: quo de uocabulo conf Herwerdeni lex. Graec. supplet. et dialect. s. u. p. 416: reuera esse uocabulum Graecum inde colligas quod Hesychio teste similiter atque Lucilius dixit *scinde calam* apud Graecos dicebatur καλοκοπῆσαι pro ξυλοκοπῆσαι. Verba septenarii sunt particula: sermo castrensis.

967. Puerorum sectatorem cum scarabaeo stercorario comparat poeta: uide ad incert. u. 1186. Qui feles pullaria dicitur cum sit παιδοκόραξ (AP XII 42) secundum Plauti exemplum qui alia ratione lenonem appellauit 'felem uirginariam' Pers. 751 (Rud. 748). De *pullarius* conf Friedlaenderus ad Petron. 43 extr. Quod dicitur 'peruersae Veneris postico uolnere (ita cod Magliabecchianus, *uulnere* Tilianus) fossor', id uidetur Ausonius scripsisse ad imitationem Sallustii historiarum (III 98, 20 p. 152 Maurenbr.) qui de stupris illatis a fugitiuis 'contra praeceptum ducis rapere ad stuprum uirgines matronasque: et alii (*desunt duo uersus*) . . . nunc restantes et eludebant simul nefandum in modum peruerso uolnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes'. Lucilii uerba uidentur fuisse 'subpilo' id est qui pueros pilosos subuellit glabrorum amator (de subuello uide ad lib. VII u. 264, de glabellis conf ueluti Senec. epist. 47, 7), 'pullo', 'premo' (*premor* codd). In quibus *subpilo* dictum et *premo* ut illa *comedo combibo mando* quae nouauit Lucilius, *appeto erro calcitro* alia, *pullo* pro *pullario* positum ut *trico catillo* ab eodem, *cachinno* Persius, *Stilo* appellabatur Aelius, alia. Dea *Prema* est concubitus ap. Augustin. de ciuit. d. VI 9 uol. I p. 291, 25 Hoffmann. Versum Lucilii septenarium fuisse probabile redditur *subpilo* nomine cretico: scripseris 'subpilo, pullo premoque' ita ut iusta septenarii euadat caesura. Nouit Ausonius uocabula Luciliana ex Horatii uel Persii aliquo commentario sicuti Mosell. 245 et 298 aperte Ennii uersus imitatur usus commentariis Vergilianis.

Dubia.

968. Placidus CGL V p. 58, 39 'Cordipugis uersibus litteris corda pungenti⟨bu⟩s': Lucilio tribuit Baehrensius 943: uide ad incert. 1222. Exitus uidetur esse septenarii uel senarii: *tristibus dictis* lib. XXX u. 1014 de uersibus saturae, i. e. θυμαλγέσιν.

969. Nonius p. 274, 22 'Conducere, utile esse * * * solus

uero soli quid re et *quaesti* conducat suo'. *quaestu* edit. princ. Scripsit Muellerus 'solus uero scit quid re atque quaestu c. s.' et Lucilio uersum tribuit. Illud parum probabiliter fecit, cum *solus soli* dictum sit et legitimo ordine uerborum de quo uide A. Kiesslingium Mus. Rhen. XXIII 1868 p. 411 seqq. E. Kellerhoffium in stud. Studemund. II p. 58. 59. Quo in ordine Graecorum morem secuti sunt Latini quem Lobeckius exposuit ad Sophoclis Aiacem u. 467. Sophocl. Aiac. 1283 *Ἕκτορος μόνος μόνου . . . ἦλθ' ἐναντίος* Euripid. Med. 513 *σὺν τέκνοις μόνη μόνοις* Xenoph. Cyrupaed. VI 1, 36 *μόνος μόνῳ ἔλεξεν* Demosth. de cor. 137 *μόνος μόνῳ συνῄει* Plaut. Asin. 500 'solus mihi talentum argenti soli adnumerauit' Capt. 602 'solus te solum uolo' Trin. 153 'id solus solum — me opsecrauit' Ter. Hec. 557 'solus solum conueni' 350 'omnem rem narrabit scio continuo sola soli' (Eunuch. 579 Plaut. Mil. 1019). Excidit igitur aut septenarius unus una cum nomine poetae quo uerbum finitum positum erat aut quod probabilius sequebatur uersus qui compleuerit sententiam omissus a Nonio.

XXX.

Liber XXX primus est qui totus conscriptus sit herois uersibus, scriptus, ut uidetur, ante Scipionis mortem. Quinque arbitror me dignoscere saturas: quarum prima (u. 970—1007) agitur de bello Numantino et Palantino, de mulierum ingenio et moribus, altera (1008—1038) ad poetam comicum (u. 1029) missa saturae suae rationem defendit contra iniquos quam imitatus est Horatius serm. I 4 omnium nobilissimam; tertia (1039—1059) iterum agitur de mulieribus et de nuptiarum et matrimonii molestiis, quarta (1060—1077) exorditur a cenae sordidae enarratione, tractat uini cibique usum iustum et laudabilem, quinta (1078—1098) missa uidetur ad N. Caelium poetae amicum (1079): agitur de bello Numantino, de nouis legibus, de sociorum querelis. Peculiarem de lib. XXX scripsit dissertationem Ianus Guilielmus Verisimilium libri tres Antuerp. 1582 lib. II cap. 1 p. 34 seqq. Monobyblon lib. XXX fuisse spatio temporis aliquo inter libros antecedentes et lib. XXX interiecto qui editus fuerit intellegitur u. 1013: uide prolegg. p. XXXV. CVI.

970. Nonius p. 275, 2 'Concelebrare, † diuamare (*diffamare* Lipsius), dictum a celebritate. Lucilius lib. XXX "multis . . . concelebrarunt".' De fabula quadam, quam in tonstrinis et ad lacus uulgo narrabant incipit poeta: eodem modo incipit fabulam lib. II u. 55. *multis indu locis* uidetur esse Ennianum.

971. Nonius p. 382, 21 'Rumpere, defetigare. . . . Lucilius lib. XXX "quae quondam populi *oris aures* pectora rumpit".' 'populi risu res pectora rumpit' Maduigius: conf Hor. ep. II 2, 84 'plerumque et risu populum quatit'. Aliter Lucret. III 297 'leonum, pectora qui fremitu rumpunt'.

972. Nonius p. 462, 27 'Bonus et fortis et pius dici potest. Lucilius lib. XXX "caluus *pallantino* quidam uir *nobilis* bonus bello".' Recte Mercerus edidit *Palantino — bello:* una l littera nomen scriptum exhibet tessera hospitalis in Dessauii sylloge 6096 CIL II suppl. 5763 (Herm. V 1871 p. 372) Mela II 88 Plin. nat. hist. III 26 secundum codd meliores Appian. b. c. I 112 Oros. V 23, 6 alii. Spectat poeta bellum Palantinum quod mala fortuna et turpiter gessit M. Aemilius Lepidus cos. 617/137 de quo traditur Appian. Iber. 80—82: neque enim proelia illa quae facta sunt cum Palantinis in bello Numantino (de quibus idem refert l. s. 88) potuit poeta dicere 'bellum Palantinum'. Sed legati senatus ap. Appian. l. s. 81 *τὴν βουλὴν ἔφασαν ἀπορεῖν εἰ . . . ὁ Αἰμίλιος πόλεμον ἕτερον ἀρεῖται . . . ὃ δὲ ἀρξάμενος ἤδη τοῦ πολέμου κτλ.* Archetypus Nonii habuit *nōbonus* unde corrupta illa *nobilis bonus* sunt exorta: *non bonus* primus posuisse uidetur Guietus. Legio 'quae tum fuit optima bello' Lucan. VII 218, Liuius ap. Seruium auctum ad Aen. I 456 'magisque in proelio quam bello bonus' idem IV 3, 16 'pace belloque bonus' Vergil. georg. II 447 'et bona bello cornus'. Forma 'Pallantino' seruata lacunas statuit Stowasserus Stud. Vindob. V 1883 p. 130 qui de uulgata editorum lectione *Palatina* quae Fruterii erat scriptura reicienda recte iudicauit. Quem hominem dicat poeta, non apparet.

973. Nonius p. 285, 6 'Durus, nocens. . . . Lucilius lib. XXX "et saeuo *ut* duro . . . hostis".' Idem p. 388, 15 'Saeuum dicitur inmite. . . . Lucilius lib. XXX "et . . . hostis".' 'gladiator optimus multo' lib. IV u. 151. Genus belli erat saeuum et durum, hostis multo fortissimus et maxime strenuus: Cic. pro Balb. 2, 5 'hunc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello . . . fuisse'.

974. Nonius p. 371, 26 'Praestat, utile est. . . . Lucilius lib. XXX "uti pecudem *tu* asinumque (asimumque *G*) ut *dentique* nasci praestiterit".' Spectat poeta Menandri claros uersus positos in Theophorumena fabula CAF III p. 63 K: *εἴ τις προσελθών μοι θεῶν λέγοι· 'Κράτων, ἐπὰν ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσει· ἔσει δ' ὅτι ἂν βούλῃ, κύων, πρόβατον, τράγος, ἄνθρωπος, ἵππος· δὶς βιῶναι γάρ σε δεῖ· εἱμαρμένον τοῦτ' ἐστίν, ὅτι βούλει δ', ἑλοῦ'· ἅπαντα μᾶλλον, εὐθὺς εἰπεῖν ἂν δοκῶ, ποίει με πλὴν ἄνθρωπον· ἀδίκως εὐτυχεῖ κακῶς τε πράττει τοῦτο τὸ ζῷον μόνον . . . ὄνον γενέσθαι κρεῖττον ἢ τοὺς χείρονας ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον.* Asinus dicitur miserrimum animalium omnium ap. eundem

l. s. p. 158: *ἅπαντα τὰ ζῷ' ἐστὶ μακαριώτερα* (*μακαριώτατα* codd: em Grotius) *καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ. τὸν ὄνον ὁρᾶν ἔξεστι πρῶτα τουτονί· οὗτος κακοδαίμων ἐστὶν ὁμολογουμένως.* Locum priorem Menandri spectat Plutarch. quaest. conu. IX 5, 1 *ὄνον γενέσθαι κρεῖττον . . . καὶ ὁ Σῶσπις γελάσας 'ἀλλ' ἕως μέλλομεν ἐνδύεσθαι τὸ κανθήλιον, . . . δίδαξον ἡμᾶς' κτλ.* *te* Guilielmus, *tum* Baehrensius: *uti pecudem te asinumque ut*, i. e. *uti pecudem te et ut asinum:* C. Gracchus ORF ed II p. 235 M '*ut* pateremini hoc tempore me quiescere ne a stirpe genus nostrum interiret *et uti* aliqua propago generis nostri reliqua esset'.

976. Nonius p. 413, 13 'Taetrum dicitur inluuiosum, faetidum. . . . Lucilius lib. XXX "quae non *spectans* (expectans *G*) *spectandi* studio *se ad* (ita *L m. 1:* at *m. 2,* ab *G*) *hominis* (*hominibus G*) taetri inpulsu ingressus".' Scripsit Guilielmus Verisim. p. 37 'qui non spectandi studio, sed ominis tetri impulsu ingressus' qui ad apologum de leone aegroto (u. 980 seqq.) haec uerba arbitratur pertinere: quem secuti sunt Corpetus et Muellerus, sed qui *ingressast* scripsit ut debuit. Baehrensius: 'quae non spectandi studiosa, abdominis taetri impulsu ingressast'. Lachmannus Guilielmi posuit fere lectionem. Verba ad illum apologum pertinere negabit qui ut debet *ingressus* seruabit: uulpes enim minime ingreditur in speluncam et est femina. *Quae* intellegenda sunt potius loca, ueluti infera Orci: ea ingressus est ueluti Vlixes uel Hercules uel alius nescioquis non spectandi studio (uisendi studio Verg. Aen. II 63), sed *numinis* taetri impulsu: *sed* recuperandum est ex *se ad* lectione codicis L m. 1.

978. Nonius p. 274, 11 'Curatum, cum dilectu apparatum. Lucilius lib. XXX "et circumuolitant *ficetulae* turdi *curatis coci* (curatis soci *G*)".' Curare uerbum proprie est culinae: conf Donat. ad Andr. I 1, 3 'curentur recte] diligenter coquantur' Apicius IV 143 'pisces qualeslibet curatos friges' 151 'denticem, auratam et mugilem accipies, curatos subassabis . . . deinde hostrea curabis' VIII 372 'porcellum farsilem duobus generibus: curas' e. q. s. 400 'leporem curas, exossas, ornas': denique recte scribitur Apic. IV 125 'ficetulas cur⟨*a*⟩tas'. Turdi cum ficedulis una memorantur Apic. VIII 384 'turdi, ficetulae, isicia de pulpa sua'; in edicto Diocletiani IV 36 nomen Latinum periit, Graece dicuntur *συκαλίδες*, turdi recensentur IV 27, Graece dicuntur *κίχλαι*. Ante Lucilium iam duo ista auium genera una memorarat Plautus ioco illo Capt. 163 'opus turdetanis, opus ficedulensibus' unde constat de orthographia uocabuli quod recte comparatur cum *acredula monedula nitedula querquedula* nominibus et *d* littera scriptum exhibent codd Martialis Petronii Plinii Iuuenalis Gellii Varronis, qui de l. Lat. V 76 'ficedula et miliariae a cibo, quod alterae fico, alterae milio fiunt pingues'. Lucilii uerba corrupta

esse apparet in plurali *ficedulae:* Munro lacunam statuit factam esse post istud uerbum quam suppleuit uerbis *et undique*, Lachmannus *ficedula* posuit singulariter. Quem recte fecisse arbitror: idem usu uenit Varronis l. s. s., idem Lucilii lib. VI u. 252 'pluma atque amphitapoe' XXX u. 995 'lana opus omne perit, pallor, tiniae omnia caedunt' incert. u. 1315 'tum spara, tum rumices portantur, tragula porro', idem apud Graecos poetas aetatis Lucilianae: Nicand. Ther. 405 *οὐδέ τις οὐδ' οἰωνὸς ὑπὲρ νέκυν ἴχνια τείνας, αἰγυπιοὶ γῦπές τε, κόραξ τ' ὀμβρήρεα κρώζων οὐδὲ μὲν ὅσσα τε φῦλ' ὀνομάζεται οὔρεσι θηρῶν δαίνυνται* Alexiph. 182 *ὅτε ῥοιζηδὰ μέλισσαι, πεμφρηδὼν σφῆκές τε καὶ ἐκ βέμβικες ὄρειαι γλεῦκος ἅλις δαίνυνται* (Schneideri Callim. I p. 374) Cato de agr. cult. 162, 3 'nec tinia nec uermes tangent'. Descripserat hoc uersu poeta uitam similem *τοῦ ἐπὶ Κρόνου βίου*, quo tempore fertur *τὸ μέλι αὐτὸ ἐς τὰ στόματα ἐσρεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ* (Lucian. Fugit. 17), uel terram illam ubi porci cocti ambulant (Petron. 45). Qua in re secutus est ueteris comoediae Atticae poetas *ὧν εἷς ἐστιν ὁ Ἀττικώτατος Φερεκράτης, ὃς ἐν τοῖς Μεταλλεῦσί φησι* (Athen. VI p. 268 e CAF I p. 175, 22 K de uita apud inferos) *. . . τί δῆτα λέξεις, τἀπίλοιπ' ἥνπερ πύθῃ; ὀπταὶ κίχλαι γὰρ ἀναβράσει τ' ἠρτυμέναι περὶ τὸ στόμ' ἐπέτοντ' ἀντιβολοῦσαι καταπιεῖν ὑπὸ μυρρίναισι κἀνεμώναις κεχυμένοις* (*κεχυμέναι* uulgo). Vbi memorantur turdi assi et elixi u. 23 qui ap. Athen. l. s. ita legitur in cod A: *ὀπταὶ καὶ κίχλαι γὰρ εἰς ἀναβρασεις αναβρασεις ἀναβραστ' ἠρτυμέναι*, ap. Poll. VI 60 *ὀπταὶ κίχλαι δ' ἐπὶ τοῖσδ' ἀνάβραστ' ἠρτυμέναι*, lectio uulgata *ὀπταὶ κίχλαι γὰρ εἰς ἀνάβραστ' ἠρτυμέναι* debetur Meinekio: de *ἀναβράζειν κίχλας* quod aliud est atque *ὀπτᾶν* conf interpretes ad Aristoph. Acharn. 1005 Pac. 1197 Ran. 510. *κίχλαι* semper fere in eiusmodi fabulis memorantur apud Atticos ueluti idem Pherecrates Persis CAF I p. 182, 9 K *τὰ δὲ δὴ δένδρη τἀν τοῖς ὄρεσιν χορδαῖς ὀπταῖς ἐριφείοις φυλλορροήσει καὶ τευθιδίοις ἁπαλοῖσι κίχλαις τ' ἀναβράστοις* — Telecleides Amphictionibus l. s. s. p. 209, 12 *ὀπταὶ δὲ κίχλαι μετ' ἀμητίσκων εἰς τὸν φάρυγ' εἰσεπέτοντο. ἠρτυμέναι* quod legitur ap. Pherecratem idem est quod *curati* ap. Lucilium: pro *curatis* scripsi *curati os: cocti* Stowasserus Stud. Vindob. V 1883 p. 256. Descripsisse igitur Lucilius uidetur non uitam Saturno rege quae fuerit sed, sicuti fit apud Pherecratem, narrat fabulam de uita beata mortuorum.

980. Nonius p. 341, 5 'Lassum dicitur fatigatum. Lucilius lib. XXX "leonem aegrotum ac lassum".' Sequitur Lucilius eam formam apologi, quam exhibet Themistius or. XIII p. 214 Dind. *ὥσπερ τὸν λέοντα, ὃν ἐποίησεν Αἴσωπος, ἀρρωστοῦντα ἐν τῷ σπηλαίῳ ἡ κερδὼ ἐρεσχελεῖ, εἰσιόντων τὰ ἴσχνη δεικνῦσα τῶν ζῴων, ἐξιόντων δὲ οὔ.* Qui in comparatione Platonem sequitur Alcibiad.

p. 123 A: *ἀλλ' ἀτεχνῶς κατὰ τὸν Αἰσώπου μῦθον, ὃν ἡ ἀλώπηξ πρὸς τὸν λέοντα εἶπε καὶ τοῦ εἰς Λακεδαίμονα νομίσματος εἰσιόντος μὲν τὰ ἴχνη τὰ ἐκεῖσε τετραμμένα δῆλα, ἐξιόντος δὲ οὐδαμῇ ἄν τις ἴδοι*: sed fabulam ipsam copiosius narrauit ille quam Plato. Lucilium sequitur Horatius epist. I 1, 73 'olim quod uulpes aegroto cauta leoni respondit, referam: "quia me uestigia terrent, omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum".' Apud Babrium fab. 103 leo senex aetate est confectus, non reuera iacet aegrotus, sed simulat se esse aegrotum: *λέων ἐπ' ἄγρην οὐκέτι σθένων βαίνειν, πολλῷ γὰρ ἤδη τῷ χρόνῳ γεγηράκει, κοίλης ἔσω σπήλυγγος οἷά τις νούσῳ κάμνων ἐκέκλιτ'* (*ἐβέβλητ'* Suidas), *οὐκ ἀληθὲς ἀσθμαίνων*: eodem modo schol. Plat. Alcib. l. s. s. *λέων μὴ οἷός τε διὰ γῆρας θηρεύειν ὢν προσεποιεῖτο νοσεῖν* Fab. Aesop. 246 Halm. *λέων γηράσας . . . παραγενόμενος εἴς τι σπήλαιον καὶ ἐνταῦθα κατακλιθεὶς προσεποιεῖτο τὸν νοσοῦντα.*

982. Nonius p. 160, 20 'Porrigo, morbi genus. Lucilius lib. XXX "tristem . . . plenum".' Leonem describi conicit Guilielmus l. s. s. p. 37 aegritudine tristem, corruptum scabie, porriginis plenum. De porrigine Cels. VI 2, de scabie idem V 28, 16. porrigine Onionsius errore ut uidetur.

983. Nonius p. 125, 31 'Inluuies, sordes. . . . Lucilius lib. XXX "inluuies, . . . *denique spei* conscendere".' Idem p. 160, 17 'Petigo, genus morbi. Lucilius lib. XXX "inluuies . . . *denique* petigo conscendere".' *deque petigo* Fruterius, quo de uocabulo Keilius testimonia contulit ad Cat. de agr. cult. 157, 16 commentarii p. 182. Recte adnotat Lachmannus: '*Conscendere oculos*, ad oculos ex inferioribus partibus corporis ascendere puto'.

985. Nonius p. 289, 16 'Deductum, deminutum, suppressum. Lucilius lib. XXX "deducta *tunc* (*ita L m. 1:* deductat hunc *m. 2 et G*, tum *Lachmannus*) uoce leo: «cur tu ipsa uenire non uis huc?»"' Sunt uerba leonis ad uulpeculam. *deducta uoce* quid sit enarrant interpretes ad Propert. II 33, 38 'et mea deducta carmina uoce legis', testimonia collegit Macrob. Saturn. VI 4, 12 qui adfert uersus Cornificii (PRF p. 325 B), Afranii (340 R), Pomponii (57 R) 'uocem deducas oportet, ut uideantur mulieris uerba': Babrius de leone 103, 5 *φωνὴν βαρεῖαν προσποιητὰ λεπτύνων*, Vergil. eclog. VI 5 'deductum dicere carmen', ubi Seruius 'tenue, translatio a lana quae deducitur in tenuitatem'. Babr. l. s. s. 13 seqq. *χαῖρε, φιλτάτη ζῴων. τί δ' οὐ προσέρχῃ, μακρόθεν δέ με σκέπτῃ; δεῦρο, γλυκεῖα, καί με ποικίλοις μύθοις παρηγόρησον ἐγγὺς ὄντα τῆς μοίρης.* In app. cr. adde: *deductat* G.

987. Nonius p. 143, 33 'Noenu[m] pro non. Lucilius lib. XXX "sed tamen hoc dicas quid *est si noenum* molestum est".' *quid sit* Santenus, *quid rest* Lachmannus in Lucret. p. 150 init. Eleganti hoc et urbano sermone utitur uulpecula, ni fallor:

similiter Cic. Philipp. II 16, 41 'Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit' histor. Apollon. Tyr. cap. 15 extr. 'Sed si tibi molestum non est, indica mihi nomen et casus tuos': nec aliter multis ante saeculis Plautus Rud. 120 'sed, nisi molestum est, paucis percontarier uolo ego ex te' (= Poen. 50 Pers. 599) Epid. 460 'uolo te uerbis pauculis, si tibi molestum non est'. *εἰ μή τί σοι χαλεπόν* Plat. Tim. I p. 17 B.

988. Nonius p. 303, 17 'Ferre, dirigere, ducere. . . . Lucilius lib. XXX "quid . . . *ut* ad te *spectant* (expectant *G*) . . . uestigia *omnia se* prorsus (prosus *L m. 1*)".' Idem p. 402, 6 'Spectare, dirigere. Lucilius lib. XXX "quid . . . *intra*vorsus *aetate* spectent (expectent *G*) . . . *sed* omnia prorsus".' Porphyrio ad Horatii epist. I 1, 74 '"quia me uestigia terrent", Luc⟨*il*⟩iana (luciana *codd*) sunt haec. A fabella ergo Aesopia arguit inter se repugnantiam hominum, dicens beluam multorum capitum esse'. Quo tetenderit apud Lucilium fabella Aesopi, non patet: quam locupletius et copiosius narrarat Lucilius, quam omnes reliqui, qui ea usi sunt scriptores. Babr. 103, 17 *σῴζοιο, φησίν· ἣν δ' ἄπειμι, συγγνώσῃ· πολλῶν γὰρ ἴχνη θηρίων με κωλύει ὧν ἐξιόντων οὐκ ἔχεις ὃ μοι δείξεις.* Cautior quam leo Aesopi Mercurius est hymn. Homerici in Merc. 76 Cacus ille ap. Vergil. Aen. VIII 207 Propert. IV 9, 11 Ouid. fast. I 550 qui 'auersos cauda traxit in antra boues ne qua forent pedibus uestigia rectis'. — *et ad te* recte Iunius. — Orthographiam Lucilii intro *uorsus* utroque loco seruarunt codd Nonii sicuti exaduorso lib. XXIX u. 846: uide indic. gramm. s. u. *orthographia.*

990. Nonius p. 350, 24 'Manicae, quibus manus vinciuntur. Lucilius lib. XXX "sic . . . est".' Agitur de amoris laqueis: Apul. met. II 5 'serit blanditias, inuadit spiritum, amoris profundi pedicis aeternis alligat'. Aristophanes CAF I p. 556, 666 K *τοὺς κόσμους καὶ τὰς ἐσθῆτας, αἷς χρῶνται αἱ γυναῖκες καλλωπιζόμεναι, παγίδας . . . εἶπεν.* AP V 55, 3 *γλῆναι λασίαισιν ὑπ' ὀφρύσιν ἀστράπτουσαι σπλάγχνων ἡμετέρων δίκτυα καὶ παγίδες*: *παγίς* nominatur cognomine meretrix ap. Lucian. dial. meretr. 11, 2 initio, meretrices dicuntur *παγίδες τοῦ βίου* Amphid. CAF II p. 243, 4 K. AP XI 52 *σαγηνευθεὶς ὑπ' ἔρωτι* Heliod. I cap. 9 *οἷς ἅπασιν ὁ πατήρ μου σαγηνευθεὶς ὅλην ἐκείνην καὶ ἔπνει καὶ ἔβλεπεν.* Vide indic. gramm. s. u. spondeiazontes.

991. Nonius p. 35, 31 'Discerniculum, acus quae capillos mulierum ante frontem diuidit, dicta a discernendo. Lucilius lib. XXX "euplocamo . . . capillo".' Agitur de rebus pretiosis quas parare oportet maritum matronae uel amatorem mulieri (Plaut. Trucul. 52 seqq. Lucret. IV 1125 seqq.): aurum nunc debet grandesque parare zmaragdos euplocamo digitis, discerniculumque capillo quale descriptum est ab E. Lovatellia Mitteil. d. arch. Inst.

z. Rom XVI 1901 p. 383. Datiuus est *euplocamo,* uocabulum simili modo adhibitum quo *calliplocamos callisphyros* lib. XVII u. 540. Conferendus est ad h. u. et sequentes Theophrastus de nuptiis siue Seneca siue Hieronymus ap. Bockium stud. Lips. XIX p. 61, 5 'Multa sunt, quae matronarum usibus necessaria sunt: pretiosae uestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae, supellex uaria, lecticae et esseda deaurata'. Discerniculum proprie erat matronarum de quo Plutarchus quaest. Rom. 87 *διὰ τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου τὴν κόμην διακρίνουσιν;*

992. Nonius p. 523, 18 'Operari est deos religiose et cum summa ueneratione sacrificiis litare, uel conuiuari. ... Lucilius lib. XXX "aut *operat* aliquo in (*om G*) celebri cum aequalibus fano".' *operatum* Lachmannus, *operata* Guilielmus: uox propria de mulierum ministeriis religiosis qua de exposuit Rothsteinius ad Propert. II 28b, 45. 33, 1 'Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis: Cynthia iam noctes est operata decem'. Lucian. Amor. 42 *ἀπὸ τῆς οἰκίας ἔξοδοι ... ὧν ἐνίων οἱ κακοδαίμονες ἄνδρες οὐδὲ αὐτὰ ἴσασι τὰ ὀνόματα, κωλιάδας, εἰ τύχοι, καὶ γενετυλλίδας ἢ τὴν Φρυγίαν δαίμονα καὶ τὸν δυσέρωτα κῶμον ἐπὶ τῷ ποιμένι, τελεταὶ δ' ἀπόρρητοι, καὶ χωρὶς ἀνδρῶν* (quod Lucilius indicat uerbis *cum aequalibus*) *ὕποπτα μυστήρια καί — τί γὰρ δεῖ περιπλέκειν; — διαφθορὰ ψυχῆς.*

993. Nonius p. 522, 19 'Apud, ad. Lucilius lib. XXX "aut cum . . . conmenta *ui* aut apud . . . amicam".' *uiai* recte Lipsius. Monet Cato de agri cult. 143, 1 de uilica 'uicinas aliasque mulieres quam minimum utatur neue domum neue ad sese recipiat. ad cenam nequo eat neue ambulatrix siet'. Similia Lucianus Amor. 42 qui locus lacuna est deformatus: *εὐθὺς ἀπὸ τῆς οἰκίας ἔξοδοι καὶ πᾶς θεατὴς ἐπιτρίβων τοὺς γεγαμηκότας κτλ.*: laudatur mulier *domiseda* CIL VI 11602 cui contraria est illa ambulatrix. — *apud aurificem* uulgari modo dictum de quo diximus ad incert. u. 1215 seqq. — De aurifice Theophrastus l. s. s. p. 62 'anus et aurifices et hariolos et institores gemmarum sericarumque uestium si intromiseris, periculum pudicitiae est'. Sollicitus esse debet de pudicitia maritus, cum iter aliquo uxor est commenta.

995. Nonius p. 272, 13 'Caedere, conmiscere. Lucilius lib. XXX "lana . . . *fallor* . . . cedunt".' Idem p. 462, 24 'Pallorem uetustatem et neglegentiam Lucilius lib. XXX uoluit dici posse. "lana . . . caedunt".' Mulier nec lanam nec lanificium curat. Aristoph. Lysistr. 728 *οἴκαδ' ἐλθεῖν βούλομαι. οἴκοι γάρ ἐστιν ἔριά μοι Μιλήσια ὑπὸ τῶν σέων κατακοπτόμενα ... ἀλλ' ἐῶ 'πολέσθαι τἄρια κτλ.*

996. Nonius p. 350, 18 'Metiri est transmeare. Lucilius lib. XXX "uir mare metitur magnum *est* fluctibus *tradidit*".' *et se* Mercerus, *tradit* edit. princ. *mare magnum* ex Ennii est sumptum

annalibus (445 V) 'cum spiritus austri . . . aquiloque . . . indu mari magno fluctus extollere certant' cui praeierat Liu. Andron. TRF 33 R. Similis narratur fabula atque illa in Herondae carmine primo: ubi Mandris Metriches maritus cum *εἰς Αἴγυπτον ἐστάλη* (u. 23), temptatur uxoris pudicitia lenae sermonibus: uide ad u. 997. 998.

997. Nonius p. 287, 27 'Dicare, tradere. ... Lucilius lib. XXX "iuratam se uni, cui sit data *adaequae* dicata".' *deque dicata* Carrio. Coniugem, iuratam conceptis uerbis sese uni cui uiro sit data et dedicata, fidelem mansuram et castam, domi relinquit. Mulier illa in Lucilii historia minus uidetur fuisse castis moribus quam Metriche illa apud Herondam.

998. Nonius p. 297, 24 'Ecferre, erigere, leuare. . . . Lucilius lib. XXX "continuo . . . *erexit* (*erexerit* olim impressi) extuleritque".' Primo casta manet mulier memor coniugis: immo continuo, simulac paulo uehementius aura inflarit, fluctusque extulerit, tremit anxia et suspirat de uiro sollicita nauigante. Post *fluctus* falso distinguit Muellerus alii in Nonii edit. l. s. s.: *paulo uehementius inflare* locutio a Graecis uidetur esse sumpta. Cicero de legg. I 6 de Caelio historico 'Antipater paulo inflauit uehementius habuitque uires agrestes ille quidem et horridas' Dionys. Halic. ad Pomp. cap. 4 extr. de Xenophonte *κἂν ποτε διεγεῖραι βουληθῇ τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας ὥσπερ ἀπόγειος αὖρα ταχέως σβέννυται* antiquit. VII 35, 3 *πολὺς ἐμπνεύσας τῇ κατηγορίᾳ τέλος ἐξήνεγκεν ὅτι κτλ.* 'inspirabat magno magis quam acri animo' Senec. controu. lib. II praef. 2. — fluctus erexerit: Ouid. metam. XI 497 'fluctibus erigitur . . . pontus'; extulerit: fluctus extollere Ennius annal. 445 V. l. s. s. Narrasse probabile est poetam hoc loco fabulam illam de Aegialea Diomedis uxore infida (incert. u. 1149) quam tradunt *σφόδρα αὐτὸν ἐπιποθεῖν καὶ ἀπολοφύρεσθαι τὰς νύκτας* schol. *T* et *B* ad Hom. *E* 412.

1000. Nonius p. 408, 9 'Trepidare, metuere. . . . Lucilius lib. XXX "sed quid ego haec animo *trepidante* dicta profundo".' Ennius ann. VI 204 V 'sed ego hic animo lamentor' ubi *sed quid* e. q. s. deteriores codd. IX 314 V 'sed quid ego haec memoro?' Plaut. Merc. 218 'sed quid ego hic in lamentando pereo?' Rud. 472 'sed autem quid si hanc hinc abstulerit quispiam?' Truc. 335 'Sed quid haec hic autem . . . stetit?' 766 'sed quid ego hic clamo?' Ter. Phorm. 601 'sed quid pertimui autem belua?' Vergil. Aen. II 101 'sed quid ego haec autem nequiquam ingrata reuoluo?' Cic. ad Att. II 5, 2 'Sed quid ego haec . . .?' — *trepidante* falso scriptum ut *uertente* lib. XXIX u. 745. Verba uidentur esse mariti, qui redux ante limina domus cunctatur ingredi. — *dicta profundo* fortasse Ennianum: Lucret. VI 6 'omnia ueridico qui quondam ex ore profudit'.

1001. Nonius p. 273, 27 'Colligere, auferre. Lucilius lib. XXX "ruis hoc et (est *L*) colligis omnia furtim".' Idem p. 380, 6 'Ruere, irruere sine cautela. Vergilius lib. X (811) "quo, moriture, ruis maioraque uiribus audes?" Lucilius lib. XXX "ruis ... furtim".' *Hoc*, pro *huc*, ut *quo ruis* in uersu Vergilii. Verba sunt domini ad seruum infidum: 'cumque abii, ruis hoc et colligis omnia furtim'. Colligere uocabulum uulgare et militare: Veget. de re milit. III 25 'prior ergo de caesis hostibus spolia capiat, quod ipsi dicunt "colligat campum".' Non. p. 87, 29 'conuasare dicitur furto omnia colligere': uide incert. u. 1256.

1002. Nonius p. 35, 23 'Nugator nugis turbator. Lucilius lib. XXX "*quam* ... uis".' Domini uerba sunt qui seruum uerbis increpat (Pers. V 127) negantem sese dominum agnoscere: 'mox loris ureris, quom me nugator nunc cognoscere non uis'.

1003. Nonius p. 283, 23 'Ducere, existimare, iudicare. ... Lucilius lib. XXX "non datur. admittit nemo, nec uiuere ducunt".' Quo pertineat uersus, intellegitur collato Terent. Hecyr. 185 seqq. 'accersi iubet ... nemo remisit. postquam accersunt saepius, aegram esse simulant mulierem. nostra ilico it uisere ad eam: admisit nemo' Cic. in Verr. V 35, 93 'ita erat seuera domi disciplina, ut in re tanta et tam graui nuntio nemo admitteretur'. Itaque haec fere antecedebant 'aditusque roganti non datur. Admittit nemo, nec uiuere ducunt'. Subiectum *eum* supplendum erat ex antecedentibus (Draegerus syntax. hist. l. Lat. II ed II p. 440). Arbitrantur maritum perisse in mari.

1004. Nonius p. 278, 7 'Delenitus, delectatus. ... Lucilius lib. XXX "praeseruit labra *delicit* delenit amore".' *praeseruit* uocabulum Plautinum: Amphitr. 126 'ut praeseruire amanti meo possem patri': labra *delingit* Turnebus. Athenaeus VIII p. 363 C ... *Ἔφιππος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δράματι Ἐμπολή· περὶ ἑταίρας δέ τινος λέγει* (CAF II p. 254, 6 K)· *ἔπειτά γ' εἰσιόντ', ἐὰν λυπούμενος τύχῃ τις ἡμῶν, ἐκολάκευσεν ἡδέως, ἐφίλησεν οὐχὶ συμπιέσασα τὸ στόμα ὥσπερ πολέμιον, ἀλλὰ τοῖσι στρουθίοις χανοῦσ' ὁμοίως, ᾖσε, παρεμυθήσατο, ἐποίησέ θ' ἱλαρόν κτλ.* delenit amore *θέλγει ἔρωτι.*

1005. Nonius p. 330, 16 'Induci est aliquibus fallaciis decipi. Lucilius lib. XXX "quid quaerimus *acre* inductum cantu custoditum (stoditum *L m. 1*)".' Neque *cantu* delere uolui neque *acre* uocabulum spernere. Quod Horat. carm. I 12, 1 'acri tibia' dixit, magnopere quod laudat Quintil. VIII 2, 9, *λιγύς λιγυρός* Graecum sectatus uidetur esse: Lucilius uerba Homeri *μ* 44 qui de Sirenibus *ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ* uidetur esse secutus: conf *μ* 183 Kaibelii Epigr. Gr. 582 *ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη κτλ.* Neque *custoditum* erit temptandum siquidem de Vlixe agitur qui se uinclis bene alligatum ad malum custodiendum tradiderat sociis. — *quid quaerimus?* i. e. ad summam, sicuti

'quid quaeritis, iudices?' Cic. pro Cael. 25: uide ad lib. XV u. 515.

1007. Nonius p. 330, 4 'Inmittere, demittere ad prolixitatem. Lucilius lib. XXX "neque ... istam".' Barbato rostro uidetur rediisse maritus: hortatur mulier ut tondeatur.

1008. Nonius p. 317, 6 'Gestire est cupere. Lucilius lib. XXX "*quanto* ... gestit".' Idem p. 319, 16 'Haurire significat exhaurire uel implere. ... Lucilius lib. XXX "quantum aurire *animas* musarum *et fontia* gestit".' Propert. III 3, 5 'paruaque tam magnis admoram fontibus ora unde pater sitiens Ennius ante bibit'. Hesiodus dicitur AP VII 55, 5 *ἐννέα Μουσέων ὁ πρέσβυς καθαρῶν γευσάμενος λιβάδων.* Locutio ipsa uidetur esse Enniana, nam Lucretius quoque I 926 'auia Pieridum peragro loca ... iuuat integros accedere fontes atque haurire': conf Pers. prolog. 1 Iuuenalis de poeta VII 58 'cupidus siluarum aptusque bibendis fontibus Aonidum' (Maassius Herm. XXXI 1896 p. 398 seqq.). Horatius serm. II 1, 12 'cupidum, pater optime, uires deficiunt' epist. II 1, 257 'nec sermones ego mallem repentis per humum quam res componere gestas ... si *quantum cuperem* possem quoque' de carmine epico: similiter uidetur dixisse Lucilius sustinere tantum uires ingenii non posse quantum animus haurire gestit Musarum e fontibus. Neruam poetam immodice laudat Martialis VIII 70, 2 'cohibet uires ingeniumque pudor. Cum siccare sacram largo Permessida posset ore, uerecundam maluit esse sitim'. *aurire* Muellerus Leidensem secutus (austra Lucret. V 516, deorito Cato de agri cult. 66, 2): sed posuit Nonius uersum in h littera.

1009. Nonius p. 373, 9 'Producere, foras ducere. ... Lucilius lib. XXX "producunt ... cogunt".' Nonnisi coactus ab amicis recitat sua scripta Horatius serm. I 4, 73: Lucilium cogunt amici ut sua demonstret ei homini quem hoc uersu appellat poeta, ueluti Scipioni, quem gauisum esse saturis poetae Horatius indicat serm. II 1, 67 cum neget eum acerbitate poeseos esse offensum. Fuisse igitur uidetur ille quisquis fuit sermonum iudex candidus qualem Tibullum laudat Horatius epist. I 4, 1. Itaque *producunt* indicat ex cubiculi umbra poetam fuisse adductum uel in Scipionis atria lauta et nobilia uel alterius hominis elegantis.

1010. Nonius p. 143, 19 'Neminis positum pro nullius. ... Lucilius lib. XXX "neminis *ingenium* ... oportet".' Priscianus GL II p. 207, 5 K 'Lucilius in XXX "neminis ingenio *quemquam* confidere oportet".' Nonii lectionem codicum editores recte secuti sunt in *tantum*, Prisciani in ablatiuo *ingenio*. Neminis ingenio tantum confidere oportet quantum tuo, amice, qui es arbiter carminum subtilissimus.

1011. Nonius p. 175, 15 'Simitu, simul. Lucilius lib. XXX "gratia habetur utrisque illis *quae sibi quae* simitu".' Recte

Iunius *tibique*. Ego Lucilius gratiam habeo illis, qui me ad te produxerint, et tibi, qui mea scripta et legere uolueris et probare potueris. *simitu* in exitu uersus posita est forma obsoleta quam uidetur sumpsisse poeta e Plauti fabulis.

1012. Nonius p. 326, 32 'Iacet, sordet, neclectus est. Lucilius lib. XXX "et sua *percipere retro relicta* iacere".' perciperet *Guilielmus* (l. s. s. p. 37), idem *rellicta,* quod caret exemplo (L. Muelleri de re metr. ed II p. 450), comparari potest *rellatum* Lucret. II 1001 Terent. Phorm. 21 reclusit Plaut. Capt. 918. Agitur de Lucilii aemulo quodam, quem eadem claritate ingenii fuisse probabile est atque Goethii obtrectatorem Pustkuchenum. De Accio cogitat Muellerus sine causa.

1013. Nonius p. 303, 20 'Ferre, laudare. Lucilius lib. XXX "et . . . ferri".' Clarissimum de gloria poeseos Lucilianae et auctoritate apud aequales testimonium poetae ipsius. Ad *ferri* comparat Dousa Propert. II 5, 1 'Hoc uerum est tota te ferri, Cynthia, Roma et non ignota uiuere nequitia?' — Terent. Eunuch. 428 'Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? Vetus credidi. ⌗ Audieras? ⌗ Saepe, et fertur in primis'. Aristot. rhet. III 12 p. 1413^{b} 12 *βαστάζονται δὲ οἱ ἀναγνωστικοί, οἷον Χαιρήμων (ἀκριβὴς γὰρ ὥσπερ λογογράφος)· καὶ Λικύμνιος τῶν διθυραμβοποιῶν.*

1014. Nonius p. 388, 23 'Saeuum, durum. . . . Lucilius lib. XXX "id(it *L*)que tuis *factis saeuis* . . . dictis".' Idem p. 409, 9 'Triste, crudele, inmite. . . . Lucilius lib. XXX "*itaque* tuis *seuis factis* . . . dictis".' *idque* recte Iunius, cum utroque loco codd i litteram testentur. *tristia dicta* sunt uersus saturae: Horatius serm. II 1, 21 'quanto rectius hoc quam tristi laedere uersu Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem'. 'idque tuis saeuis factis et tristibus dictis te consequi cupis ut risum excutias': Hor. serm. I 4, 34. 83. Chiasmum *factis saeuis* praebent codd p. 388 quos secutus sum ut meliores in exordio uersus.

1015. Nonius p. 284, 14 'Differre . . . diffamare, diuulgare. Lucilius lib. XXX "gaudes . . . differs".' De 'sermonibus differs' locutione uide ad u. 1016: Liu. XXXIV 49, 5 'Acrocorinthum ipsis extemplo uidentibus uacuam Achaeis traditurum, ut omnes scirent, utrum Romanis an Aetolis mentiri mos esset, qui male commissam libertatem populo Romano sermonibus distulerint'. Recte explicat Nonius *differre, diuulgare,* ut Cic. pro Font. 20 'maxime enim inimici hanc rem sermonibus diuulgari uoluerunt'. Verba sunt aduersarii: imitatus est Horatius serm. I 4, 78 'laedere gaudes', inquis, 'et hoc studio prauus facis'.

1016. Nonius p. 284, 23 'Differre, diuidere uel scindere. . . . Lucilius lib. XXX "et . . . differs".' Verba sunt aduersarii: Horatius serm. I 4, 36 'et quodcumque semel cartis illeuerit,

omnis gestiet a furno redeuntis scire lacuque, et pueros et anus'. — *in multis sermonibus:* saturas suas *sermones* nominare Lucilium exposuimus ad huius libri u. 1039. *differre* uocabulum apte iam Nonius l. s. s. interpretatus est adhibito Plaut. Aul. 445 'te iam, nisi reddi mihi uasa iubes, pipulo hic differam ante aedis': uide Vseneri disputationem Mus. Rhen. LVI 1901 pp. 23 et 12 adnot. 18. *maledicendo,* ablatiuum gerundii poeta fere eadem ratione adhibet atque participium praesentis quo in usu congruit cum uulgari sermone aeui Christiani.

1017. Nonius p. 420, 25 'Volutare, cogitatione perquirere. . . . Lucilius lib. XXX "haec . . . *insimilas* . . . uolutas".' Verba sunt Lucilii: imitatus est Horatius serm. I 4, 79 seqq. 'unde petitum hoc in me iacis?' Exitus uersus uidetur esse Ennianus, fictus ad similitudinem locutionis *φρεσὶ μερμήριζεν* (Hom. χ 333) similium. Lucret. III 240 'mente uolutat' Verg. Aen. IV 533 'secumque ita corde uolutat' VI 185 'ipse suo tristi cum corde uolutat'.

1018. Nonius p 175, 12 'Sucerdae, Lucilius lib. XXX "hic . . . sucerdis".' *fabuli* deminutiuum (Cato de agr. cult. 70, 1) significare uidetur stercus caprarum quod Graeci dicunt *σφυράδες* de quibus schol. Aristoph. Pac. 790 *σφυράδες δέ εἰσι τὰ τῶν αἰγῶν καὶ προβάτων ἀποπατήματα . . . ἡ σφυρὰς κυάμου ἔχει τὸ μέγεθος· ταύταις οὖν ἀπεικάζει αὐτούς.* Fabas caprini fimi dixit Plinius nat. hist. XIX 185 quem locum adferunt lexica: *stabulique* Muellerus cum I. Dousa ponere maluit.

1019. Nonius p. 420, 21 'Voluter dicitur uolui. Lucilius lib. XXX "quid . . . uoluter".' Verba sunt aduersarii ad poetam. Enumerat poeta singula uitiorum genera: quibus qui laborant homines saturas oderunt omnes saturarumque auctorem. Horatius serm. I 4, 24 'quod sunt quos genus hoc minime iuuat, utpote plures culpari dignos. quemuis media elige turba, aut ob auaritiam aut misera ambitione laborat. hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum: hunc capit argenti splendor, stupet Albius aere, hic mutat merces . . . omnes hi metuunt uersus, odere poetas'.

1020. Nonius p. 387, 26 'Seruare, sollicite et suspiciose obseruare. Lucilius lib. XXX "quid . . . te".' Alius fornicem frequentat et lupanaria: metuit saturam aitque poetae iratus 'quid seruas *ἀλλοτριεπίσκοπος* quo eam? quid agam? quid id attinet ad te?' De hiatu *quo eam* uide ad lib. I u. 2. — 'quid id ad te attinet' Plaut. Pers. 235. 284, *τί πρὸς σέ;* AP V 100, 1. Diphil. CAF II p. 545, 3 K.

1021. Nonius p. 121, 3 'Hilum, breue quoddam. Lucilius lib. XXX "quod *tua lades* culpes non proficis hilum".' *tu si laudes* Lachmannus, *tu ⟨nunc⟩* ego scripsi. *Culpare* de saturae auctore posuit Hor. serm. I 4, 25 'utpote plures culpari dignos'. *Laudare*

culpare consociantur Plaut. Bacchid. 397 'illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali' Trin. 210 'falsone an uero laudent culpent quem uelint, non flocci faciunt, dum illud quod lubeat sciant' ubi item extat asyndeton, Horat. serm. I 2, 11 'laudatur ab his, culpatur ab illis'. — *neque proficit hilum* legitur in fragm. dubiae auctoritatis ap. Cic. Tusc. I 5, 10 (incert. u. 1375) quod adfert Nonius l. s. s. et uidetur esse Ennii.

1022. Nonius p. 181, 31 'Tenta dictum pro extensa. . . . et in lib. XXX "hic ut *muscipula* tentae *aque* scorpios cauda sublata".' Idem p. 266, 3 'Contentum dicitur extensum. . . . Lucilius lib. XXX "hic ut *muscipula contenta atque* scorpios cauda (caudas *L m. 1*) sublata".' Idem p. 385, 30 'Sublatum, erectum. . . . Lucilius lib. XXX "hic ut muscipulae *tantae* adque ut *scorpius* cauda sublata".' Loco ultimo uerba Lucilii seruata sunt fere integra nisi quod *tentae* et *scorpios* formas e prioribus oportet restituere. Turbas fecit quod poeta *muscipulae* posuit plurale tantum: prioribus enim locis librarii singularem numerum poni maluerunt. Quod *scorpios* Graecam formam posuit, in ea re secuti eum sunt Arateorum poetae Cicero Germanicus Auienus (239) Ouidius Manilius Martialis (III 44, 8) Lucanus (IX 533) Horatius (carm. II 17, 17) Vergilius (georg. I 35): quos locos tres extremos notaui, eis locis discrepant codices sicuti in hoc loco Luciliano, Graeca forma tamen ubique aut eligenda ut reconditior et remotior a librariorum scientia aut restituenda, quia *scorpius* formam a poetis usurpatam esse quantum uideo uix poterit demonstrari: *scorpios* etiam Verrius ap. Fest. p. 165 s. u. nepa. Verba sunt aduersarii, referenda ea esse apparet ad Lucilium ipsum ut hominem periculosum et insidiosum: bene explicantur Hor. serm. II 1, 44 'At ille qui me commorit — melius non tangere! clamo — flebit et insignis tota cantabitur urbe'. Idem I 4, 34 'Faenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico et quodcunque semel cartis illeuerit, omnis gestiet a furno redeuntis scire lacuque et pueros et anus. — Agedum, pauca accipe contra'. Imitatus est poeta locum in scholis rhetorum clarum orationis Demosthenis in Aristog. A. 52 Ἀλλ' οὐχ οὗτος οὐδὲν . . . ἀλλὰ πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος ἠρκὼς τὸ κέντρον, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε, σκοπῶν τίνι συμφορὰν ἢ βλασφημίαν ἢ κακόν τι προστριψάμενος καὶ καταστήσας εἰς φόβον ἀργύριον πράξεται quem locum bis interpretatus est auctor rhetor. ad Her. IV 49, 62 med. 39, 51 init., spectat Pollux VI 125 σκορπίος ζητῶν ὅτῳ ἐγχρίμψει τὸ κέντρον.

1024. Nonius p. 327, 11 'Inprobum, saeuum. . . . et Lucilius lib. XXX "inprobior . . . mordet".' Hic homo saeuior et improbior est multo, quam audax ille de quo diximus ante. Quanto blandior haec dicit, tanto uehementius laedit fucosis et

perfidis suis blanditiis. *mordet,* ut Terent. Eun. 410 'inuidere omnes mihi, mordere clanculum'. — *multo inprobius* alia significatione posuit Catullus LXVIII b 126. Verba 'de quo diximus ante' ad leonem improbum spectare iudicat Corpetus. Neque tamen uideo quomodo uersus alter hac ratione possit intellegi. Praeterea blandis uerbis inuitat et leo ille et meretrix quam *haec* pronomine censet spectari. Quare meretrix etiam improbior habenda sit illo leone, non possum indagare. Probabilius esse arbitror blandum et perfidum hominem describi a Lucilio qualem expressit Horatius serm. I 4, 92 seqq. 'mentio si qua de Capitolini furtis iniecta Petilli te coram fuerit, defendas ut tuus est mos . . . "incolumis laetor quod uiuit in urbe. sed tamen admiror quo pacto iudicium illud fugerit".'

1026. Nonius p. 306, 19 'Fortis etiam diues. . . . Lucilius lib. XXX "omnes formonsi (*ita L m. 1,* formosi *reliqui*) . . . *ergo* . . . esto".' Idem p. 327, 14 'Inprobum turpe. Lucilius lib. XXX "omnes formonsi (*ita L m. 1,* formosi *reliqui*) fortes tibi, ego inprobus. esto".' Lucilius ipse sibi epitheton *improbus* indiderat lib. XXIX u. 821: respondet uituperanti maledicum genus poeseos aduersario. *formonsi fortes,* asyndeton et homoeoprophoron uulgari sermoni proprium: Varro sat. Menipp. 312 B 'omnes uidemur nobis esse belli festiui'.

1027. Nonius p. 296, 5 'Experiri, temptare. . . . Lucilius lib. XXX "summatim . . . paucis".' Vide ad u. 1022. Horatius serm. I 4, 38 'agedum, pauca accipe contra'. Lucretius III 261 'sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam'.

1028. Nonius p. 249, 14 'Committere, credere, permittere. . . . Lucilius lib. XXX "*quia* sua . . . camenae".' Musarum antistitem significat: uidetur ut Horatius serm. I 4, 39 exposuisse se uerum poetam non esse: 'primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis excerpam numero' e. q. s.

1029. Nonius p. 173, 21 'Speciem, specimen uel exemplar. Lucilius lib. XXX "*sicuti* te qui ea quae speciem uitae *putamus esse*".' De *sicuti* dactylico uide ad lib. V u. 198 incert. u. 1298. Verba sana sunt et secundum sententiam et secundum numeros, modo duo uerba extrema transponas: supplendum fere *uersibus exsequeris, dicam uix esse poetam.* Comoediarum argumenta significat uerbis 'ea quae speciem uitae esse putamus', uersu ipso comoediarum poetam quendam. Edocent auctor uel auctores prolegom. de comoed. Latini similia (Donat. ed Wessneri I p. 21, 15) 'in tragoedia fugienda uita, in comoedia capessenda exprimitur', idem (p. 22, 19) 'comoediam esse Cicero ait imitationem uitae, speculum consuetudinis, imaginem ueritatis' (Vseneri Dionys. de imitat. reliq. p. 120 XII) quod idem Cicero pro Rosc. Am. 47 'et certe ad rem nihil intersit, utrum hunc ego comicum adulescentem,

an aliquem ex agro Veiente nominem. Etenim haec conficta arbitror esse a poetis, ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem uitae cottidianae uideremus', idem auctor de comoed. (p. 23, 14 Wessneri) 'aiuntque (aitque *uel* atque *codd*) esse comoediam cotidianae uitae speculum'. Quod idem (p. 15, 2) tradit Homerum 'Odyssiam ad imaginem comoediae fecisse', in ea re congruit cum Alcidamante quem auctor est Aristoteles rhet. III 3 p. 1406 b 12 appellasse *τὴν Ὀδύσσειαν καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον* (conf Lycurg. Leocr. 102). Similiter auctores prolegom. de comoed. Graeci ap. Kaibelium CGF I 1 p. 11, 17 *Κωμῳδία ἐστὶν ἡ ἐν μέσῳ λαοῦ κατηγορία . . . ἔστι δὲ εἶδος ποιήματος ἐν κώμαις κατὰ τὸν βίον ᾀδόμενον. Διὰ τοῦτο καὶ 'βιωτικῶς' λέγεται, τουτέστιν ἱλαρῶς . . . ἢ 'βιωτικῶς' κατὰ μίμησιν τοῦ βίου, κτλ.* Ibidem p. 17, 3 *ἔστι δὲ κωμῳδία μίμησις πράξεως . . . συστατικὴ τοῦ βίου* (conf p. 14 b 48), *διὰ γέλωτος καὶ ἡδονῆς τυπουμένη. Διαφέρει δὲ τραγῳδία κωμῳδίας ὅτι ἡ μὲν τραγῳδία . . . ἡ δὲ κωμῳδία πλάσματα περιέχει βιωτικῶν πραγμάτων.* Quibus addi possunt multi alii loci ueluti edocet metricus ap. Hephaest. p. 19, 17 Westph. de comicis *τὸν γὰρ βίον οὗτοι μιμούμενοι θέλουσι δοκεῖν διαλελυμένως διαλέγεσθαι*, poeta AP IX 504 de Musa comoediae *κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον καὶ ἤθεα κεδνά*, accedunt testimonia de Menandri arte quae exhibet Spaldingius ad Quintil. X 1, 69 (Manil. V 477 Syriani in Hermog. comment. II p. 23, 6 Rabei Nauckii Aristoph. Byzant. reliqu. p. 249). — *species* pro simulacro posuit Cicero poeta de consul. suo 3, 56 Baehrens. 'sancta Iouis species' 60 'haec tardata diu species': de comoedia in eadem quam semper hoc Lucilii libro adhibemus satura Horatii agitur I 4, 45 seqq. Scripsit igitur Lucilius hanc saturam ad poetam quendam comicum: quis fuerit diuinare nequeo. Sed iam intellegitur quo auctore Horatius l. s. disputationem illam de comoedia inseruerit illo loco parum aptam, apud Lucilium propter eius ad quem scripsit personam aptissimam.

1030. Nonius p. 505, 20 'Nolito pro noli. Lucilius lib. XXX "nolito . . . putare".' Verba sunt Lucilii ad aduersarium. Horat. serm. I 4, 65 'Sulcius acer ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis, magnus uterque timor latronibus. at bene si quis et uiuat puris manibus, contemnat utrumque. ut sis tu similis Caeli Birrique latronum, non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?'

1031. Festus secundum schedas Angeli Politiani p. 359, 13 et Paulus p. 358 'Tagax (*tagas* Polit.) furunculus, a tangendo. cuius uocabuli Lucilius meminit, "et *mustonis* (ita Polit.: *mutonis* rel. *muttonis* in Paulo edidit Thewrewkius) . . . tagacem (*tagen* Polit.)".' Nonius p. 408, 31 'Tangere etiam circumuenire. . . . Lucilius lib. XXX "et *musconis manu* perscribere *posset agacem* (ita L m. 1: *aiacem* L m. 2 G)".' *Myscon* nomen Siculi ap. Thucyd. VIII 85, 3 Xenoph. Hell. I 1, 29. Lectionem eandem quam praebet Nonius *Musconis* Verrius praebuerat, quod testatur apographon Politiani teste Huelseno. Versum esse patet aduersarii detrectantis poesin Lucilianam: 'quid magnum', inquit, 'furunculi manum sinistram perscribere posse uersibus?' Horat. serm. II 1, 21 'quanto rectius hoc quam tristi laedere uersu Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem'. Muscon nomen furis uulgo noti fuit sicuti *Μύελλος* et *Παταικίσκος* ap. Herond. IV 63.

1032. Nonius p. 240, 3 'Accipere, audire. . . . Lucilius lib. XXX "hoc . . . rem".'

1033. Nonius p. 350, 12 'Macula, turpitudo. . . . Lucilius lib. XXX "quem . . . notasque".' Idem p. 354, 20 'Nota dicitur probrum. Lucilius lib. XXX "quem . . . notasque".' De iteratione uerbi *scire* conf ad lib. I u. 33. Horrere te apparet eum quem scis scire uitia tua et crimina qualis est poeta saturae.

1034. Nonius p. 335, 30 'Lustrare dicimus et scortari, a lustris. . . . Lucilius lib. XXX "quem *sumptu* facis in lustris, circum oppida lustrans".' Non est quod fidem Nonio in explicando hoc uersu denegemus. Tangit hominem qui rem familiarem male perdebat in lupanaribus quae *lustra* nominat Lucilius. Sed dubito num intellegenda sint uerba '*circum oppida lustrans*' ita ut *lustrans* positum sit pro *scortando* ideo quod aegre intellegitur quid sit *circum oppida scortari*. Itaque *lustra* tantummodo quid sit enarrat Nonius, *lustrans* dictum esse sicuti *atria lustrat* Vergil. Aen. II 528 XII 474 consentaneum est, quamquam ne ita quidem apparet quid sibi uelit decoctor qui oppidatim non uicatim scortatur siue *περιπολίζων* adit lupanaria. Quare *circum* fallacem illum intellego quem appellat Horatius serm. I 6, 113 'ad circum iussas prostare puellas' Iuuenalis memorat III 65 ubi uide Friedlaenderi adnot. *oppida* carceres sunt: Naeuium (CRF ed III p. 28 II R) *oppidum* dixisse carceres circi Varro exponit de ling. Lat. V 153.

1035. Nonius p. 125, 6 'Incilare est increpare uel inprobare. . . . Lucilius lib. XXX "nunc . . . uicissim".' Glossas ad h. u. pertinentes collegit Goetzius in glossarum thesauro s. u. *incilo*. Verba sunt aduersarii qui Lucilium alloquatur. *laedis* proprie de saturae poesi dictum ut Horat. serm. I 4, 78 'laedere gaudes' II 1, 21 'tristi laedere uersu Pantolabum' 67 de Lucilio 'aut laeso doluere Metello famosisque Lupo cooperto uersibus?' — *incilans, ἐναλλόμενος*. In Varronis Menippeis *Marce* uocatiuum deprehendimus 60. 175. 505 B, ubi aduersarius alloquitur scriptorem, *Quinte* blande appellant sodales Horatium serm. II 6, 37, gaudent praenomine molles auriculae. — *nunc, quoniam* in exordio uersus habet Propert. II 9, 37. Versum coniunxi cum u. sequenti,

uicissim facere, ut AL I edit. II 416, 9 R (PLM IV p. 68 B) 'odi nec mentem res magis ulla iuuat inque uicem ut facias oro' Iuuen. VII 240 'ne faciant uicibus'.

1036. Nonius p. 278, 33 'Da, dic. . . . Lucilius lib. XXX "si . . . do".' Si liceat uicissim facere et iam hoc uersibus reddere quod tibi nunc dico pedestri sermone, tu item male audias in urbe maleque uapules poematis meis. 'reddere dicta' Lucret. IV 461, 'causas mendose' 503.

1037. Nonius p. 300, 28 'Exultare est gestu uel dictu iniuriam facere. Lucilius lib. XXX "quin . . . *debellas* (*delellas* Leidensis) . . . *exultes* sollicites".' *et* addunt Gerlachius et Lachmannus. Lucilius teste Horatio serm. I 10, 55 'de se loquitur non ut maiore reprensis': aduersario sese tradit carpendum et uellicandum. *purges,* i. e. caedas ut Theocritus V 118 *τεῖδέ τυ δήσας Εὐμαρίδας ἐκάθηρε καλῶς* ubi scholiasta adnotat similiter Aristophanem esse locutum, Attici *πλύνειν* similia. *deuellas me atque deuras: deuellas* ut auem cocus uellit depilat deplumat, *deuras* ut cocus suem glabrat *ἀφεύει*: moechorum poena (schol. Aristoph. Plut. 168) et seruorum apud Lucian. fugit. 33. *Exultes* transitiue positum esse testatur Nonius: *exultes et sollicites* suspiceris esse dictum de sagatione (Martial. I 3, 8 'ibis ab excusso missus in astra sago' Suet. Otho 2) et uocabula sumpta e sermone castrensi.

1039. Nonius p. 320, 22 'Honor, praemium. . . . Lucilius lib. XXX "cuius . . . reddebamus honorem".' Idem p. 366, 8 'Pretium pro praemio. . . . Lucilius lib. XXX "cuius . . . *ludis* ac . . . *reddimus* honorem".' Interrogat Corpetus lectorem possintne uerba 'ludo ac sermonibus nostris' referri ad saturas Lucilii quas sermones appellauerit sicuti Horatius (epist. I 4, 1 II 2, 60. 1, 250). Neque dubito quin *ludus* reuera poeticam spectet Lucilii: Hor. serm. I 10, 37 'haec ego ludo' Pers. V 15 'pallentes radere mores doctus et ingenuo culpam defigere ludo': unde colligas *sermonibus* uocabulo reuera saturas librorum XXVIII uel XXIX indicari. Accedit quod de carminibus Vergilius georg. II 393 'ergo rite suum Baccho dicemus honorem carminibus patriis' Ennius p. 215 V ap. Senec. epist. 108, 33 ait 'neminem potuisse Scipioni neque ciuem neque hostem reddere operae pretium', quo loco dubites num agatur de gratia poeseos praeconio habita. *Virginis* nomen minime puellam intactam significare patet: conf Plaut. Rud. 67. 81. Itaque *hoc* pretium *hunc* honorem ad haec quae scribit pertinet poemata: quae fuerit illa mulier, non liquet: uide ad lib. XXVIII u. 773 seqq. XXIX u. 888 seqq. Elocutio proprie est Luciliana: hendiadyoin ter positum particula *ac* adhibita. *cuius* monosyllabon ut lib. XXIX u. 905 (Lucret. I 149).

1041. Nonius p. 401, 6 'Subigere, mollire uel exercere. . . .

Lucilius lib. XXX "*an* ego te *acuam* atque animosam tessalam ut indomitam frenis subigam *ante* domemque".' Idem p. 233, 31 'Anima iterum significat iracundiam uel furorem; unde et animosi dicuntur iracundi. . . . Lucilius libro XXX "atque animosam *thessaliam et . . . subigantque domentque*".' 'anne ego te uacuam atque animosam' recte Lachmannus: 'uacuae sua sic mandata referre' Ouid. met. XIV 831 de muliere uidua: conf Tacit. ann. XI 12 XIII 44. *tessalam* habuit archetypus Nonii, qui fere ubique h litteram omiserit in aspiratis ch th, pro ph f praebuerit. — ut indomitam] Lucian. Zeux. 6 *ἵππου γε τῆς καλλίστης, οἶαι μάλιστα αἱ Θετταλαι εἰσιν ἄδμητες ἔτι καὶ ἄβατοι*: uersum *ἵππον Θεσσαλικὴν Λακεδαιμονίην τε γυναῖκα* (Athen. VII p. 278 e) iam Dousa attulit: uide interpr. ad Theocr. XVIII 30 Paneg. in Pis. 49 AP XI 259 EM p. 207, 50 Lucian. erot. 45 Apul. met. I cap. 2 X 18 Lucan. VI 397: egerunt de equis Thessalicis quicumque nummorum Thessalicorum imagines enarrarunt. Lucilius ut eques Tessalam posuit pro equa Thessala, loquitur enim ut artis equestris peritissimus: uide ad lib. XV u. 507. *subigamque domemque* recte Bentinus: Fronto p. 220 extr. N 'tauri subigi iungendo domarique potuere': nihili enim neque in hoc neque in u. sequenti est illud *ante*. Turnebus Aduers. (Paris. 1580) XXVIII cap. 8 (II p. 130) recte statuit mulierem superbam et fastidiosam notari a poeta qua in comparatione praeierat Anacreo de quo Heracl. alleg. Hom. cap. 4 *καὶ μὴν ὁ Τήϊος Ἀνακρέων ἑταιρικὸν φρόνημα καὶ σοβαρᾶς γυναικὸς ὑπερηφανίαν ὀνειδίζων τὸν ἐν αὐτῇ σκιρτῶντα νοῦν ὡς ἵππον ἠλληγόρησεν οὕτω λέγων· Πῶλε Θρηκίη . . . ἴσθι τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμί σ' ἀμφὶ τέρματα δρόμου. νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις· δεξιὸν γὰρ ἱπποσείρην οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην*: qualem allegoriam Italicis quoque tritam fuisse declarat sortis illius inscriptio 'est equos perpulcer, sed tu uehi non potes istoc' Carm. Latin. epigr. 331, 5 (I p. 159) Buecheleri. Theogn. 257 seqq. *ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη, ἀλλὰ κάκιστον ἄνδρα φέρω, καί μοι τοῦτ' ἀνιηρότατον· πολλάκι δ' ἠμέλλησα διαρρήξασα χαλινὸν φεύγειν ἀπωσαμένη τὸν κακὸν ἡνίοχον.* Similem comparationem adhibuerat Scipio Aemilianus teste Panaetio ap. Cic. de offic. I 90. Lucilius praeter Thessalicum equum incert. u. 1109 Apulum commemorat sicuti Varro rer. rust. II 7, 6 eosdem appellat nobiles, tertius est Campanus sonipes lib. XV u. 507.

1043. Nonius p. 401, 17 'Subigere, cogere. . . . Lucilius lib. XXX "tune iugo iungas me *ante* et succedere aratro inuitum et glebas subigas proscindere ferro".' Vergil. georg. I 50 similiter 'ferro scindimus aequor', imitatus esse uidetur Ouidius met. VII 118 'suppositosque iugo pondus graue cogit aratri ducere et insuetum *ferro proscindere* campum'. *ante* ferri nequit: scripsi

anne: fit enim gradatio, qui loquitur iugum recusat, quo iuncti equi currum trahunt: deinde rogat de grauiore opera tauri aratoris cum indignatione. Scripsit Guilielmus *inuitam:* quem qui secuti sunt arbitrantur mulierem perseuerantem in eadem allegoria qua usus est poeta uu. 1041. 1042 respondisse. Quod neque conuenire uidetur mulierum ingenio et admodum frigidum uidetur esse. Recte fecit Lachmannus, qui *inuitum* seruauit integrum. Simili modo quo apud Lucilium asinus loquitur AP IX 301 *τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἄμμιγ' ἐν ἵπποις γυρὸν ἀλωειναῖς ἐξελάατε δρόμον; οὐχ ἅλις, ὅττι μύλοιο περίδρομον ἄχθος ἀνάγκης σπειρηδὸν σκοτόεις κυκλοδίωκτος ἔχω, ἀλλ' ἔτι καὶ πώλοισιν ἐρίζομεν; ἦ ῥ' ἔτι λοιπὸν νῦν μοι τὴν σκολιὴν αὐχένι γαῖαν ἀροῦν.* Asinis utebantur 'ad arandum ubi leuis est terra, ut in Campania' teste Varrone rer. rust. II 6, 5. Vu. 1041—1043 hoc ordine posui etiamsi prolegg. p. CII extr. ordo commendatur inuersus: distinctionem enim fragmentorum libri XXX inde a p. 399 admodum esse incertam apparet.

1045. Nonius p. 140, 13 'Mansum, mandendum aut mansatum. ... Lucilius lib. XXX "sperans *aetatem* eandem *haec proferro* (impressi *proferre*) *posset* mansum ex ore daturum".' Lachmannus scripsit: 'sperans lactare me eandem hanc proporro posse' e. q. s. Nonii editores Muellerus et Onionsius partim Guilielmum partim Quicheratium sunt secuti scribentes: sperans aetatem (ut Lucil. I u. 38) eadem ⟨*me*⟩ haec proferre potesse e. q. s. Verba extrema Latine reddunt quod Graeci dicunt *ψωμίζειν*, quibus mansum est *ψώμισμα*: conf Galen. XV p. 395, 3 K Cic. de or. II 162, reliqua omnia obscura. Videtur agi de matre adulescentula quae nutrici suae puerum infantem tradit. At sperans haec mater eandem hanc nutricem aetatulam teneram proferre posse et mansum ex ore eam daturum, decipitur: nam *αἱ τίτθαι τὸ ψώμισμα καταπίνουσαι τῷ σιάλῳ τὰ παιδία παραλείφουσιν* Aristot. rhet. III 4 p. 1407 a 8 (Aristoph. Equit. 716 Sext. Empir. in rhetor. 42 p. 683, 13 B). *aetatem* i. e. uitam: Cic. de fin. V 20, 55 'facile est hoc cernere in primis puerorum aetatulis'. *proferre* aetatem, ut protollere lib. I u. 7, Plin. epist. II 7, 4 'ut uita eius breuis et angusta debuerit hac uelut inmortalitate proferri' (Cic. de fin. III 22, 76 'beatam uitam usque ad illum a Cyro exstructum rogum *pertulisset* (Maduigius, nonnulli codd *protulisset*)'. *proferre potesse et* Guilielmus, admodum probabiliter, etsi tales formas obsoletas Lucilius ponat in exitu hexametri. — *daturum*, ut nupturum lib. XVII u. 538.

1047. Nonius p. 350, 6 'Maculosum, sordidum, inmundum. Lucilius lib. XXX "haec uestimentis maculosis *tum aspice iste*".' 'nec uestimentis maculosis cum aspicies te' Lachmannus, 'ec uestimentis maculosis. tu aspice sis te' Muellerus. Ego interpretor: 'haec mulier, amica tua, est cum uestimentis maculosis: tum aspice, sis, te ipsum quo ornatu incedas lutulentus'.

1048. Nonius p. 385, 24 'Sublatum dicimus remotum. ... Lucilius lib. XXX "sublatus ... refertur".' Licentia in rationes siue tabulas accepti refertur ut faenus, id est lucrum. 'quae ... sublata ... omnia sunt' lib. II u. 67.

1049. Nonius p. 250, 25 'Cedere significat secundum consuetudinem abire superatum et locum uictori dare. ... Lucilius lib. XXX "quandoque *pudore* (*pudor* edit. princ.) ex pectore cessit".' Recte *pudor* si scribetur, produxisse poetam syllabam extremam statuendum est sicuti lib. X u. 391 in *languor:* nisi caesurae potius ista productio tribuetur.

1050. Nonius p. 484, 30 'Sumpti pro sumptus. ... Lucilius lib. XXX "quid ... potisset".' De forma *potisset* uide ad lib. I u. 5 V u. 203. sumptum facere ut u. 1034, sumptum praebere ut lib. XXVI u. 618. Computat meretrix amatoris censum.

1051. Nonius p. 493, 33 'Sescentum pro sescentorum. ... idem lib. XXX "quid ... *milium*".' De mensura et forma uocabuli *ducentum* uide ad lib. XVIII u. 555. Coniunxit hoc fragmentum cum uersu insequenti Muellerus.

1053. Nonius p. 493, 31 'Sescentum pro sescentorum. Lucilius lib. XXX "maximus si *argentis* (*argenti* olim impressi) sescentum ac mille reliquit".' Errat Nonius: sescentum non est genetiuus sed accusatiuus: uide ad lib. XVIII u. 555 et uersum antecedentem. Coniunxit hunc uersum cum antecedenti fragmento Muellerus in Nonii editione: non recte. Maximus qui hoc loco nominatur non potuit esse nisi Maximorum illustrissimus omnium, qui illa aetate modo decesserat: fratrem hic Scipionis Aemiliani indicari statuimus ad lib. XXVIII u. 800 ubi eius filius Q. Fabius Maximus Allobrogicus nominatur ut homo nobili genere et antiquo ortus. Nam cognomen *Maximus* hic eadem cum dignitate est positum atque aliis locis *Scipio* ueluti similiter Cicero in Pis. 58 'O stultos Camillos Curios Fabricios Calatinos Scipiones Marcellos Maximos!' Reliquit Maximus quem anno fere 624/130 decessisse statuemus mille sescenta milia sestertium, i. e. denarium quadringenta milia siue talenta sexaginta sex minas quadraginta: reliquit igitur rem familiarem non amplam, sed modicam admodum qualem in familia nobili minime expectes (conf Marquardtii et Mommseni enchirid. antiq. Rom. V [ed 1884] p. 55). Reuera Fabius modicam tantummodo habebat rem familiarem: quare auctore Polybio XXXII 14, 3 *ὁ δὲ Σκιπίων θεωρῶν αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν καταδεέστερον ὄντα τοῖς ὑπάρχουσιν ἐξεχώρησε πάντων τῶν ὑπαρχόντων, οὔσης τῆς ὅλης τιμήσεως ὑπὲρ ἑξήκοντα τάλαντα διὰ τὸ μέλλειν οὕτως ἴσον ὑπάρχειν αὐτῷ κατὰ τὴν οὐσίαν τὸν Φάβιον κτλ.* (quem locum exscripsit Diodorus XXXI 27, 6). Reliquerat igitur Aemilius

Paulus plus 360 000 drachmarum: unde recte *μόλις ἑπτὰ καὶ τριάκοντα μυριάδων γενέσθαι τὴν οὐσίαν* tradit Plutarchus Aem. Paul. 39 extr. Neque igitur rem Fabius auxerat sed praeter Pauli patris hereditatem habuerat tantummodo haec quae abundant denarium milia triginta si recte Lucilii uersum interpretati sumus. Argenti facti et auri quot libras Scipio frater reliquerit traditur Plin. nat. hist. XXXIII 141 [Plut.] apopthegm. Scip. min. 1.

1054. Vergilii scholiasta Vaticanus ad georgicon III 159 'Et quos aut pecori malint submittere habendo'. ... et aliter: 'id quod habetur. Lucilius in tricesimo "nonnumquam dabit ipsa aetas quod possit habendo".' Lucilii uersum non recte adhibet commentator ad georg. l. s. s. ubi *pecori habendo* positum est sicuti georg. I 3. Apud Lucilium *habendo* datiuus absolute est positus sicuti ablatiuus ap. Lucret. I 312 'anulus in digito subter tenuatur habendo', datiuus ap. Vergil. Aen. XII 88 'simul aptat habendo ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae': qui non Lucilium sed sicuti Lucilius uersum quendam Ennii uidentur imitari. Lucilii uerba ita uidentur intellegenda esse 'nonnumquam ipsa uita dabit quantum fieri possit usui': antecedebant 'haec omnia praecepta philosophia parentes amici praebere possunt'. De sententia conf lib. XXIX u. 805 Horat. serm. I 4, 132. Lachmannus scripsit *prosit* (in Lucret. p. 212), ego 'quod possit' interpretor sicuti ap. Terent. Eun. 214. 215 legitur 'munus nostrum ornato uerbis, quod poteris, et istum aemulum quod poteris ab ea pellito' Heaut. 416 'quod potero adiutabo senem' Liu. XXVI 32, 6 'quod sine iactura reip. fieri posset' Caes. b. G. I 35, 4 'quod commodo reip. facere posset' (Cic. epist. I 1, 3) Liu. XXXIX 45, 7 'quod eius sine bello posset'. *fieri* omitti posse in tali locutione adnotant interpretes ad Terent. Phorm. 303.

1055. Nonius p. 399, 23 'Subducere est surripere. ... Lucilius lib. XXX "neu qui te *ignoro famulis* subducere".' Recte *ignaro* Gerlachius et Lachmannus, hic *famulus*, Muellerus *famuli*, quod est melius. Horat. serm. I 1, 77 'formidare malos fures, incendia, seruos, ne te compilent fugientes, hoc iuuat?' Iuuen. XI 142 'nec frustum capreae subducere nec latus Afrae nouit auis noster, *i. e. seruus*, tirunculus ac rudis omni tempore et exiguae furtis inbutus ofellae'. Idem Muellerus cum Quicheratio supplet *possint. neu qui*, neu quo pacto. Vehementer tu curas ne res tibi furto pereat neu qui te ignaro famuli subducere quicquam possint. [In app. crit. scribe *ignoro*.]

1056. Nonius p. 118, 9 'Gerdius. Lucilius lib. XXX "curare domi sint gerdius ancillae pueri zonarius *tector*".' Recte *textor* Iunius: adferunt lexica Firmic. Mat. mathes. VIII cap. 25 med. quem locum Skutschius hoc modo esse constituendum ad me scripsit: 'In parte XXVI Librae quicumque habuerit horoscopum,

erit textor gerdius'. Vocabulum *gerdius* ap. Lucilium primum inuenitur: sumptum esse uidetur ex dialecto quadam Italiae Graeca. Hesych. *γερδιός· ὑφαντής*, item CGL II p. 262, 55 *γερδιὸς ἤτοι ὑφαντὴς* textor, *γερδιά* textrix. Peculiare quoddam genus textrini exercuisse gerdium e Lucilii et Firmici uerbis intellegitur. Quod cum in papyris Aegyptiacis saepissime memorentur *γερδιοί* siue *γέρδιοι, γερδιακόν*, suspiceris textores fuisse proprie lanificos, gerdios linificos quos uno capite XXI *περὶ λαναρίων* comprehendit edictum Diocletiani. Oxyrhynch. Papyr. I p. 83 *Τρύφων Διονυσίου γέρδιος* II p. 280 seqq.: plura exempla dabunt indices editionum papyrorum Graeci et van Herwerdeni lexicon Graecum suppletorium s. u. V. Quartio textor memoratur in inscriptione urbis ap. Wilmannsium Exempl. 179. Zonarius memoratur ap. Cic. pro Flacc. 7, 17 'sutores et zonarii conclamarunt' de cuius arte exposuit Bluemnerus ad edict. Dioclet. X 8—12. Tota indoles loci similis est atque Plaut. Trin. 251 'nox datur, ducitur familia tota: uestiplica, unctor, auri custos, flabelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices (*quales exhibent monumenta sepulcralia matronarum Atticarum*) nuntii renuntii'.

1058. Nonius p. 493, 26 'Inuerbi pro inuerbis (*inberbes*). Lucilius lib. XXX "[maximus si argento] *inuerbi* androgyni, barbati moechocinedi".' Verba seclusa eiecit Cuiacius quae e proximo Nonii lemmate irrepserint (u. 1053). — *androgyni* uocabulum in prodigiorum fastis est tritum, *moechocinaedi*, ut spatalocinaedi ap. Petron. 23. Sententiam enarrare oportet collato eodem Theophrasto l. s. s. (ad u. 991) p. 62 'honoranda nutrix eius et gerula, seruus paternus et maternus, et alumnus, et formosus assecla, et procurator calamistratus, et in longam securamque libidinem exsectus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescunt. quoscumque illa dilexerit, ii ingratiis amandi'. Ad *barbati* conf Martial. VII 58 'Iam sex aut septem nupsisti, Galla cinaedis, dum coma te nimium pexaque barba iuuat' e. q. s.

1059. Nonius p. 348, 21 'Mittere, omittere. ... Lucilius lib. XXX "hoc ... *libenter*".' *lubente* Iunius. Hoc quod ego satura mea ut graue uitium reprehendi, tu missum facies, illo, quod praeceptum proposui ibidem et bonum et salubre, tuquidem facile poteris uti auctore plaudente.

1060. Nonius p. 235, 16 'Aptum rursum conexum et conligatum significat. ... Lucilius lib. XXX "unus *consternit nouis* uetus restibus (pestibus *L*) aptus".' *nobis* Turnebus, *consterni* recte Lachmannus. Sententiam ita fere suppleas: 'sero est denique coeptus unus consterni nobis grabatus, uetus, restibus aptus'. Contulit Lachmannus lib. VI u. 251 'tres a Deucalione grabati restibus tenti'. Describitur cena sordidi hominis: hospites stipati pluresque in uno lecto collocantur, quam moris erat sicuti narrat

Cic. in Pis. 67 ʻGraeci stipati, quini in lectis, saepe plures: ipse solus' Philem. CAF II p. 485, 26 K *σκιμπόδιον ἓν καὶ κῴδιον καὶ ψιάθιον ἴσως παλαστῆς.* *restibus aptus* aperte rem sordidam et obsoletam indicat: elegantiores lecti restibus subtenti non uidentur fuisse.

1061. Nonius p. 35, 20 ʻPriuum est proprium unius cuiusque; unde et res priuata. Lucilius lib. XXX "culcitulae (*culcituae* Leidensis) . . . binis". idem (lib. I u. 50) "abdomina tunni priua dabo".' Describitur grabati ornatus sordidus et illiberalis. Culcitae, qui sunt tori lecti, paruae erant et angustae: quare deminutiuum posuit. Super has culcitas, quales III capiebat lectus, sternitur uestis stragula, ita tamen ut bini centones imponantur singulis toris. Quibus centonibus uidelicet loci conuiuarum indicabantur. Recte si haec erunt exposita sex in uno lecto collocatos fuisse conuiuas apparet Culcita hoc loco minime idem est quod lib. III u. 138 nominatur puluinus: conf Plaut. Mostell. 894 ubi seruus dicitur per conuicium eri culcitella Cic. Tusc. III 46 ʻconlocemus in culcita plumea' Sen. epist. 108, 23 ʻlaudare solebat Attalus culcitam, quae resisteret corpori: tali utor etiam senex, in qua uestigium apparere non possit' idem epist. 87, 2 pauperculam cenam describit ʻculcita in terra iacet, ego in culcita. ex duabus paenulis altera stragulum, altera opertorium facta est. de prandio nihil detrahi potuit' e. q. s. Vnde apparet corpus, non cubitum poni in culcita.

1062. Nonius p. 83, 12 ʻCaries est uetustas. . . . Lucilius lib. XXX "*plauda* una est pedibus cariosis *mensulibano*".' *clauda* recte Guietus: ita *orpo* pro *Orco* (lib. XXVI u. 663) ap. Nonium p. 283, 25, *erepiteo* pro *erectheo* p. 290, 17. Hom. *υ* 259 *δίφρον ἀεικέλιον καταθεὶς ὀλίγην τε τράπεζαν.* Mensa illa et uetus et nimis erat angusta: pluribus enim opus erat. Philox. *δεῖπνον* PLG III p. 601, 2 B *εἰς δ' ἔφερον διπλόοι παῖδες λιπαρῶπα τράπεζαν, ἄμμι, ἑτέραν δ' ἑτέροις, ἄλλοι δ' ἑτέραν μέχρι οὗ πλήρωσαν οἶκον· ταὶ δὲ πρὸς ὑψιλύχνους ἔστιλβον αὐγὰς εὐστέφανοι λεκάναις κτλ.*: conf ad lib. XX u. 568.

1063. Nonius p. 96, 10 ʻDeblaterare, obloqui, confingere. Lucilius lib. XXX (XX G) "deblaterant plennus bonus rusticus concinit una".' Paul. Fest. epit. p. 72 ʻDeblaterare est stulte loqui. Nam Graeci *βλάκας* stultos appellant'. *Deblaterare* uerbum poeta ex Plauto sumpsit qui Aul. 268 ʻubi tu es qui deblaterauisti iam uicinis omnibus meae me filiae daturum dotem?' *blennus* Iunius: quod uocabulum item est Plautinum: Bacch. 1088 ʻstulti stolidi, fatui fungi, bardi blenni buccones'. Conf CGF I 1 p. 113, 119 Kaibelii *βλεν(ν)όν· τὸν νωθῆ καὶ μωρόν. Σώφρων* ⟨*καὶ Ἐπίχαρμος add Bergkius*⟩ *Προμηθεῖ* Hesychius *βλεννόν· νωθῆ μωρόν.* Hominem qui parum sit emunctae naris dici patet

comparatis uocabulis *βλέννα βλέννος βλεννώδης*: testatur idem Hesychius s. u. *βλένα· μύξα. οἱ δὲ διὰ τοῦ π πλένα* et s. u. *πλένναι· μύξαι.* Itaque rectius erit seruare apud Lucilium p litteram traditam. Quicquid inepte deblaterant, stupidus ille assentitur: Terent. Eun. 251 ʻquidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque; negat quis, nego: ait, aio: postremo imperaui egomet mihi omnia adsentari', i. e. quod Diodorus comicus CAF II p. 421, 35 K dicit esse parasitos *οὐχὶ τοὺς χαριεστάτους . . . τοὺς δὲ κολακεύειν δυναμένους καὶ πάντ' ἐπαινεῖν.* — Rusticum in cena Vulteium Menam induxit Horatius epist. I 7 (72).

1064. Nonius p. 298, 31 ʻExcutere, excludere, deicere. . . . Lucilius lib. XXX "ipso . . . excutiamus".' Qui dicitur dominus uidetur esse conuiuii exhibitor sicuti lib. VI u. 241: excanduit conuiua et eum qui proxime accubat hortatur ut secum omnes istos reges una cum domino *λὰξ ποδὶ* eiciat e triclinio.

1065. Nonius p. 117, 33 ʻ*Gemiae,* gulosi. Lucilius lib. XXX "illo quid fiat lamia et *pitto ixiodontes* quod ueniunt *gemiae illiae* uetulae inprobae ineptae".' *Lamia et Bitto* scripsi: AP V 206 *αἱ Σάμιαι Βιττὼ καὶ Νάννιον εἰς Ἀφροδίτης φοιτᾶν τοῖς αὐτοῖς οὐκ ἐθέλουσι νόμοις* Kaibelii EG 232 *Βιττὼ καὶ Φαινίς, φίλη Ἡμέρη, αἱ ξυνέριθοι αἱ πενιχραὶ γραῖαι τῇδ' ἐκλίθημεν ὁμοῦ* (1136). *oxyodontes* Scaliger, recte opinor, etiamsi *ixiodontes* i. e. uiscatis dentibus alii defenderunt quod uidetur nimis artificiose dictum. Catull. XXIII 3 ʻuerum est et pater et nouerca quorum dentes uel silicem comesse possunt'. Recte deinde transposuit Scaliger scripsitque *illae gumiae:* archetypus habuit *illi gumiae* supra scripto *ae*, masculina forma nata erat e lemmate. Restant tria epitheta qualia leguntur ap. Cic. ad Att. IX 10, 2 med. ʻsicut *ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς* alienantur immundae insulsae indecorae'. *gumiae* formam testantur tesserae lusoriae editae ab Huelseno Roem. Mitteil. XI 1896 p. 230, Ciceronis codd in uersu Lucilii incert. u. 1237, Apuleius de mag. 57: *gomiae* Muellerus. Vocabulum ex Vmbrorum lingua petitum esse statuit Buechelerus Mus. Rhen. XXXVII 1882 p. 523: proprium est Lucilii, e sermone castrensi petitum. In tabulis Iguuinis VI A 58 *si gomia trif* I A 7 *tref sif kumiaf* significare uidetur *tres sues grauidas,* seruatum esse etiamnunc uocabulum Lucilianum sicuti illud *demagis* lib. XVI u. 528 in lingua Hispanica, ubi *gomia* significat helluonem uel manducum, intellexit Fridericus Diezius Etymolog. Woerterbuch d. rom. Spr. (ed V Bonnae 1887) p. 456. Dubitat poeta cenae sordidae interesse quo uocarit dominus conuiuii scorta duo putida et obsoleta: Volumniam Cytherida pulchram et facetam uocarat Eutrapelus, cuius conuiuio se interfuisse lepide narrat M. Tullius epist. IX 26.

1067. Priscianus GL II p. 488, 21 K 'Et similiter redoleo et redolui et redoleui, quia non mutant significationem. . . . Lucilius uero in XXX "quis totum scis corpus iam perolesse bisulcis", pro peroleuisse'. CGL V p. 271, 39 'bisulcis: diuisis ungulis porcus': reliquas glossas eiusdem generis exhibet Thesaurus glossarum s. u. *bisulcis* de quibus egit Ribbeckius TRF edit. II p. LXXV seq. Bisulces sunt *τὰ δισχιδῆ τετράποδα* siue *τὰ διχηλά* (Aristot. hist. anim. II 1 p. 499 b 9). *scis iam corpus* propter uersum scribere maluit Lachmannus: eidem tamen numeri Lucret. II 907 'sed tamen esto iam posse haec aeterna manere'. His putidis moechis scis tuquidem corpus iam stabulum peroleuisse, cum tenera essent aetate: at nunc sunt uetulae.

1068. Nonius p. 321, 5 'Inuitare apertam habet significantiam. . . . Lucilius lib. XXX "contra . . . uidentur".' Hae sordes et corporis turpitudo hominem non deterruerunt, immo haec ipsa inuitasse et instigasse uidentur. Hor. serm. I 3, 38 'amatorem quod amicae turpia decipiunt caecum, uitia aut etiam ipsa haec delectant, ueluti Balbinum polypus Hagnae' ubi Porphyrio: 'Luciliana urbanitate usus in transitu amaritudinem aspersit'.

1069. Nonius p. 81, 31 'Cuia pro cuius. Lucilius lib. XXX "cuia . . . cluebat".' Idem p. 87, 32 'Cluet, nominatur. Lucilius lib. XXX "*quia* . . . cluebat".' Cum utrobique *troginus* nomen sit traditum, mutationis omnino locus non est. Nomen esse barbarum et a *Trogus* deductum suspicatur Turnebus Aduers. XXIX 21 (II Paris. 1580 p. 240), qui Trogi Pompei historici nomen Gallicum apte poterat conferre. Quod si recte suspicatur, in sociorum numero p. R. meruisse bello Numantino homo ille ebriosus putandus est. *o* longam rectene posuerit poeta, in nomine barbaro ne quaeras neque mireris quod CIG III 6660 IGSI 1504 legitur *Τρόγος*: nam in eiusmodi nominibus nulla fere est lex nec consuetudo stabilita. Praeterea o longam esse in *Trogi* nomine iudicat Windischius Sitzungsber. d. K. Saechs. G. d. W. XXXVIII 1886 p. 243. Tamen in commentario uetere anquisitionis ap. Varronem de l. Lat. VI 92 nomen hominis qui aedes habuit Romae scriptum inuenitur *T. Quinti Trogi*. 'Calix' per castra nominabatur Troginus propter uini nimium amorem: potuit hunc u. addere facetiis castrensis sermonis quas collegit Supplem. annal. philol. XXVI 1901 p. 356 I. G. Kempfius. Simili modo audiebat Xenarchus Rhodius *διὰ τὴν πολοποσίαν Μετρητής* (Athen. X p. 436 F), Mediolanensem illum Nouellium Torquatum tribus congiis epotis uno impetu cognomine inde ducto uulgo praeditum fuisse narrat Plin. nat. hist. XIV 144, *ἀκρατοκώθωνας* auctore Hyperide contr. Demosth. in fine (p. 23 Blass.) Demosthenes adulescentulos quosdam appellauit. Conf Fronto p. 205 extr. N.

'Multos militum imperator suo quemque nomine proprio atque castrensi cognomine et ioculari appellabat'.

1070. Nonius p. 157, 12 'Potus a bibendo. Lucilius lib. XXX "*secus* cum eo medio *ac* ludo bene potus recessit".' *Serus* recte I. Dousa: conf Cic. epist. VII 22 'etsi domum bene potus seroque redieram' Apul. met. III 5 'nam cum a cena me serius aliquanto reciperem potulentus alioquin' e. q. s. Similiter Plautus Parasito pigro 'inde hic *b*ene (dene cod) potus prim*ulo* (primo *cod*) crepusculo'. — recessit medio a ludo conuiuali qui est potandi, quia bene potus erat. Nam 'aut bibat aut abeat' iubet lex conuiualis (Cic. Tusc. V 118). Ludos in conuiuio commemorat Lucret. IV 1131 'eximia ueste et uictu conuiuia, ludi, pocula crebra, unguenta' e. q. s. Cic. de fin. II 23 'optimis cocis . . . quibus uinum defusum e pleno sit chrysizon, ut ait Lucilius . . . adhibentis ludos et quae secuntur, . . . adsint etiam formosi pueri' e. q. s. Iustin. IX 4, 1 'non in conuiuio risit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta sumpsit': sed illis locis potius symphoniae saltationes alia id genus oblectamenta spectantur (Vitruu. VI 7, 3 p. 150, 2). Similem ludum memorat Horat. serm. II 2, 123 'post hoc ludus erat culpa potare magistra'.

1071. Nonius p. 277, 30 'Delica est aperi et explana. Lucilius lib. XXX "nemo istum uentrem pertundet *delicietque* (quae *L m. 1*) *uti uia* atque uidebis".' Transtulit Muellerus uerba Lucilii ad lemma quod antecedit 'delicere est inlicere': probarem si in uersu Lucilii istud *delicietque* quod conuenit numeris conueniret etiam sententiae. Eadem fere testimonia de *delicare* uocabulo exhibet Nonius ordine inuerso p. 98, 5 ubi omittit et Lucilii uersus et unum Titinii uersum ex Proelia fabula. Verbum *delicare* Lucilii temporibus obsoletum fuisse inde apparet, quod omnibus quibus inuenitur locis ap. Non. l. s. s. in exitu uersus est positum sicuti Plaut. Mil. 844: quod num idem sit reuera atque *deliquare* quod a liquando deducitur dubito. Colloquium esse lasciuorum hominum ex sermone apertum est: 'nemo istum uentrem pertundet' dictum ut 'nemo hos ancipites ferro effringat cardines' lib. XXIX u. 840: immani uentris sagina tutum fore sodalem a latronis insidiis confirmat aliquis inter sodales. Qui uidetur idem spectare uerberum genus quod *γαστρίζειν* dicunt Attici uel *κολετρᾶν*: Aristoph. Equit. 273 *ὦ πόλις καὶ δῆμ' ὑφ' οἵων θηρίων γαστρίζομαι* (454) Nub. 549 *ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων' ἔπαισ' εἰς τὴν γαστέρα* (552). Nicolaus CAF III p. 383, 7 K de Tantalo Iouis parasito: *ἄφνω δὲ πληγεὶς εἰς μέσην τὴν γαστέρα ἔδοξεν αὐτῷ γεγονέναι τἄνω κάτω* Heliod. Aethiop. I cap. 10 extr. *τὰ μὲν ἄλλα ὅσα σέ τε κἀμὲ περιύβρισεν αἰσχύνομαι λέγειν· λὰξ δὲ κατὰ τῆς γαστρὸς ἐναλόμενος οὕτως ἔχειν ὡς ὁρᾷς διέθηκεν.* Lucilium igitur diuerbium scripsisse hoc loco manifestum est.

Sed alterum uersum lacuna deformatum esse numeri ostendunt, cum uerba uideantur esse sana. Nam *uti uia* locutione Cicero utitur ad Att. II 19, 2 'ego autem neque pugno cum illa causa propter illam amicitiam neque approbo, ne omnia improbem, quae antea gessi: utor uia'. Quae locutio quid significet, non indagare possumus nisi diuinando: uidetur Cicero dicere sese uti commoditate uiae planae, ita ut modo recta iret, modo declinet ad dextram sinistramue, neque malle sese callibus uti angustis et arduis, duris et asperis neque commeare per inuia et saltus: *ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖς* prouerbium est Graecum (CAF I p. 404, 47 K). Verba '*delica*'. '*aitque*': posui quia meliora praesto non erant. Imperatiuum in diuerbio positum fuisse omnium prababilissimum est: quae Lachmannus scripsit: '... delicet: aude uti ui atque uidebis' obscura admodum sunt. Nec meliora alii proposuere.

1073. Nonius p. 321, 26 'Inuitare significat repleri. ... Lucilius lib. XXX ''*cibo* (*cito* Leidensis) *bene enim* longincum mortalibus morbum in uino esse ubi qui inuitauit dapsilius se''.' Muretus Var. lect. VI 12 transposuit recte cum scriberet 'scito etenim bene longinquum' e. q. s. 'bene longinquos dolores' Cic. de fin. II 94. Quod idem *etenim* scripsit, improbabimus ideo, quod alibi apud Lucilium non inuenitur: neque Plautus genuinus neque Cato ea usi sunt particula neque tragoedia. Qui utuntur Terentius Afranius Laberius in exordio collocant sententiae. — *in uino*, Plaut. Truc. 854 Terent. Heaut. 568 Catull. 12, 2 'in ioco atque uino' Cic. Verr. III 62 'in uino atque lustris' Catil. II 10 'in uino et alea', i. e. in conuiuio. — Male mulcatur fustibus dum ebrius et temulentus domum se capessit a latronibus: uulnera postquam sanata sunt morbusque quem plagis contraxerat praeteriit, hanc sententiam profert uinolentus ille quam lucri fecerit ex infortunio. — ubi qui inuitauit dapsilius se: Sueton. August. 77 'quotiens largissime se inuitaret, senos sextantes non excessit'.

1075. Nonius p. 348, 5 'Micare, per uices sine ordine mouere (*moueri* Lachmannus). ... Lucilius lib. XXX ''omnia tum endo muco uideas feruente micare''.' Secernit Nonius hoc exemplum a lemmate *micare, fulgere:* unde apparet et *feruere* uocabulum et *micare* nil pertinere ad luminis candorem sed ad omnium rerum oscillationem titubationem fluctuationem. Eundem uersum quem Lucilius uidetur imitari Vergilius georg. I 455 'omnia tum pariter uento nimbisque uidebis feruere'. Ennianum uidetur istud *endo muco* i. e. *endo mycho* quod recte posuit Mercerus: nil enim huc pertinet *ἐνδόμυχον* Ciceronis ad Att. V 14, 3. Est *μυχός* penetralia domus: conf Phoenix poeta ap. Athen. VIII p. 360 A *ἀλλ', ὦγαθοί, ἐπορέξαθ' ὧν μυχὸς πλουτεῖ.* Apud Heracleotas Lucaniae tribus partibus constat *οἰκία: βοῶν μυχός ἀχύριον* appellantur tab. Heracl. I 142 (Caueri delect. inscript. Gr. ed II 40 Kaibelii IGSI 645).

1076. Nonius p. 137, 28 'Mictyris (mictiris *G m. 1*, mictilis *m. 2*), paupercula pulmentaria. Lucilius lib. XX ''pulmentaria *utentibus* aut *aliquod* genus herba et ius menarum bene habet se mictyris haec est *meri*''.' Idem p. 209, 3 'Intiba generis neutri. ... masculini. Lucilius ... idem XXX ''pulmentaria ... *aliqua et* id genus herba''.' Libro XXX adscripsit Lachmannus, recte: nam facilius una X nota a librario omitti potuit quam addi per errorem. Accedit quod ap. Non. p. 137 commendant numerum XXX ea quae secuntur lemmata ad lib. XXVII et XXVI pertinentia. *meri* quod in exitu uersus alterius positum est ap. Nonium, e sequenti *mertaret* ortum esse intellexit Rothius. *aliqua id genus* editores: Cic. ad Att. XIII 12, 3 'orationes aut aliquid id genus'. At quod perperam scriptum est p. 209 'aliqua et id genus herba', inde melius erit quod iam fecit Onionsius recuperare formam *aliquae* de qua interpr. ad Lucr. IV 263 Lachmannus ad Lucr. IV 638 Neueus de formis l. Lat. (edit. III) II p. 476. *mictyris* quod traditur in u. Lucilii et in lemmate a cod Leidensi et Guelferbytano m. 1, nolui mutare. Nil nisi coniectura librarii est illud *mictilis*, *μυστίλη* quam memorat Pollux VI 87 agnoscit Lachmannus qui proposuit *si mystila sicca est, μυστιλίς* Buechelerus in Thesauro glossarum emendatarum s. u. *mictilis.* Quod uocabulum formatum ut *πλημμυρίς*, ut *ἁλμυρίς* ab *ἅλμη* ita a *μικτός* et significare uidetur *miscillanea ludi* quem cibum appellat Iuuen. XI 20. Agitur de cibis qui aegroto conueniant: Scribon. Larg. cap. 104 ... 'proderunt et intubi cocti uel crudi ex aceto, item lactucae caules cum foliis ex posca decocti, conchula marina, purpurae, murices' Cels. III cap. 6 p. 87, 33 Daremb. 'uti cibo serius et rarius ... maximeque oleribus, qualia sunt lapathum, urtica, malua, uel iure etiam concharum, musculorumue aut locustarum'. Haec aegrotantis sunt alimenta: qui simul atque se bene habere coepit, haec est mictyris, i. e. cibus uilis et contemptus. Recte *bene habet se* codd: agitur de ualitudine ut lib. V u. 181 'quo me habeam pacto' Flor. II 13 (IV 2) 68 'respondit hoc ipsum ''bene se habet imperator'' ' Cic. ad Att. XI 7, 4 'ii tamen ipsi se hoc melius habent quam nos'. mictyris haec est: uide ad lib. XXIX u. 886.

1078. Nonius p. 344, 23 'Meret, meretur. Vergilius lib. X (492) ''qualem meruit, Pallanta remitto'' et lib. IV (317) ''si bene quid de te merui''. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II ''quem perisse ita de republica merentem consulem doleo''. Lucilius lib. XXX ''*publica lege* ut mereas, praesto est tibi quaestor''.' Liu. IV 43, 4 tradit creatos esse 'quaestores duo qui consulibus ad ministeria belli praesto essent', Cic. Verr. II 11

'quaestores utriusque prouinciae qui isto praetore fuerant, cum fascibus mihi praesto fuerunt'. Non audeo cum Quicheratio et Muellero dimouere Lucilii u. s. s. ex serie exemplorum illa, ita ut *meret* potius intellegi debeat de stipendiis merendis: qualia sunt ea exempla quae secuntur apud Nonium (lib. XV u. 491 XI u. 406 I u. 10). Neque uideo quomodo uerba 'praesto est tibi quaestor' separari possint apte ab antecedentibus. Secundum Nonii testimonium 'ut mereas' aliter accipi non potest atque apud Ciceronem et Vergilium l. s. s. ut ⟨*tu*⟩ Lachmannus: *publicitus* pro *publica* Muellerus, alii alia. Post *lege* excidisse arbitror *bene*. Quaestor stipendia militum computat et dona militaria (Polyb. VI 39 extr. Cic. Verr. act. II I 14, 36). Quae narrantur ap. Lucilium similia esse uidentur eis, quae de Scipione Numantino traduntur Liu. perioch. 57 'Scipio amplissima munera missa sibi ab Antiocho, rege Syriae, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali ea accepturum se esse dixit omniaque ea quaestorem referre in publicas tabulas iussit: ex his se uiris fortibus dona esse daturum'. *publicu* scripsi: conf Apul. apolog. cap. 101 'praesens est quaestor publicus, cui depensum est, Coruinius Celer, uir ornatus': *publica* ablatiuum qui seruari posse censebit, ueluti *enim* post hoc adiectiuum excidisse statuet.

1079. Nonius p. 323, 31 'Inuadere est adpetenter incipere. . . . Lucilius lib. XXX "ut semel *in caeli pugnas* te inuadere uidi".' Ante hunc u. attulit Nonius Vergilii u. Aen. IX 186 'aut pugnam aut aliquid iamdudum inuadere magnum mens agitat mihi'. Martial. IX 56, 6 'tutus ut inuadat proelia, nudus eat'. Pro *pugnas* Lucilius *in pugnas* posuit sicuti *in fauces inuasse* lib. II u. 57. — *ut semel* Plaut. Amphitr. 873 'ut occepi semel' Mostell. 471 'semel ut emigrauimus' Hor. serm. II 1, 24 'ut semel . . . accessit' Cic. Brut. 51 'ut semel e Piraeo eloquentia euecta est' Caes. b. G. I 31, 12 'ut semel Gallorum copias proelio uicerit': 'ut semel in motus coniectast conuenientis' Lucr. I 1030. Versum uariis modis interpretati sunt. Mercerus edocet malum poetam tangi qui gigantomachias scripserit quas Lucilius *caeli pugnas* appellauerit, Baehrensius Caelii Antipatri historici pugnarum descriptiones, Muellerus ad Non. l. s. s. nominari Caelium tribunum quem Ennius annalibus celebrauerat (de quo Macrob. Sat. VI 3, 3 'hunc locum Ennius in quintodecimo ad pugnam Caelii tribuni his uersibus (401 V) transfert' quo de loco Muellerus egit in libro de Q. Ennio p. 180), F. Dousa in commentario ad lib. XXX 30 carpi C. Caelium iudicem, quem memorat auctor rhetor. ad Her. II 13, 19 absoluisse eum, qui C. Lucilium in scaena laeserat; Caelium pilicrepum illum esse qui laudatur incert. u. 1134 iudicat Gundermannus mus. Rhen. XLI 1886 p. 633, alii alia: Numerium Caelium tangi hoc uersu (incert. u. 1295) sine dubio statuissent alii, si illud fragmentum inuenissent in suis editionibus. Non recte F. Dousa scripsit 'in Caeli pugnos', cum Vergilii illud exemplum tueatur istud *pugnas*. At genetiuus nominis proprii ad uocem 'pugnas' male appositus est: uocatiuum commendat *te* pronomen emendandumque erit transpositione. Reuera Lucilium ad N. Caelium amicum unam saturam misisse euincitur incert. uu. 1294. 1295 quos huius libri esse statuas nisi ad eundem hominem complures saturas Lucilium scripsisse probabilius esse credideris. Inde ab anno 623/131 bellum gerebatur contra Aristonicum in Asia.

1080. Nonius p. 287, 29 'Dicare, indicare, nuntiare. Lucilius lib. XXX "sicubi ad *auri* fama tuam pugnam *claram adlatam* dicasset".' auris *editt.* allatam *L m. 2*, illatam *G*. Pertinere huc glossam Pauli Fest. epit. p. 75 'dicassit dixerit' censet Merula: neque tamen congruunt hermeneumata. *clarans* Lipsius, qui famam Lucilii fecit *alatam*. Desiderari arbitror *praeclaram* pugnam dici, non *claram*. Ego Lucilius paratus eram cartis et calamo canere laudem tuam et gloriam, si forte fama ad auris adlata tuam praeclaram pugnam aliquam nuntiasset. — *ad auris:* plebeio sermone dum utitur auctor rhet. ad Her. IV 10, 14 'ad oriculas uersarentur' scripsit.

1082. Nonius p. 292, 13 'Exanclare etiam significat perpeti. . . . Lucilius lib. XXX "quantas . . . exanclaris".' Poeta *quoque modo* posuit inductus *quantas* relatiuo pro *omnibus modis: quotque* I. Dousa: cui lectioni refragatur quod nec *quantosque labores* nec *modo* sic apte erit positum.

1084. Nonius p. 340, 21 'Locare, constituere. . . . Lucilius lib. XXX "*uirtutis haec tuae artis* monumenta locantur".' 'uirtutisque tuae atque artis monumenta locantur' Iunius: penthemimeres similis est Propert. III 17, 20 'uirtutisque tuae, Bacche, poeta ferar'. Rectius tamen transposuit 'haec uirtutis tuae' Corpetus, '*cartis*' Lachmannus. '*uirtus* Scipiadae et mitis sapientia Laeli' Horat. serm. II 1, 72 ubi de Lucilio agitur. Idem l. s. u. 16 'attamen et iustum poteras et scribere fortem Scipiadam ut sapiens Lucilius' et u. 70 idem Lucilius dicitur fuisse 'uni aequus *uirtuti* atque eius amicis'. Fanum uirtutis posuit Numantinus auctore Plutarcho de fortun. Rom. cap. 5.

1085. Nonius p. 274, 21 'Conducere, conuenire (ita *L:* conuertere *G*). Lucilius lib. XXX "et . . . cartis".' Arbitror ego Lucilius gloriam et uirtute tua et claris cartis poetae partam conducere nominis tui claritati.

1086. Nonius p. 264, 3 'Contentus dicitur cui res etiam parua abunde est. . . . Lucilius lib. XXX "*et is* te . . . teneto".' De emendatione uersus conf lib. VI u. 236 XIV u. 457 XVI u. 522: *ii iis ei eis* formas neque Lucilius neque Horatius uidetur ad-

hibuisse. Adnotat Muellerus 'Maro aen. X 802 furit Aeneas tectusque tenet se'. Promittit poeta postea se amplius et fortius carmen in honorem esse scripturum amici.

1088. Nonius p. 10, 21 'Inlex et exlex est qui sine lege uiuit. . . . Lucilius satyrarum lib. II . . . Varro . . . Lucilius lib. XXX "accipiunt leges populus quibus legibus exlex".' Leges *accipiunt* est dictum ut Cic. pro Cornel. ap. Ascon. p. 63, 18 K S 'nec criminosius, tribus ad legem accipiendam quam ad collegam reddendum priuatum intro uocare' de off. III 30, 109 'honestius hic quam Q. Pompeius, quo cum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est' ad Att. I 14, 5 'ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam'. Accipiunt leges, quas uulgo ipsi contemnere cottidie se posse arbitrantur: Liu. IX 34, 8 'an populum teneri, te unum exlegem esse?' Varro sat. Menipp. 507 B 'postremo quaero: parebis legibus an non? anne exlex solus uiuis?'

1089. Nonius p. 370, 18 'Parcere est ueniam dare. . . . Lucilius lib. XXX "quanti uos faciant socii comparcere possint".' Sententiam hoc modo suppleas: 'isti homines uidetis, quanti uos faciant, socii, quom parcere possint, perdere uos malunt'. *socii* uocatiuus, ut incert. u. 1323. Conf. Cic. Verr. IV 9, 19 'quanti is a ciuibus suis fieret, quanti auctoritas eius haberetur, ignorabas?' pro Quinct. 51 'iugulare ciuem ne iure quidem quisquam bonus uult, mauult commemorari se, cum posset perdere, pepercisse, quam, cum parcere potuerit, perdidisse'. Agi uidetur de turbis in possessionibus et praediis sociorum factis anno 624/130 625/129 de quibus Appian. b. c. I cap. 18. 19.

1090. Nonius p. 478, 26 'Nutritur et nutricatur pro nutrit et nutricat. . . . Lucilius lib. XXX "*sensu nitricatum sane* (sine *G*) caput opprimit ipse".' Verba non intellego. Plinius nat. hist. XI 135 de capite 'Hanc habent sensus arcem . . . hic mentis est regimen'. Itaque temptaui 'sensus nutricatum asini caput opprimit ipse': nempe homo stolidus ipse suum caput dedit neci quod nutricatum erat asini sensus.

1091. Nonius p. 269, 20 'Conficere, consumere, finire. . . . Lucilius lib. XXX "*confecit* ipse comestque".' Idem p. 81, 27 'Comest pro comedit . . . Lucilius . . . Et XXX "conficit ipse *comesque*".'

1092. Nonius p. 35, 15 'Arquatus morbus dictus qui regius dicitur, quod arcus sit concolor, de uirore, uel quod ita stringat corpora, ut in arcum ducat. quod * * * nos esse arquatos surgamus, eamus, agamus'. Adnotat Lachmannus: 'Lucilii uersum esse omnes uiderunt: sed est ex libro XXX, e quo Nonius omnia sumpsit, quae sunt in uicinia huius capituli'. Sicuti Lachmannus ita post Lachmannum Nonii editores iudicarunt statuentes lacu-

nam esse factam post *quod*, qua perierint cum alia tum uerba *Lucilius lib. XXX*. De arquato morbo Celsus III cap. 24 'Aeque notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant . . . color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus, quod album esse debet, fit luteum'. Et in capite extremo 'Per omne uero tempus utendum est exercitatione, frictione, si hiems est, balneo, si aestas, frigidis natationibus, lecto etiam et conclaui cultiore, lusu, ioco, ludis, lasciuia, per quae mens exhilaretur'. Similiter Horatius epist. I 2, 32 'ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones: ut te ipsum serues non expergisceris? atqui si noles sanus, curres hydropicus'. Supplendum igitur hoc fere modo: 'si medicus dixit nos esse arquatos, surgamus, eamus, agamus'. Versum post caesuram insuauem reddit alacris poetae uociferatio qui tres imperatiuos simul et asyndeton ponere maluerit quam uersum elegantem et politum.

1093. Nonius p. 35, 10 'Angina, genus morbi, eo quod angat. et Graece synance (synantea *L* sinanca *G*) appellatur (*conf Cels.* IV 7). Lucilius lib. XXX "insperato *abit* quem una angina (anguina *G*) sustulit hora".' Bene adfert Dousa in commentario Senecae epist. 101, 3 '. . . genere ualitudinis praecipiti arreptus, angina, uix conpressum artatis faucibus spiritum traxit in lucem. intra paucissimas ergo horas, quam omnibus erat sani ac ualentis officiis functus, decessit'. De quantitate i uocalis constat hoc Lucilii uersu quem integrum seruauit Corpetus Waseum (de senar. XIV p. 210) secutus. Recte Dousa *abiit* seruauit indicans 'abitionem antiqui dicebant mortem' Paul. Fest. epit. p. 23 (380); 'abiit ad plures' Petron. 42: plura exempla dabit Thesaurus l. Lat. p. 68 s. u. abeo. Lucian. Timon. 15 extr. *οὐκ εἰδότας ὡς μετὰ μικρὸν ἀπίασιν ἄλλῳ τινὶ τῶν εὐδαιμόνων με καταλιπόντες.* Vide ad lib. XXII u. 581.

1094. Nonius p. 34, 31 'Praestringere dictum est non ualde stringere et claudere. Plautus in Milite glorioso (4) "praestringat oculorum aciem in acie hostibus". Lucilius lib. XXX "praestringat *oculorum aciem* [*in acie hostibus*] splendore micanti".' Aberrasse oculos librarii a uersu Lucilii in uersum Plauti apparet: dubium tamen est, quo in uocabulo aberrarint. Statuit Dousa scripsisse Lucilium 'praestringatque oculorum aciem splendore micanti' usus mala ratione emendationis, 'praestringant' e. q. s. Corpetus item male, Onionsius 'praestringat oculorum aciem splendore micanti', quod ferri potest ideo quod saepius eadem uersus sede producitur extrema syllaba (conf indic. gramm. s. u. *productio*). Quod si reuera scripsit Lucilius, uersus egregium est testimonium lectae Militis fabulae Plautinae. Contra Lachmannus et Muellerus tantummodo uerba 'praestringat splendore micanti'

Luciliana esse uoluerunt. Malo tamen stare ab illorum parte, ideo quod ita librariorum mendum facilius explicatur, quod integer herous hac ratione efficitur, quod Lucilium Plauti imitatorem esse constat, quod eundem Plauti locum initio fabulae positum imitatur Cicero epist. ad Brut. I 18, 4 'qui splendore falsi honoris obiecto aciem boni ingenii praestringi posse confidunt', denique quod aegre aliud obiectum potuit Lucilius apponere atque illud 'oculorum aciem'.

1095. Nonius p. 33, 2 'Inuolare est inruere, insilire; aut a uolatu aut a uola, id est media manu, dictum. . . . Lucilius lib. XXX "inde canino *rito* (olim impressi *ritu*) oculisque inuolem".' *canino ritu* est quod Sophocles et Aristophanes dicunt *κυνηδόν*. Et uocabulum *inuolem* et formam coniunctiui ipsam e comoedia sumpsit poeta: Plaut. Most. 203 'uix comprimor quin inuolem illi in oculos stimulatrici' Terent. Eun. 859 'uix me contineo quin inuolem in capillum monstro' 647 'qui nunc si detur mihi ut ego unguibus facile illi in oculos inuolem uenefico'. Muellerus Lipsium et Corpetum secutus scribit 'inde canino *ori si* ritu oculisque inuolem' quocum de supplemento consentias conferens Sueton. Calig. 25 extr. 'ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium ... incesserit'. Itaque sententiam ad comicorum illa exempla constituas hoc fere modo 'uix comprimor, inquam, quin furis facie inde canino ritu oculisque inuolem'.

1097. Nonius p. 343, 9 'Mitis est tranquillus et lenis. . . . Lucilius lib. XXX "*et* illud quoque mite malum blandum atque dolosum".' Agitur de mulieris ingenio. Non tantummodo ferox mulieris ingenium et contumax et litigiosum molestum est: illud quoque mite est malum blandum et dolosum, quod etiam magis cauendum est. Nam mitem et lenem dum simulat animum, malas res aut machinatur aut malarum rerum conscia peccata sua cupit obtegere. *est* I. Dousa.

1098. Nonius p. 180, 3 'Temnere, contemnere. Lucilius lib. XXX "quodque . . . temnere superbum".' temere *L m. 1*, te tempsere superbi *I. Dousa*. *quotque* edidit Lindsayus solus, errore ut uidetur: *quodque* uersus initio positum ut lib. XXVI u. 626.

INCERTAE SEDIS RELIQUIAE.

1099. Glossarium CGL II p. 12, 52 'acactum ἄκανθα ὡς *Λουκίλιος* (*λουκιανο̄ς* cod)' *cactum* Vulcanius quod commendauit Salmasius ad Tertull. de pall. cap. II extr. p. 123 'eradicato omni aconito hostilitatis et cacto (coacto codd) et rubo subdolae familiaritatis conuulso'. Hesychius s. u. *κάκτος ἄκανθα*, schol. Theocr. X 4 (*κάκτος ἔτυψε*) *κάκτος δὲ εἶδος ἀκάνθης*, testimonia de hac planta

collegit Athen. II p. 70 D adferens Theophrasti hist. plant. VI 4, 10 (Plin. nat. hist. XXI 97) qui de cardui generibus *ἡ δὲ κάκτος καλουμένη περὶ Σικελίαν μόνον, ἐν τῇ Ἑλλάδι δὲ οὐκ ἔστιν.* Addit Athenaeus *τίς δὲ τούτοις οὐχὶ πειθόμενος θαρρῶν ἂν εἴποι τὴν κάκτον εἶναι ταύτην τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων μὲν καλουμένην κάρδον, οὐ μακρὰν ὄντων τῆς Σικελίας, κτλ.* Sicula uoce uti Lucilium non mireris: positam hanc fuisse eo loco de quo agitur fragm. incert. 1299 suspicetur aliquis. Quae si recte statuerunt uiri docti, glossarii auctor glossam corruptam exscripsit et falso posuit in littera a.

1100. Pompeius GL V p. 289, 2 K 'Quo modo autem fiat soloecismus, quo modo fiat schema, ex affectu scribentis debemus agnoscere: si necessitas metri cogit, ut ita faciat, schema est, si autem etiam sine necessitate metri potest illa res dici, apparet esse soloecismum etiam in uersu. quot modis, ait, fiunt soloecismi? Donatus redegit se ad summam breuitatem et dixit, "duobus tantum" (GL IV p. 393, 18 K). Lucilius autem dixit "centum" et enumerauit omnes: extat liber ipsius, dicit illud et illud. nam ait sic "adde *soloecismo* (ita C S *soloecismos* B *soloecismum* P) genera atque uocabula centum" et currit (*percurrit* recte Lachmannus) ipsa uocabula uersibus scriptis arte, et ibi enumerauit illa omnia'. Seru. in Don. GL IV p. 446, 19 K 'Soloecismorum genera centum dicit esse Lucilius'. Isidorus orig. I 32, 5 'Nam Lucilius centum genera soloecismorum dixit, quos omnes uitare potius, quam sequi debet, qui regulam recte loquendi tenere studet'. De centum generibus soloecismorum a Lucilio enumeratis eodem modo nugatur grammaticus plurima usus loquacitate quo scholiasta cuius uerba exhibuimus fragm. incert. 1262 qui omnes XXXV tribus deinceps a poeta laceratas fuisse affirmet. *soloecismon* recte editores ueteres: Lucilii uersum non nouerat Gellii auctor qui V 20, 6 'Nostri quoque antiquiores "soloecum" facile, soloecismum haut scio an umquam dixerunt. Quod si ita est, neque in Graeca neque in Latina lingua "soloecismus" probe dicitur'. Quod centum genera et uocabula dicit Lucilius, id significat innumerabilia: permulta genera enumerant grammatici ueteres ueluti Charisius GL I p. 266—270 K, quindecim Anonymus editus post Ammonium ed. Valckenaer. p. 198, fere totidem schol. Dionys. Thrac. p. 447, 2 seqq. Hilgard. Maioris momenti est quod Lucilii aetate iam nomina certa in scholis rhetoricis erant indita singulis soloecismis quod efficitur uerbo *uocabula* quod sicuti apud Tacitum saepissime ita hoc loco idem debet esse quod *nomina*. Neque tamen talia poeta spectat nomina qualia sunt *σχῆμα Ἰβύκειον* alia sed ueluti soloecismum *περὶ προθέσεις* i. e. praepositionibus factum, qualem soloecismum tractat incert. u. 1215 seq. Libro IX uersus uulgo attribuitur quem rectius tribuas libro X.

1101. Charisius GL I p. 95, 22 K 'Haec ficus et hae fici et has ficos facit. genetiuus enim singularis huius fici, non huius ficus est. et Lucilius "fici" inquit "comeduntur et uuae", et "adsiduas ficos".' Idem p. 128, 31 "Fici Ennius . . . Lucilius "fici" inquit "comeduntur et uuae".' Libro V tribuit utrumque fragmentum Muellerus. Versu priore mensas secundas cenae rusticae describi apparet: Horat. serm. II 2, 121 'tum pensilis uua secundas et nux ornabat mensas cum duplice ficu'. In altero fragmento loci Martialis IX 59, 22 memor qui scripserit 'asse duos calices emit et ipse tulit' Dousa scribi maluit 'asse duas ficos': quem uersum ad ficorum caritatem pertinere statuit. At qui lib. V u. 195 scripsit 'lippus edenda acri assiduo ceparius cepa' is bene potuit dicere 'adsiduas ficos'.

1102. Festus p. 210, 30 'Pedarium senatorem significat Lucilius, quom ait "*agipes* . . . coepit". qui ita appellatur, quia tacitus, transeundo ad eum cuius sententiam probat, quid sentiat indicat'. Adnotat Lachmannus: 'O. Muellerus *acipes,* quia apud Paulum est p. 9 *Acupedius* (*conf Thesaur. gloss. emend. s. u.*) *dicebatur cui praecipuum erat in currendo acumen pedum.* sed uelocitate pedum senatori pedario non magis opus erat quam capite: neque uersus est Laberii quem Gellius III 18 (*9*) notari iussit, *Caput sine lingua pedarii sententia est* (*88 R*), hunc scripsisse existimo *Sine lingua aput pedarium sententia est,* Lucilium autem sic *Gaï pes uocem mittere coepit*'. Eandem scripturam de Lucilii u. protulit O. Hirschfeldius Herm. VIII 1874 p. 468 seq.: uterque de Gaio cogitauit quem memorat poeta lib. XXX u. 1035 cui libro Lachmannus ideo uersum attribuit. Quem Gaium Lucilium ipsum esse l. s. adnotauimus. Si reuera *Gai pes* scripsit poeta, quis fuerit ille, non possumus nos indagare: C. Caelium de quo agitur rhet. ad Her. II 13, 19 Hirschfeldius arbitratur irrideri. Ego arbitror *agi* et recte et lepide esse dictum pro *moueri:* mouetur et agitur pes senatoris tamquam nauis uel currus uel iumentum. Vergil. georg. II 392 'deus circum caput egit' Colum. VI 6, 3 'caudamque crebrius agere'. *uocem mittere* de inanimis Lucret. II 834 III 931 (IV 991) Iuuen. XIII 114.

1103. Iulius Capitolinus in uita Pertinacis 9, 4 'Auaritiae suspicione priuatus non caruit, cum apud uada Sabatia oppressis fenore possessoribus latius suos tenderet fines. denique ex uersu *luciniano* (*Luciliano* olim correctum) "*grarius* mergus" est appellatus'. *agrarius* recte editt ueteres, *aerarius* Salmasius quod commendat O. Kellerus Fleckeiseni annal. CIX 1874 p. 276 cum adhibeat fabulam Aesopi 306 B Halmii. Mergi insatiabiles sunt: Plin. nat. hist. XI 202 'insatiabilia animalium, quibus a uentre protinus recto intestino transeunt cibi, ut lupis ceruariis et inter aues mergis'. Glossaria mergus *αἴθυια*, conf Thes. gloss. emend.

s. u. mergus; tamen poeta imitatus esse uidetur Aristophanem qui Cleonem *λάρον* appellauit Nub. 591 Equit. 956. *agrarius* uocabulum forsitan Lucilius ipse finxerit qui similia praebeat ceparius gradarius halicarius mixtarius zonarius. Descripserat poeta hominem auarum qui usque latius suos tenderet fines: quales castigat Iuuenalis XIV 142 seqq. quos *παροριστάς* appellat tituli auctor AP XI 209: alia de eadem latifundiorum cupidine testimonia collegit A. Schultenus die roem. Grundherrschaften Weimar 1896 p. 12 seqq.: inprimis conferendus Appianus b. c. I cap. 7. De historia carminum Lucilii magni momenti est Capitolini istud testimonium. Vnde constat exeunte saeculo p. Ch. altero Lucilii hemistichia etiamtunc in ore hominum fuisse: cuius memoria inde a saeculo III ineunte uidetur prorsus euanuisse. Et reuera ueterum poetarum metrica periit saeculo II: Apuleius senarii Romani leges parum nouerat cum *germinent sata* posuerit in senario extremo metam. IX 8.

1104. Nonius p. 231, 30 ex grammatico 'Utres usu generis masculini tantum modo deputantur. neutri Lucilius "Andronius *flacchi* teget utria".' *Flacchi* in codd Nonii sicuti *flacchorum* lib. IV u. 149. Andronius Flacci homo seruus uel libertinus, qualis erat Flaccus Claudi tibicen Terentii, notus tota in urbe propter artem quam exercebat. Andronius nomen consociari potest cum Andron sicuti Euphronius cum Euphron, Sophronius cum Sophron. *utria,* i. e. *ἀσκούς* uidetur dicere homines ebriosos, sicuti helluones appellauit *uentres* lib. II u. 75: Antiphanes CAF II p. 17, 19 K *τοῦτον οὖν δι' οἰνοφλυγίαν καὶ πάχος τοῦ σώματος ἀσκὸν καλοῦσι πάντες οὑπιχώριοι: ἀσκόν* pro uentre dici exponit schol. Eurip. Med. 679. *teget,* sandapila elatos homines terra obteget, Andronius libitinam uidetur exercuisse apud homines infimi ordinis et pauperrimos. De quantitate u litterae non constat: poetae producunt omnes: locum grammatici quem sequitur Nonius uidetur spectare Arnobius I 59 p. 41, 4 Reiffersch.

1105. Donatus ad Terentii Adelphos II 1, 22 'Ex tuis uirtutibus. Sic ueteres per ironiam uirtutes pro flagitiis dicebant. Lucilius "animo ac uirtutibus".' Cic. de legg. III 36 'utinamque' inquit, 'M. Cicero isto animo atque uirtute in summa republica nobiscum uersari quam in municipali maluisses' de or. III 139 'Plato . . . animi ac uirtutis magister'.

1106. Seruius auctus ad Vergilii georg. I 129 'Non numquam pro *faetere* (fetore editt) ponitur uirus, ut apud Lucilium "anseris herbilis uirus".' Paulus ex Festo p. 100 'Herbilis anser, herba pastus, qui gracilior est quam frumento altus'. Agitur de sapore anseris tetro, quem scite uituperat homo mundus nescioquis ideo quod non frumento altus sit nec saginatus bene sed tamquam rusticus tantummodo herba pastus fuerit. Conf

Archestratus ap. Athenaeum IX p. 384 B (58, 1 Brandt.) *καὶ Ἀρχέστρατος ἐν τῷ πολυθρυλήτῳ ποιήματι ⟨οὔτ⟩ως· καὶ σιτευτοῦ χηνὸς ὁμοῦ σκεύαζε νεοττόν ὀπτὸν ἁπλῶς καὶ τόνδε* ubi recte Archestrati editores *σιτευτόν* cum W. Ribbeckio scripserunt. Similiter pthisicis mederi tradit Plin. nat. hist. XXVIII 230 'suis feminae herbis pastae laridum'.

1107. Donatus ad Terentii Eunuchum II 3, 45 p. 343 Wessneri 'Gemens autem ob continuam tussim. sic Lucilius "ante fores autem et triclinii limina *quidem* (quidam *edit. pr.*) perditus tiresia tussi grandaeuus gemebat".' *fores et limina* hendiadyoin. Describitur conuiuium sordidum: qui excipit conuiuas aduenientes, seruus erat senex, deformis, tussi perditus: 'iam mortua tussi' Lucr. IV 1167. Cic. in Pis. 67 'serui sordidati ministrant, nonnulli etiam senes'. Libro V adscripsit Lachmannus ubi alius seruus memoratur u. 226 Tiresiae aequalis: neque tamen probabile est in eadem satura eodem loco bis eisdem usum esse poetam facetiis. Quare ego libri VI uersus esse crediderim ubi *cinerarius claudus* describitur u. 249, triclinii tres grabati a Deucalione restibus tenti u. 251: ante quem u. positum fuisse hoc fragmentum iure suspiceris. *grandaeuus* e tragoedia Pacuuii uidetur esse sumptum qui primus dixerit *grandaeuitas* (162 R).

1109. Paulus ex Festo p. 312 'Stlembus grauis, tardus, sicut Lucilius pedibus stlembum dixit equum pigrum et tardum'. Festus p. 313, 10 '. . . . . grauis, tar ——— *apulidae* pe ——— cum refer ———'. Recte ueteres editores ueluti Corpetus 'Apulidae pedibus stlembi': libro III tribuit Muellerus coniunctum cum lib. IV u. 163 incert. u. 1207. Equos Apulos memorat Varro rer. rust. II 7, 6 'itaque ab hoc nobiles a regionibus dicuntur, in Graecia Thessalici equi * *, Apuli, ab Rosea Roseani' Horatius serm. I 6, 59 'circum me Satureiano uectari rura caballo' ubi Porphyrio 'Satureiani nomine fundi in Apulia illis temporibus fuisse dicuntur satis ampli ac nobiles . . . Apulum autem equum pro optimo utique accipere debemus'. Vocabulum *stlembus* quod uidetur ex agasonum lingua esse sumptum solus seruauit Lucilius rei equestris studiosissimus. Horatius l. s. s. cum dicat u. 56 seqq. 'singultim pauca locutus . . . non ego me claro natum patre, non ego circum me Satureiano uectari rura caballo sed quod eram narro' et Lucilii diuitis cuius infra censum sese esse fatetur II 1, 75 et uersus illius uidetur meminisse cuius hepthemimeres l. s. seruata est: denique Horatius adiectiuum *Apulus* euitauit alia ratione atque Lucilius. Qui Apulidae formam ut Tusculidarum adhibuit incert. u. 1259 creticam genetiui formam ut euitaret: ita Prusiades (Varr. sat. Menipp. 407) Ennius, Scipiadas Lucilius incert. u. 1139, Memmiadae nostro Lucretius I 26, Stoicidae Iuuen. II 65, Romulidae alii: conf dubia fragm.

u. 1361. Tardum et pigrum ecum memorat poeta lib. IV u. 163.

1110. Glossarium CGL II p. 20, 37 'Aquilum, *μέλαν, ὡς Λουκίλλιος*'. Ita Stephanus edidit, *μελανονωλουκιλλιος* codex, quod *μελανόν, ὡς Λουκίλλιος* interpretatur Loeweus prodrom. p. 296. 297. Plaut. Poen. 1112 'corpore aquilo', item de corpore Rud. 421 'corpus subaquilum', item Sueton. August. 79 extr. 'colorem inter aquilum candidumque' Arnob. III 14 p. 121, 26 R 'aquilos caesios rauos' Paul. ex Fest. p. 22 Placidus CGL V p. 16, 10.

1111. Atilii Fortunat. artis GL VI p. 278, 17 K 'quod si omnia uelis cognoscere et nomina et genera metrorum, cum tibi ab oratoria otium fuerit, ueteres legemus, id est, ut ait Lucilius "archaeotera (archeotyra *A* archeotypa *B* archetypa *edit. princ.* archetypos *Keilius*) unde haec sunt omnia nata".' Videtur scripsisse Lucilius 'nosce archaeotera illa unde haec sunt omnia nata'. Quod adiectiuum posuit contrarium illi quod est *οἱ νεώτεροι* (Lehrsii Aristarch. edit. III p. 105 seq. Aristoph. Nub. 1370 Cic. ad Att. VII 2, 1), comparatiuus ponitur ut Aristoph. Nub. 1391 *τῶν νεωτέρων*, sequitur 1395 *τῶν γεραιτέρων*. Veteres commendauit, inprimis Homerum, unde tamquam ex Oceano omnia posteriorum scriptorum nata esse docent Graeci (Dionys. Halic. de compos. uerb. cap. 24 p. 189 V. R Quintil. X 1, 46 Longin. de sublim. cap. 13, 3 Philod. de rhetor. II p. 111 Sudh. Senec. epist. 88, 5).

1112. Interpres Vergilii Veron. Aeneid. VIII 25 'Lacuar ———| pluribus ———| quae n . . ———| Lucilius ———| arcusque'.| Vbi Vergilius: 'lumen . . . omnia peruolitat late loca iamque sub auras erigitur summique ferit lacuaria tecti'. Confert Lachmannus incert. u. 1290 'resultabant aedesque lacusque', lacusque arcusque Muellerus incert. 41, 'lacuarque arcusque' Baehrensius 844.

1113. Nonius ex grammatico p. 536, 7 'Anchorae (*Anquinae* Iunius), uincla quibus antemnae tenentur. Lucilius "armamenta tamen malum *uel* omnia seruo: funis enim praecisus cito atque *anchora* soluta".' Isidorus origin. XIX 4, 7 'anquina funis, quo ad malum antemna constringitur; de qua Cinna (FPR p. 323, 5 Baehrens.) "atque anquina regat stabilem fortissima cursum".' Anquinam Attici dicunt *ἄγκοιναν* (Meisterhansii gramm. inscript. Attic. ed III p. 119, 1095): laqueus est quo antemna ad malum adstringitur ita ut per funem modo illa sursum secundum malum labens possit erigi, modo deorsum eodem semper modo malum tangens deduci possit fune illo remisso. Recte Iunius in Lucilii uersu *anquina*. Subita procella coactus gubernator funem quo antemna cum uelo sursum tenetur praecidit: decidit antemna, sed laqueo illo adstricta cum sit ad malum, delapsa tenetur etiamtunc malo conexa. Vnde soluere istud uinculum quam anquinam

dicunt oportebat. Libro III tribuit Vargesius de libro III p. 11. 24 qui male defendit lectionem *ἄγκυρα* in uersu Lucilii, Nonium errasse statuit in explicatione, comparat Vergil. Aen. IV 575 seqq. Clauum uidetur perdidisse ruptum procella, armamenta omnia, ueluti uela (*uelum* maluit scribere Muellerus) et malum seruasse.

1115. Donatus ad Terentii Eunuchum IV 4, 20 I p. 415, 20 Wessneri ‘uere pulchra est cuius forma nec odium nec conuicium commeruit. Lucilius: “*athynnidi sacri* ex facie florem delegeris”.’ Ita codex V, *athyonidi satin C*, *atimidi satri T*, *atinnidi sacri* deteriores, qui cum *V* fere congruant. Hymnidis nomen in hoc uersu recte agnouerunt editores. Numerus est dactylicus. Agit poeta de pulchritudine meretricis cum dicit ‘at Hymnidis strenua ex facie florem delegeris aetatis: tamen manebit pulcherrima’. *facies* ut ubique apud Lucilium ad totam corporis pertinet figuram. *acri* non ausus sum mutare, ‘uosne, acrior aetas, o iuuenes’ Ouid. met. III 540, similiter dictum sermone castrensi ut fortis de pulcra uirgine: uide ad lib. VI u. 241. Martial. XII 65, 5 ‘An Baeticarum pondus acre lanarum’.

1117. Donatus ad Terentii Eunuchum II 3, 11 I p. 333 Wessneri ‘senex ad aetatem refertur, senium ad conuicium. sic Lucilius “*aes ait* (ita *V* at sait *B* at ait *TC*) quidam (quidem *V m. 2* et *T*) *the* (te *V in ras*) senium atque (atqui *B*) insulse (*ita V*: insule *BTC*) sophista (ita *C*, sosista *B* sophistica *T*, hospita *in ras V m. 2*)”.’ — *quidante* pro *quidam* uidetur habuisse archetypus: eadem corruptela lib. XXVIII u. 742. *ait quidam* conseruabimus memores Horat. serm. I 3, 21 ‘Maenius absentem Nouium cum carperet “Heus, tu”, quidam ait, “ignoras te?”.’

1118. Varro de lingua Latina libro VII 94 ‘Apud *Lucretium* (Lucilium *Scaliger alii*) “atque aliquos ibi *ab rebus* clepsere foro qui” clepsere dixit unde etiam alii clepere, id est corripere. quorum origo a clam, ut sit dictum clapere, unde clepere, *e* ex *a* (Florentinus *et ex ea*) commutato (*commutatio* Florent.) ut multa. potest uel a Graeco dictum cleptin clepere’. Versum corruptum esse euincit hiatus quem sustulit Scaliger scribendo *ibus ab rebus* quo sensus non bonus euadit. A. Spengelius ‘atque aliquo se illi ab rebus clepsere foroque’, exitum uersus eodem modo iam Scaliger constituerat. Quem exitum recte traditum esse censeo comparato lib. VII u. 266 ‘ne uermiculi qui’: conf u. 263. Quod indefinitum suadet ut *si* inferamus post *ibi*: *ab rebus* corruptum esse recte arbitratur Baehrensius: *abreptos* scripsi. *foro* ablatiuus est loci de quo uide ind. gramm. s. u. *ablatiuus*.

1119. Scholiasta Iuuenalis I 106 ‘Quid confert purpura maior optandum. Lucilius “aurum atque ambitio*sum* specimen uirtutis”.’ Idem ad III 143 ‘Quantum quisque sua nummorum

seruat in arca, tantum habet et fidei. Lucilius “aurum atque ambitio *speciem* uirtutis utrique est: tantum . . . habearis”.’ Adnotat Dousa ‘Vtrique candidato scilicet, nisi forte *utrumque* inibi rescribendum de sententia Parentis nostri’: quam sententiam commendet Lucret. III 472 ‘nam dolor ac morbus leti fabricator uterque est’. Potest sane cogitari de duobus consulatus petitoribus: potest de cuiuslibet generis duobus hominibus, ueluti quales fuere Sp. Albinus ille cos. 644/110 eiusque frater Aulus (uide ad incert. u. 1326). Datiuum *utrique* extirpare nolumus. Dicit Lucilius: ‘auri effusio et ambitus largitiones corruptelae blandimenta inhonesta, talia sunt exemplum uirtutis utrique homini’; datiuus eodem modo intellegendus quo Ennius scripsit ‘hostem qui feriet mihi erit Kartaginiensis’. *ambitio* dictum ut ap. Laberium 101 R ‘quem nulla ambitio, nulla umquam largitio, nullus timor, uis nulla, nulla auctoritas mouere potuit in iuuenta de loco’. tantum habeas: *quantum* Dousa, quo prouerbii dictionem propriam tollit. Idem adscripsit Horat. serm. I 1, 62 ‘nil satis est’, inquit, ‘quia tanti quantum habeas sis’ Apulei. apolog. cap. 23 ‘tu uero, Aemiliane, et id genus homines uti tu es inculti et agrestes, tanti re uera estis, quantum habetis’. Propius accedit Petronii illud cap. 77 ‘assem habeas assem ualeas, habes, haberis’. E florilegio tragicorum Graecorum Seneca epist. 115, 14 sumpsit ‘ubique tanti quisque quantum habuit fuit’ (Nauckii TGF p. 929 edit. II qui adfert Plutarch. de cupid. diuit. 7 p. 526 C *τοσούτου· νόμιζε σαυτὸν ἄξιον ὅσον ἂν ἔχῃς*): conf Otto de prouerbiis p. R. p. 157. Eis qui sicuti duo illi Postumii aurum et ambitionem specimen uirtutis esse arbitrati sunt respondere uidetur poeta uirtutis illa definitione incert. uu. 1326 seqq.

1121. Festus p. 329, 30 suppletus ex Paulo p. 328 ‘Squarrosos ⟨ab eadem squamarum⟩ similitudine ait dic⟨tos quorum cutis exsur⟩gat ob adsiduam inlu⟨uiem. Lucilius “uaro⟩num ac rupicum squar⟨rosa incondita⟩ rostra”.’ De *baro* uel *barro* nomine uide Iahnium ad Pers. V 136 Buechelerum Mus. Rhen. LI 1896 p. 640. *rupex* nomen ex libris ueterum resuscitauit Gellius XIII 9, 5 ‘rupices et agrestes’, neque ex sermone uulgari sumpsit Tertullianus, qui de anima cap. 6 p. 307, 5 edit. Vindob. ‘quid autem facient tot ac tantae animae rupicum et barbarorum’ (baronum *Cuiacius Pithoeus Vrsinus*) quem locum attulit Dousa. Idem de pallio cap. 4 init. ‘apud rupicem et siluicolam’, apologet. cap. 21 extr. ‘rupices et adhuc feros homines’, ubique enim sicuti Gellius e re esse arbitratus est apponere interpretamentum: denique conf Fest. p. 206, 23 s. u. petrones. *rostrum* uocabulum lib. V u. 210 adhibuit, hic item rusticos aliquos significauit qualis pretor fuit Cecilius ille. Vocabulo *squarrosa* depetiginem rostri barbati hominis rustici uidetur indicare quam ‘squalentem barbam’ Ver-

gilius dicit Aen. II 277. Varro in Menippeis utitur hoc uocabulo in rusticis describendis et barbatis: 'barbato rostro' 419 259 B; radi cottidie primus instituit Scipio Aemilianus (Plin. nat. hist. VII 211 Gell. III 4) cuius in barba consuetudinem radenda sequebantur amici et contubernales.

1122. Vide incert. u. 1235—1240 ubi loci auctorum extant exscripti. Versum bis sententia mancum afferre Cicero non dubitauit, quod in omnium ore fuisse eum sciebat. Scripsit Lucilius hoc fere modo 'fruimur bene cocto et condito, sermone bono et, si quaeris, libenter'. *Coctum* est substantiuum, ut *mansum* lib. XXX u. 1046 et *conditum*: Plaut. Aul. 429 'quid tu, malum, curas, utrum crudum an coctum ego edim'. Sermonem bonum *caput cenae* appellat Cicero, quod Graeci dicunt *κεφαλὴν δείπνου* (CAF II p. 360, 15 K Cic. Tusc. V 98): contra Lycophron in Menedemo TGF ed II p. 818, 3 N *τράγημα δὲ ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιληκόοις λόγος*. — *si quaeris* uide ad lib. IV u. 153 XV u. 515. *libenter*: adfert Dousa Pompon. 127 R 'rustici edunt libenter tristis atros intibos' Cato de agr. cult. 156, 1 'si uoles in conuiuio multum bibere cenareque libenter . . .' 6 'uti possit porro libenter esse' 157, 6 'quo libentius edis, aceto mulso spargito: lautam siccam . . . paulo libentius edes'. Sic Martial. XI 35, 4 'solus ceno, Fabulle, non libenter'.

1124. Porphyrio ad Horatii serm. I 10, 30 'Canusini more ⟨*bilinguis*⟩. Bilinguis dixit, quoniam utraque lingua usi sunt sicut per omnem illum tractum Italiae, quoniam ex maiore parte Graeci ibi incoluerunt. . . . ideo ergo et Ennius et Lucilius "Bruttace bilingui" dixerunt'. Paulus ex Festo p. 35 'Bilingues Bruttaces Ennius (annal. 496 V) dixit quod Brutti et Osce et Graece loqui soliti sint'. Ita scripsit Thewrewkius: *Bruttate* maluit scribi cum Monacensi uno apud Paulum Lucianus Muellerus, item apud Ennium Columna (edit. Hessel. p. 327): apud Lucilium *Bruttate* scripserunt Corpetus Lucianus Muellerus alii. Quod ne analogia quidem commendat. Nam Casinas et Antias dicuntur urbium incolae, non populi terrarum et regionum: sed Graece nominantur populi Cilix Cappadox Phaeax Phoenix Phryx, adde Allobrox Biturix similia. Lucilium Ennii exemplum secutum esse apparet. Sed eadem uerba apud utrumque poetam extitisse ideo minus est certum, quod Festus accusatiuum posuit pluralis numeri, Porphyrionem minus diligenter exposuisse l. s. s. est probabile. Casibus obliquis uocabuli Bruttius in heroo uti neque Ennius neque Lucilius uoluerunt. Vnde nouarunt sicuti in Apulida Tusculida aliis. Tertio libro tribuit Muellerus.

1125. Porphyrio ad Horatii serm. I 6, 68 aut mala lustra obiciet quisquam uere mihi 'mala lustra autem perpetuo epitheto dixit: nec enim sunt bona, ut ad discretionem eorum mala dixerit.

sic dicitur ⟨*a*⟩ Plauto "Athenis Atticis" (*Pseud. 416*) et Lucilio "Campana Capua".' Libro III adscripserunt Dousa pater Lachmannus alii.

1126. Nonius ex grammatico p. 120, 18 'Hippocampi, equi marini, a flexu caudarum, quae piscosae sunt. et est Graecum. . . . Lucilius transuerso ordine posuit "*hippocampi elefantocamillos*".' Transuerso ordine posuit, quod *hippocampi* epitritum herous non capit. Dousa pater scripsit 'camphippelephantocamelos' quod uocabulum Lachmannus recepit. Quod legimus in fabula notissima huius aetatis Rostandii poetae quae *Cyrano* inscribitur (act. I sc. 4 med. p. 43 edit. Paris. 1898) 'l'animal seul, monsieur, qu' Aristophane appelle Hippocampelephantocamélos' e. q. s., quo nitatur auctore grammatico, alii quaerant. Versui deest pars semiquinaria: in quo enumerabantur mera monstra et portenta, *elephantocamellos* nominatiuus singularis, uide indic. gramm. s. u. *singularis*. Substantiuum *elephantocamellos* fecit ut *στρουθοκάμηλος*, *hippocamelus* extat apud solum Ausonium in epigrammate p. 341, 9 edit. Peiper., inuerso ordine dicitur *camelopardalis*. Similia *χηναλώπηξ* alia: de duplici l conf Georgesius in formarum lexico s. u. camelus.

1127. Nonius ex grammatico p. 198, 7 'Canalis masculino. . . . feminino Lucilius hypo⟨*co*⟩risticos canaliculam dicit'. Inuenitur idem deminutiuum non ap. Varr. rer. rust. III 5, 14 quem locum Dousa contulit (ubi recte traditum sit *canaliculum*), sed ap. Gellium XVII 11, 2 ubi *canaliculas* traditur. Neque dubitem de fide Nonii cum L. Muellero et Loeweo prodr. p. 311, 4, qui confudisse Nonium deminutiuum cum uocabulo *canalicola* suspicantur, de quo conf Paul. ex. Fest. p. 45 Plaut. Curc. 476 Tertull. de pall. 5 I p. 950 Oehler.: *ὀχέτιον* Diog. Laert. VII 17. Positum fuit deminutiuum eadem uersus sede qua quaesticuli lib. VIII u. 318, uermiculi VII u. 266: uide indic. gramm. s. u. *deminutiua*.

1128. Donatus ad Terentii Andriam I 2, 12 I p. 88 Wessner. 'Carnifex, aut excarnificans dominum, aut ipse dignus carnifice, ut caro fiat, id est lanietur. Lucilius "carcer eis (*ita A* carcere *CT*) uix carcere dignus".' Idem ad Eunuchum III 2, 19 p. 374 'Vix aut difficile significat, aut non; ut sit nec hoc. *Lucanus* "carcer uix carcere dignus".' Ad eandem IV 3, 3 p. 407 'Scelus *αὔξησις*· plus enim est scelus quam scelestus. ut Lucilius "carcer u. c. dignus".' In Adelphos III 2, 12 'Vix sum compos animi. Aut uix tandem, aut uix non, ut Lucilius "carcer u. c. dignus".' Ad Phormionem II 3, 26 'Ain tandem carcer. Non carcerarium, sed carcerem asperius appellauit. sic Lucilius "carcer u. c. dignus", et uix pro non'. Imitatus est Lucilius in *carcer* uocabulo Terentii Phorm. l. s. Verba ipsa difficilia sunt intellectu. Dixit poeta aut 'furcifer uix carcere dignus' aut

'carcer uix furcifero dignus'. Atque Muellerus quidem hoc modo enarrat, quo posteriore loco feci: 'locus carceris non tam foedus, quam dignum erat homine scelerato', id est 'poena carceris uix satis magna pro furciferi maleficiis'. Secundum linguae usum utraque stare potest explicatio. Nam recte dicitur Latine *homo cruce, scutica, uerberibus dignus,* item *dignum supplicium* (ad Her. IV 8, 12), *digna poena* (Sallust. Cat. 51, 8), Terent. Hec. 209 '*an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?*' At conuicium illud *carcer* sicuti apud Terentium ita apud Lucilium nominatiuo casu positum fuisse consentaneum est uel uocatiuo: increpat igitur nescioquis seruum quem dicat non carcere, sed dignum supplicio. In optimo cod Parisino ad Andriam l. s. s. legitur 'carcer eis uix carcere dignus', codicum CT archetypus aut eadem uidetur praebuisse aut similia. Quod uocabulum *eis* etsi numeros minime conturbet, siquidem Plautus in senarii exitu posuit *iis* (Rud. 73), Iuuenalis XIV 30 *eisdem* trisyllabon (L. Muelleri d. r. metr. ed. II p. 297), recipere tamen dubitaui. *crux* pro conuicio positum est Plaut. Pers. 795.

1129. Paulus ex Festo p. 44 'Carissam apud Lucilium uafrum significat'. Recte codd Pauli *uafrum* masculinum exhibent quod confirmatur glossa CGL II p. 97, 43 'carisa *μαυλιστής, πορνοβοσκός*'. Reliquae glossae similes quas tractarunt Loeweus prodrom. p. 305 seqq. Goetzius thesaur. gloss. emend. s. u. nil huc pertinent. Itaque errat qui nomen esse Graecae originis et deducendum a Care ut Cilicissa a Cilix censet H. Iordanus Krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Sprache p. 80 seqq.: alii Latinum esse statuunt comparantes mantisa fauisa, Stokes quem laudat Goetzius l. s. s. Celticum Urkelt. Sprachschatz p. 330 (ad p. 70).

1130. Varro de lingua Latina libro VII 96 'In pluribus uerbis *a* ante *e* alii ponunt, alii non; ut quod partim dicunt ⟨*scaeptrum partim*⟩ sceptrum, alii Plauti f[a]eneratricem alii f[o]eneratricem (*feneratricem* Laetus), sic f[a]enisicia ac foenisicia (*fenisicia* idem), ac rustici Pappum † maesium non moesium. a quo Lucilius scribit "*cecilius* ne rusticus fiat".' Diomedes GL I p. 452, 14 K 'Detractionis species sunt aeque quattuor, detractione temporis, litterae, syllabae, adspirationis. ... litterae, ut si detracta a littera pretor dicamus, ut Lucilius (lucius *codd*) "*pretor* ne rusticus fiat", cum debeat ae pronuntiari praetor, sed structurae gratia syllaba longa corripitur'. Verba inde a *sed — corripitur* delet Keilius, errare Diomedem recte censet Lachmannus. Eodem modo errauit grammaticus ad incert. u. 1242. Libro IX adscripserunt Lachmannus Muellerus alii secuti L. F. Schmidtium de Lucilii lib. IX p. 8. Tamen hoc u. non agitur de orthographia, sed de pronuntiatione rustica: de orthographia enim *ae* dipthongi

nemo illa aetate dubitauit. Immo in omnibus aliis libris poeta potuit scribere 'enisus es omnibus, inquam uiribus, Cecilius pretor ne rusticus fiat' ueluti in lib. V ubi de praetoris cuiusdam designati facie rustica ludentem uidimus poetam u. 210. Quare libro V hunc u. tribuerim et Caprarium intellexerim quo de uide ad u. s. s. quae diximus. Qui loquitur apud Lucilium, et Cecilii nomen et pretoris honorem pronuntiat tamquam ore Caprarii ipsius: quam pronuntiationem rusticam longe a se abesse indicat consularis *L. Caeicilius* alii orthographia ea qua usus est CIL I 547 Graecos imitatus qui *παεις* dissyllabon ita scribere uoluerunt IGIMA II 304 codd Orac. Sibyll. I 348 III 494 fragm. I 18 *φαεί* pro *φαί*. Librorum Lucilianorum et Catonianorum scriptura in ae et e litteris Varro illa aetate potuit etiamtunc confidere (Gell. XVI 12, 8). Caecilii Praenestina fuere familia (Paul. ex Fest. p. 44), et Praeneste pronuntiabant *Grecia* (Schneideri del. inscr. 222 CIL XIV 3304): Praenestinorum sermonem irriserat Lucilius (incert. u. 1322), Metelli Macedonici filium a Lucilio laesum fuisse testatur schol. anonymus in Horat. serm. II 1, 67.

1131. Seruius ad Vergilii georg. II 98 'Rex ipse Phanaeus. De Lucilio hoc tractum est, qui ait *Χῖός τε δυνάστης* id est *οἶνος*'. XIOCTAYNACTHC cod Vaticanus, exiocte AYNACTHC cod Parisinus, reliquorum scripturae modo cum huius modo cum illius codicis scriptura consentiunt. Graeci poetae ueluti Archestrati uidetur uerba attulisse Lucilius. De Chio Hermippus CAF I p. 249, 82 K *τοῦτον ἐγὼ κρίνω πολὺ πάντων εἶναι ἄριστον τῶν ἄλλων οἴνων μετ' ἀμύμονα Χῖον ἄλυπον.* Similiter Alpini regina iugi dicitur cupressus Stat. Theb. VI 829.

1132. Porphyrio ad Horatii epist. II 2, 94. 95 circum Spectemus 'Vna pars orationis est diuisa in duos uersus, Lucili (ita Guelferbyt.: *lucii* reliqui) more et antiquorum'. Cuius usus exemplum certum apud Lucilium non extat: uide ad lib. II u. 62. XII u. 433.

1133. Verba Vergilii sunt 'sternit ... Ortygium Caeneus, uictorem Caenea Turnus, Turnus Ityn Cloniumque'. Interpres non tantum spectat *Turnus* uerbum iteratum, quantum *Caeneus* et *Caenea* in quibus reuera sensus uarietur iteratione et climax figura possit agnosci, quod in *Turnus* uocabulo iterato non accidit. Quod si spectasset, hanc figuram epanalempsin qualis est lib. III Lucilii u. 110. 111 potius dixisset. Epanalempsin una cum climace tractat Hermogenes de id. I RG III p. 286 W II p. 336 Sp. qui utrumque *σχῆμα* dicit *τῶν καλλωπιζόντων.* Climaca egregie Scipio amicus habuit in deliciis, ut apparet exemplis quae Isidorus RL p. 517. 518 H seruauit: cuius in rhetoricam poeta fortasse illuserat. Similis figura est quam *διαφοράν* nominat Rutilius RL p. 8, 14 H 'hoc schema est cum uerbum iteratum aliam sententiam significat ac significauit primo dictum'. Libro IX

tribuitur fragmentum, temere: *sit exordium* editur apud Thilonem, errore, ut uidetur: climax masculinum esse censet scholiasta grammaticae memor Latinae (GL V p. 425, 21 K).

1134. CGL V p. 233, 21 s. u. pila (ex Suetonii ludicra historia?): 'peritissimi lusores habiti sunt Coelius adque Veturius (*uiturius* cod). De Coelio sic dicit Lucilius "Coelius, conlusor Galloni, scurra, trigonum cum ludet, solus * * * ludet et eludet".' Edidit hoc fragmentum primus Gundermannus Mus. Rhen. XLI 1886 p. 632 qui delendo uerba cogere studuerit in numeros: ego transponendo ea sanare malueram stud. Vindob. XVIII 1896 p. 309 'solus ludet et eludet cum ludet'. Nunc malo Buechelerum secutus lacunam statuere qua de sententia Goetzius rettulit thesaur. gloss. emend. s. u. *pila*. Solus ille *ludet et eludet* id est solus pilam iaciet simul et iactam ab alio repellet sinistra, qua de re uide Marquardtium Mauium de uita priuata p. R. p. 844, 9. Codex recte *trigonum* i. e. *τρίγωνον* lusum, quod nolo mutare editorem principem secutus, qui scripserit *trigonem*. Solus Martialis *trigona trigonem trigone* scripsit, alibi hoc substantiuum non extat ne apud Graecos quidem, praeterquam quod Horatium scripsisse secundum codicem illum Blandinianum traditur serm. I 6, 126 *lusumque trigonem*. Quo loco uereor ne Cruquius eodem modo sicuti editor huius fragmenti princeps l. s. non curarit codicis lectionem *trigonum*, quod Heinrichium iure suo restituisse uideo cum adiectiuum flagitet grammatica. Coelius ille scurra non idem erat atque Lucilii amicus N. Caelius incert. u. 1295 (uide lib. XXX u. 1079) neque C. Caelius iudex qui memoratur rhetor. ad Her. II 13, 19. De Gallonio uide ad incert. u. 1238.

1137. Consentius GL V p. 390, 33 K de tmesi 'aliam partem eius esse dicunt, cum uni parti orationis immittitur pars orationis alia, quae ita in medio est, ut illas duas partes, quibus circumcincta est, necesse sit sensu atque auditione coniungi, quale est "septem subiecta trioni" pro septemtrioni (Vergil. georg. III 381) et "conque tubernalem" pro contubernalem, quo Luc*il*ius (ita Cramerus: lucius cod) in metro crebro utitur'. Vide indic. gramm. s. u. *tmesis*. Celebre in hac tmesi enarranda in Gallia erat Lucilii nomen: ineptit Ausonius epist. XVI 35 (p. 254 Peiperi) 'inuenies praesto subiuncta petorrita mulis: uilla Lucani — mox potieris — aco, rescisso disce ⟨*hoc*⟩ conponere nomine uersum, Lucili uatis sic imitator eris', Eugenius denique Toletanus his ineptiis fretus integrum carmen composuit in quo uersus ea ratione quam Lucilii propriam arbitratur (carm. XXIII 9) dirumpuntur. Immo Ennium rectius erat in hac re auctorem nominare quam Lucilium. Contubernalem Scipionis bello Numantino sese ipsum uidetur appellasse Lucilius quo de nomine conf Mommsenus de iure publico p. R. I (edit. III 1887) p. 510, 1

III 1 (1887) p. 542, 2: Marium eiusdem cohortis praetoriae contubernalem Aemiliani memorat Plutarchus Mar. cap. 3.

1138. Festus p. 294, 26 M 'Scurrae uocabulum Verrius ineptissime aut ex Graeco tractum ait . . . *a*ut a sequendo; cui magis adsentitur, quod et tenuioris fortunae homines et ceteri alioqui, qui honoris gratia persequerentur quempiam, non antecedere sed sequi sint soliti, quia uidelicet dicat Lucilius "Cornelius P. noster Scipiadas *dicto tempus quę intorquet in ipsum oti et delicis luci effictae atque cinaedo et sectatori adeo ipsi suo quo rectius dicas ibat forte domum sequimur multi atque frequentes*"; cum secutos uideri uelit ob eorum iurgia, non ob adsuetum officium'. Inepte pugnat Festus contra Verrium qui *sectatorem* quem dicit Lucilius *scurram* esse scripserat dictum a sequendo: potuit Verrius afferre Plaut. Epid. 14 'nam ut apud portum te conspexi, curriculo occepi sequi . . . # Scurra es'. Qui Scipionem multi atque frequentes secuntur domum euntem, in quibus erat Lucilius ipse, ii sunt comites eius habendi et amici, inprimis Latini et socii apud quos merito Scipio ille audierit P. Cornelius *noster:* Cic. Lael. 12 de Scipione 'illum diem clarissimum fuisse, cum senatu dimisso domum reductus ad uesperum est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e uita'. 'Ti. Gracchus domo cum proficiscebatur numquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur' Asellio ap. Gell. II 13, 4. Versus difficiles sunt ad intellegendum. Tamen grauiter corruptos esse quattuor istos hexametros nemo iudicabit, qui intellexerit et numeros eorum et caesuras esse saluas et rectas, hiatum ubique tolli scita uerborum iunctura. Quod cum casu factum esse non possit, interpretatione eos magis egere quam emendatione consentaneum est. Itaque ego interpretor hoc modo: '⟨Si quaeris, quid agam⟩: ego Lucilius poeta dicto (*dictabat uersus* Lucilius teste Horatio serm. I 4, 10) ea quae Cornelius noster Scipio tempus in ipsum oti intorquet et deliciis suis, luci suae, atque adeo (quo uocabulo rectius dicas) cinaedo ipse suo et sectatori'. Iam uersus quartus exhibet fabellae quam narraturus erat exordium. — 1139. *tempus in ipsum oti* noli disturbare: Horat. a. p. 44 'pleraque differat et *praesens in tempus* omittat' Cic. Catil. I 22 'quanta tempestas inuidiae nobis, si minus *in praesens tempus* . . . at in posteritatem impendeat' similiter dicitur *in tempus aliquod* (Liu. XXXIV 6 4), *in omne tempus* (Cic. Tusc. I 91) *in horam* (Phil. V 25) similia, in diem Lucilius lib. XXVIII u. 768. — *intorquere* uox propria de conuiciis ut Cic. Tusc. IV 77 alibi: datiui qui pendent ab hoc uerbo dilucide cernuntur *delicis*, i. e. *deliciis* quod eodem modo scriptum extat in codd Nonii Lucil. lib. XXIX u. 896 sicuti *perimus* bis scribitur in codd ubi *periimus* flagitat metrum (uide

ad XXVII u. 710 XXIX u. 843), deinde *luci effictae,* tum *cinaedo* et *sectatori suo.* Appellatur scurra ille Scipionis primum *deliciae* et *lux* eius, tum sese ipsum corrigit poeta appellatque eum *cinaedum* et *sectatorem* eius, quo modo rectius aliquis Lucilio iudice hominem nominet. *atque adeo* positum ut Cic. pro Rosc. Am. 29 'hoc consilio atque adeo hac amentia impulsi' e. q. s. Catil. I 5 'intra moenia atque adeo in senatu'. *mea lux, mea uita, meus dies festus* tritas cottidiani sermonis blanditias omnes norunt ex comoedia Catullo aliis: *luci* suae igitur dictum ut *lux mea* Catull. 68, 132. 160, *tua uita* 155, meae uitae 104, 1. 109, 1. 45, 13: ita Horatium appellat *mea uita* Maecenas in carmine FPR p. 338, 1 Baehrensii. — *effictae* mutare ausus non sum: uidetur dicere hominem nitidum lautum *tersum* Lucilius, sicuti Cato de agri cult. 67, 2 'fiscinas spongia effingat' Cic. pro Sest. 77 'e foro spongiis effingi sanguinem' conf Fest. p. 363 'Tersum diem pro sereno dictum ab antiquis nec se habere rei auctorem ait'. Itaque nil mutandum nisi u. 1141 *ipse* quod dudum restitutum est. Praesens *intorquet* indicat Scipionem etiamtunc uiuere: itaque libri XXX fragmentum attribuas, uel XXVIII uel XXIX: e XXX libro adfert Festus u. 1031 s. u. *tagax.* Quis fuerit scurra ille Scipionis, non traditum est: Lucilium ipsum dici noli credere, obstat uocabulum *cinaedus.* Conicit in uersus poeta altercationem Scipionis et scurrae illius sicuti Granii praeconis dictum lib. XI u. 411. Datiui in membra duo dispertiti sunt, utrique *et* praeponitur membro: in priore membro asyndeton exhibuit et *atque* particulam: conf Caes. b. G. III 8, 1.

1143. Isidorus orig. XIX 30, 1 'Corona insigne uictoriae siue regii honoris signum . . . haec a Lucilio corolla, ab Homero *στεφάνη* dicta est'.

1144. Crebrae papaueratae quales uestes fuerint non constat. Confertur in Forcellinii lexico et Hesychii glossa *μήκωνες . . . ὕφασμα βύσσινον* et Plin. l. s. XIX 21 'est et inter papauera genus quoddam, quo candorem lintea praecipuum trahunt' quorum locorum neuter huc pertinet, cum Plinius de lana (conf VIII 194 'Lanam in colu et fuso' e. q. s.) illo loco de quo agitur agat sola, non de lino. Neque a malua quae maluella uestis appellatur Latine, Graece molocina, poterit comparari de qua Isid. orig. XIX 22, 12 Non. p. 548, 16 Plaut. Aul. 514. *crebrae* uestes quales sint intellegitur Vitruu. X 14, 3 p. 276, 23 R 'crates ex tenuibus uirgis creberrime textae' Plin. nat. hist. XI 81 'crebratae pexitas telae': contraria est tunica *rara* Ouidii am. I 5, 13. *sub Lucilio . . . in Torquato notatae* recte codd, *ab Lucilio* editores cum Bouterwekio. Ouid. ex Pont. IV 12, 25 'saepe ego correxi sub te censore libellos' Vergil. Aen. VIII 515 'sub te tolerare magistro militiam' Valer. Max. IV 2, 7 'factum propter eximiam humanitatem ne sub Caelio quidem auctore repudiandum' Cels. VI 18, 9 'sub auctore Dionysio inspergenda sandaracha est' praefat. p. 9, 31 Daremberg. 'et quidam medici . . . sub auctore ut ipsi uideri uolunt Themisone contendunt' Plin. nat. hist. X 185 'quamquam sub auctore Aristotele et Alexandri Magni militibus'. Manlium Torquatum quendam a poeta lacessitum fuisse apparet (uide ad lib. II u. 77): quis cuiusue filius fuerit incertum.

1145. Scholiasta Iuuenalis X 66 (pone domi laurus, duc in Capitolia magnum cretatumque bouem: Seianus ducitur unco spectandus, gaudent omnes). 'candidum ut *Lucilius* (ita Dousa, *lucretius* codd) "cretatumque bouem *ducit* ad Capitolia magna".' *duci* Pithoeus, *duc* Muellerus ad Iuuenalis uersum. Capitolia Vergil. Aen. VIII 347 plurali numero. Agitur de gaudio publico.

1146. Paulus ex Festo p. 53 'Crucium, quod cruciat. unde Lucilius uinum insuaue crucium dixit'. Vocabulum poetam ioci alicuius gratia nouasse deductum a *cruce* non a cruciando arbitror: memor erat opinor facete dicti Cineae quod traditur Plin. nat. hist. XIV 12 'ulmos quidem (uites) ubique exsuperant, miratumque altitudinem earum Ariciae ferunt legatum regis Pyrrhi Cineam facete lusisse in austeriorem gustum uini, merito matrem eius pendere in tam alta cruce'.

1147. Iulius Romanus apud Charisium GL I p. 217, 25 K 'Satis diuerse accipitur. *ἀντὶ τοῦ* par Lucil*ius* satur*arum* ⟨*libro* . . .⟩ "cui si coniuret populus uix totus satis sit".' Versum in quo ferebatur *cui si cum iure* in editionibus, uetere suo codice usus ita restituit Dousa sicuti in Neapolitano legitur. Idem de Lupo agi statuit hoc uersu quem libro I tribuit (fragm. 10). In interpretatione secutus est Charisium haec adnotans 'Cuius hominis ea factio ac potentia est, ut, etiamsi uniuersus p. R. in commune ad liberandam Rempub. consulens opes inter se consocient, uiresque opponant suas, tamen ne sic quidem pares ad resistendum esse possint'. — Quem hominem spectet Lucilius, incertum: ad sodalicia (conf lib. XIII u. 438) pertinere uersum apparet quas *συνωμοσίας* Attici dicunt (Thucyd. VIII 54, 4. 81, 2): seditionem Fregellanorum Plutarch. C. Gracch. 3 appellat item *συνωμοσίαν*, coniurasse eos contra Romanos Obsequens auctor est 30 (90).

1148. Charisius GL I p. 71, 27 K 'Forum neutro genere dicimus locum rebus agendis destinatum, ⟨*uel*⟩ cum commercium significamus * * et Lucilius "cum illi fora *irant*".' Ita Neapolitanus: codex Dousae habebat 'cum illi fora erat', unde Dousa 'tunc illi fora erant'. 'cum illi fora mirant' Lachmannus.

1149. De Diomedis fatis Dione ap. Hom. *E* 406 *νήπιος οὐδὲ τὸ οἶδε κατὰ φρένα Τυδέος υἱός ὅττι μάλ' οὐ δηναιὸς ὃς ἀθανάτοισι μάχηται οὐδέ τί μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν ἐλθόντ' ἐκ πολέμοιο . . . τῷ νῦν Τυδεΐδης εἰ καὶ μάλα καρτερός*

ἔστι φραζέσθω μή τίς οἱ ἀμείνων σεῖο μάχηται μὴ δὴν Αἰγιάλεια περίφρων Ἀδρηστίνη ἐξ ὕπνου γοόωσα φίλους οἰκῆας ἐγείρῃ κουρίδιον ποθέουσα πόσιν, τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν ἰφθίμη ἄλοχος Διομήδεος ἱπποδάμοιο. Diomedis fata porro tetigit Mimnermus (22 Bergk.) teste schol. Lycophr. 610 *ὑπὸ Διομήδους τρωθεῖσα (Ἀφροδίτη) παρεσκεύασε τὴν Αἰγιάλειαν πολλοῖς μὲν μοιχοῖς συγκοιμηθῆναι, ἐρασθῆναι δὲ Ἱππολύτου καὶ Κομήτου υἱοῦ Σθενέλου· τοῦ δὲ Διομήδους παραγενομένου εἰς τὸ Ἄργος ἐπιβουλεῦσαι αὐτῷ· τὸν δὲ καταφυγόντα εἰς βωμὸν τῆς Ἥρας διὰ νυκτὸς φυγεῖν ... εἰς Ἰταλίαν κτλ.* Schol. *T* et *B* ad Hom. l. s. s. 412 *φασὶν Αἰγιάλειαν τὴν μίαν τῶν Ἀδρηστίδων τὴν νεωτέραν γυναῖκα Διομήδους οὖσαν σφόδρα αὐτὸν ἐπιποθεῖν καὶ ἀπολοφύρεσθαι τὰς νύκτας. ὕστερον δὲ κατὰ μῆνιν τῆς Ἀφροδίτης πάσῃ τῇ τῶν Ἀργείων νεολαίᾳ συγκωμάσαι αὐτήν, ἔσχατον δὲ καὶ Κομήτῃ τῷ Σθενέλου ὃς ἦν ὑπὸ Διομήδους πιστευθεὶς τὰ κατ' οἶκον ... ὅθεν αὐτὸν φυγόντα φασὶν ἥκειν εἰς Ἰβηρίαν κτλ.* Apollod. epit. VI 9 p. 217, 13 Wagneri Didymi fragm. p. 361, 4 Schm. Lucilius secutus est auctorem qui origines urbium Italiae scripsit siue Graecum siue Latinum, qui solus Aegialeae amatorem Cyllarabum nominarit. Hic Stheneli item filius appellatur Pausan. II 18, 5. 22, 8 Cylarabes (*κυλαραβην* uel *κυλαραβιν* codd), cuius nomine gymnasium celeberrimum nominatur 22, 9: *ἐν δὲ τῷ γυμνασίῳ τῷ Κυλαράβου ... τάφον Σθενέλου δεικνύουσι, τὸν δὲ αὐτοῦ Κυλαράβου.* Simplex *λ* traditur in hoc nomine ap. Pausaniam Plut. Pyrr. 32 Liu. XXXIV 26, 2, duplex in gymnasii nomine exhibent editores Plut. Cleom. 17. 26, corruptum est nomen Lucian. apolog. de merc. cond. 11: Hesych. s. u. *κυλλάραβις* editur, traditum est *κυλαραβίς*. Non est quod a tradita forma *Cyllarabus* recedamus. Vsus erat hac fabula Lucilius cum mulierum perfidiam demonstraret et inconstantiam. Similem rem narrauit poeta lib. XXX u. 996 seqq., ubi uide quae adnotauimus.

1150. Vide ad incert. u. 1152. Oppidum Alba Fucens situm ad lacum Fucinum hoc loco Pauli Marsorum dicitur, alias Aequorum (Nisseni Ital. Landeskunde II p. 457. 458): scutorum officinas tempore Lucilii illic fuisse apparet in ea urbe quae mercatura antiquitus erat celeberrima (Nissenus l. s. p. 459). Praeterea Marsorum populum bello et armis inclutum fuisse passim ueteres testantur (Nissenus I p. 516). Videtur pertinere hoc fragmentum ad incert. u. 1315 unde conicias Marsi clientis dona enumerari: uide ad lib. IV u. 166.

1151. Vide ad incert. u. 1152. decumana oua, ut acupenser decumanus incert. u. 1240, panis decumanus lib. XV u. 502: quod Macrob. Saturn. III 19, 6 pira decimana memorantur, forsitan adiectiuum positum sit ex usu Lucilii. decumana oua dictum ut ingentes pisces lib. IV u. 166.

1152. Scholiasta Lucan. V 672 p. 183 Vseneri 'decimus fluctus] decimus, hucusque numerus crescit . . . decimus ergo magnus, ut Luc*il*ius (ita Vsenerus: lucius cod) "decimanis fluctibus".' Paulus ex Festo p. 71, 15 'Decumana oua dicuntur et decumani fluctus quia sunt magna. Nam et ouum decimum maius nascitur et fluctus decimus fieri maximus dicitur' idem p. 4, 7 'Albesia scuta dicebantur, quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, usi sunt. Haec eadem decumana uocabantur quod essent amplissima, ut decumani fluctus' CGL V p. 16, 19 'Decumano (decumane cod) maximo, a fluctu (fructu cod) decimo' (= p. 60, 23) p. 566, 49 'Decumanum ouum et fluctus dicimus quia semper decimum ouum et decima unda maior est'. Licuit haec fragmenta omnia tribuere Lucilio per testimonium scholiastae Lucani editi ab Vsenero quod fecit Muellerus. Accedit quod *decumanus* adiectiuum praeter Lucilium nemo uidetur usurpasse. Quod unde deductum sit, nescimus: castrensis id fuisse sermonis consentaneum est. Verrii aliorumque interpretamenta uana commenta esse apparet: de decumanis fluctibus eandem puer didicerat interpretationem Ouidius qui trist. I 2, 49 'qui uenit hic fluctus, fluctus supereminet omnes: posterior nono est undecimoque prior' metam. XI 530 'uastius insurgens decimae ruit impetus undae' conf Lucan. l. s. s. Lucian. de merced. cond. 2 *τοὺς ἐν ταῖς οἰκίαις χειμῶνας καὶ τὰς τρικυμίας καὶ νὴ Δία πεντακυμίας τε καὶ δεκακυμίας* nihil ad uocabulum Latinum.

1153. Varro de lingua Latina libro IX 81 'Etiam illud putant esse causae cur non sit (addit *in* Florentinus) analogia, quod Lucilius scribit "*decuis* siue decusibus est". qui errant, quod Lucilius non debuit dubitare, † quod utrumque. . . . ab tressibus uirilia multitudinis "hi tresses" et "his tressibus confido", singulare "hoc tressis habeo" et "hoc tresis (*ita Florentinus*) confido". sic deinceps ad (Florentinus *ac*) centussis'. Quod adfert exemplum 'hoc tressis habeo hoc tressis confido' demonstrat singulari numero indeclinabile poni posse: quod recte restituit L. Spengelius apud Lucilium scribendo 'decussis siue decussibus est'. Addidit Lucilius uerba tria extrema, quo magis ablatiuum indicaret lectori quem ex indeclinabili intellegere ille nequiret. Sicuti Lucilius priore loco Statius scripsit silu. IV 9, 9 de libro 'mihi constitit decussis' Fest. p. 334, 33 M. s. u. sestertius 'quo tempore is decusis ualebat', idem Paulus: contra Festus p. 237, 19 s. u. peculatus 'Tarpeia lege cautum est, ut bos centusibus, ouis decusibus aestimaretur'. De orthographia monuit Georges in lexico formarum s. u. *bes decussis centussis* litteram s sicuti hoc loco saepe non geminatam inueniri: etiam Pers. V 191 *centuse*, 76 *tresis* habuit archetypus codicis Pithoeani: conf Heraeus Philolog. LIX 1900 p. 317. Libro IX attribuit Muellerus. Agi

uidetur potius de cena, cui decem asses secundum legem Fanniam licebat insumere (Gell. II 24, 3): cena decusis siue decusibus est. Certe de orthographia non agitur.

1155. Cicero de fin. bon. et mal. II 8, 23 ‘Mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, uenatione, his omnibus exquisitis, uitantes cruditatem, quibus “uinum defusum e pleno sit *hrysizon* (sic codex Vaticanus et Erlangensis, *hyrsizon* Spirensis, *hirsizon* Palatinus primus)”, ut ait Lucilius, “cui nihil dum *sit uis* et sacculus abstulerit”, adhibentis ludos et quae sequuntur . . .’. Grammaticus de dubiis nominibus GL V p. 590, 9 K ‘Saccus generis masculini, ut Varro “uinum cui nihil sacculus abstulit”.’ Varronis nomen perperam pro Lucilii nomine positum est ut ab eodem scriptore lib. XVI u. 521 falso cum nomine auctoris adfertur, item factum est incert. u. 1370. Asoti Luciliani non sunt tales, quales describit Cic. in Pis. 66. 67 neque tale bibunt uinum quale iubet Niger ap. Plut. quaest. conu. VI 7, 1 *ἀπὸ τοῦ πίθου πίνεσθαι τὴν σύμφυτον ἔχοντα ῥώμην καὶ δύναμιν*, sed potant illi quidem uinum tam egregium, quali neque saccus neque aliud instrumentum quicquam auferre potuerit potantque e *pleno* defusum.” Seneca de uita beat. cap. 24, 3 de liberalitate ‘haec apud sapientem nec umquam in turpes indignosque inpingitur nec umquam ita defetigata errat, ut non, quotiens dignum inuenerit, quasi *ex pleno fluat*’, Plaut. Asin. 181 ‘de pleno promitur’, Ausonius p. 101, 16 Peiperi ‘hoc numero *ad plenum* uertens reparabitur annus’. *ἐκ πίθω ἀντλεῖς* Theocr. X 13. *chrysizon* scribendum, ut Athen. I p. 27 *B* *ὁ Σπωλητῖνος οἶνος . . . καὶ πινόμενος ἡδὺς καὶ τῷ χρώματι χρυσίζει*, Plin. nat. hist. XXXVII 129 de gemmae splendore ‘coeunt quippe in tralucidam crystallum uiridis suo modo aer simulque purpurae et quidam uini aurei nitor’, de uuis Ouid. met. XIII 813 ‘sunt auro similes longis in uitibus uuae, sunt et purpureae’ CIL VIII 7854 ‘et auro similes pendunt in uitibus uuae’ (Buecheleri CLE I 468). Verba *dum sit uis* corrupta: ‘cui nil dempsit nix et sacculus abstulerit nil’ Manutius et Lambinus, pentametrum libri XXII ‘cui nil dum situs et sacculus abstulerit’ effingunt Baehrensius et Dziatzko Mus. Rhen. XLIV 1889 p. 635 ‘quoi nildum situis [et] sacculus abstulerit’: at coniunctiuus est Ciceronis, indicatiuus fuit Lucilii qualem grammaticus de dubiis nominibus seruauit integrum. *dum fit*, *uas* scripsi: *uas* prelum dici uel torcular in sermone rusticorum edocet Cato de agri cult. 1, 4 ‘ad uillam cum uenies, uideto, uasa torcula et dolia multane sient’ 14, 2 ‘uasa torcula II’ 26 ‘uindemia facta uasa torcula . . . condi’ (146, 3) 19, 1 ‘in uasa uinaria stipites . . . facito’ 18, 1 ‘torcularium si aedificare uoles quadrinis uasis’ et saepius: grammaticus de dub. nom. GL V 592, 17 K ‘uas generis neutri. dicimus enim uas uinarium

et uasa uindemiatoria’ (VII p. 103, 9 K). Vino igitur illi neque torcular neque saccus quicquam demere potuit, quamquam et prelum subiit et saccum: bibunt asoti illi uuam meram quae neque prelo neque sacco sit aut domita aut fracta. Libro IV adscripsit Dousa cum reliquis capitis Tulliani fragmentis: quae si ex eodem libro omnia sumpta esse probabile erit, libentius lib. V adscripserim.

1156. Nonius ex grammatico p. 509, 24 ‘Disertim dicere ⟨*id est*⟩ plane palam Lucilio ⟨*et Titinio*⟩ auctore possumus in Veliterna’. Supplendum locum esse probabilius arbitror quam corrigenda singula uerba.

1157. Nonius ex grammatico p. 449, 25 ‘Interfici et occidi et inanimalia ueteres posse uehementi auctoritate posuerunt. . . . Lucilius “durum molle uoras, fragmenta *interficit* panis”.’ durum molle uoras, asyndeton ut Plaut. Trin. 360 ‘quin comedit quod fuit quod non fuit’, fragmenta panis Plinius dicit nat. hist. IX 25, AP XI 153, 3 *ἂν δὲ παραρπάζῃς ἄρτους καὶ κλάσματ᾽ ἀναιδῶς κἀγὼ ῥάβδον ἔχω, καὶ σὲ λέγουσι Κύνα*, homo sordidus *ἀπομαγδαλιὰς σιτεῖται ὥσπερ κύων* Aristoph. Equit. 414. Agi uidetur de meretrice uoraci cuius ‘dentes uel silicem comesse possunt’ Catull. 23, 4: Terent. Eun. 938 ‘quam inhonestae solae sint domi atque auidae cibi quo pacto ex iure hesterno panem atrum uorent’; meretrix *ὑπερεμφορεῖται τοῦ ὄψου ἀπειροκάλως* Lucian. dialog. meretr. 6, 3: de *interficis* uide ad lib. XXVIII u. 770.

1158. Porphyrio ad Horatii serm. I 6, 117 ‘Adstat echinus uilis cum *patera* (*p. praeter* codd). Echinum Lucilius sic dixit, quasi scorte⟨*a*⟩ ampulla sit, ut cum ait “*echinus chinnabam* (*chimabam* P *cinnabari* Scaliger) *infectas* (*infectus* editt)”. Hic tamen uitream ampullam intellegere debemus’. Vasa uitrea saec. XVII et XVIII quae echini i. e. Igel nominentur etiamnunc conseruantur ueluti in Museo Vratislauiensi: de echino nomine uasorum Graecorum uide Schneiderum ad Callim. fragm. 250. Scaliger scripsit *echinus cinnabari infectus:* at scorteam ampullam potissimum minio infici minime consentaneum uidetur, nihil enim prohibet ueluti fictilem ampullam rubro colore infici. Commemorat scorteas ampullas Plut. Sull. 13 *τῶν ἀνθρώπων . . . ὑποδήματα δὲ καὶ ληκύθους ἑφθὰς ἐσθιόντων* (Plaut. Rud. 756): conf Appian. Iber. 96. Vbi uascula olearia uidentur commemorari sicuti apud Lucilium: Isid. orig. XX 7, 1 ‘scortea est uas olearium eo quod sit ex corio dictum’. Potest *echinus* esse accusatiuus pluralis, e *chinnabam* imperfectum ut *concinnabam* restitui ita ut loquatur ampullarius (conf Plaut. l. s. s.).

1160. Varro de lingua Latina V 80 ‘Praetor dictus qui praeiret iure et exercitu. a quo id (*ait* Lachmannus) Lucilius “ergo praetorum est ante et *preire*”.’ Apopthegma uidetur esse

praetoris alicuius, ueluti Scipionis: uide ad lib. XI u. 398 XIV u. 467: conf Cic. de legg. III 3, 8 ‘a praeeundo . . . praetores’. De praeire uocabulo in uersu posito uide Muellerum d. r. m. edit. II p. 289. Libro IX tribuit Muellerus, temere.

1161. Paulus ex Festo p. 337 ‘Sicyonia, genus calciamenti. Lucilius “et . . . honesta”.’ *honesta* Sicyonia dici non laeuam manum mulieris probat Dousa Lucretii uersu IV 1125 ‘*pulchra* in pedibus Sicyonia rident’ ubi Lucretius urbanum uocabulum posuit pro uulgari illo. Sicyonia proprie esse mulierum testantur Hesych. s. u. Herond. VII 57 Cic. de or. I 231 Athen. IV p. 155 C Ciris 169. Mulier in grabato adsidens dextra lecto innititur, laeua calceos demit pedibus.

1162. Diomedes GL I p. 365, 9 K ‘Praefoco praefocaui Probus quasi nouam uocem miratur. . . . Lucilius tamen ait “et suffocare laguna (ita Parisinus B, *lacunas* Parisinus A, M(onacensis) m. 1, idem *lagunas* m. 2) conatur”.’ *lacuna* scripsi: de ablatiuo loci uulgaris sermonis proprio egimus ad lib. II u. 85: uide ind. gramm. s. u. *ablatiuus.* Sententiam intelleges comparato Platon. Gorg. p. 471 C *ἀλλ' εἰς φρέαρ ἐμβαλὼν καὶ ἀποπνίξας πρὸς τὴν μητέρα . . . χῆνα ἔφη διώκοντα ἐμπεσεῖν καὶ ἀποθανεῖν.* Lacuna siue lucuna est puteus: conf Ribbeckius ad Vergil. georg. III 365. *suffocare lacunas* Muellerus scripsit qui de homine lagonas cortice intellegat obturante: *λοπαδάγχης* parasiti nomen Casaubonus restituit Athen. III p. 113 F quod nihil ad hunc locum.

1164. Porphyrio ad Horatii serm. II 4, 81 ‘Mappas antiqui dicebant quae nunc mantelia. *luciliais* “et uelli mappas”’ (snappas *Monacensis m. 1*). Coniunxit hoc fragmentum parum recte cum incert. u. 1206 Dousa, *Lucilius ait* editiones ueteres. Seruata est aperte semiquinaria integra, *uelli* est perfectum (Seru. ad Aen. IV 427), *mappas* plurale tantum esse testatur Seruius ad Aen. II 272 ‘bigis secundum artem modo dixit, quae exigit, ut, quae de pluribus constant, plurali tantum numero dicamus, ut bigas, quadrigas, mappas. sed haec plerumque corrumpit auctoritas, ut Horatius (epist. I 5, 22) “ne sordida mappa”.’ Narrat Lucilius sese prae fame dentibus uellisse mappas: de cena aliqua item poeta narrauerat incert. u. 1183 ‘gustaui crustula solus’ sicuti Fundanius apud Horatium satura ultima de cena Nasidieni. Libro V tribuit Muellerus.

1165. Isidorus orig. XIX 7, 2 ‘Marculus malleus pusillus. Lucilius “et uelut in *fabricam* (*fabrica* F. Dousa) feruens cum marculus ferrum *multorum* magnis (magnis ⟨*tuditantium*⟩ Scaliger, ⟨*incumbentum*⟩ Muellerus, ⟨*instantibus*⟩ Baehrensius) ictibus tundit”.’ Deminutiuum esse *marculus* (conf Niedermannus Indog. Forsch. XV 1903 p. 109 seqq.) Isidoro credemus: quod tamen non significat malleum pusillum, sed malleum unumquemque ex

uulgaris sermonis consuetudine quae inprimis adamarit deminutiua: conf indic. gramm. s. u. *deminutiua. in fabricam* mendum est potius librarii quam Lucilii soloecismus talis quales tractauimus ad incert. u. 960. XXX u. 994. *in fabrica* eadem uersus sede positum Lucret. IV 513 ‘denique ut in fabrica’. Apud Lucilium officinam significat ut Terent. Adelph. 584: fabri ferrarii fabricam dici ex totius sententiae natura debuit intellegi. *multorum* sanum iudicant esse editores uario modo uersum lacunosum qui suppleuerint. At *marculus multorum tundit* non bene dicitur, bene dicitur Martial. XII 57, 6 ‘aerariorum *marculi* die toto’: quare *multorum* corruptum arbitror. ‘⟨tinnitu⟩ multo cum magnis ictibus tundit’ quod scripsi defenditur Terent. Heaut. 37 ‘ne semper seruus currens, iratus senex . . . adsidue agendi sint mihi clamore summo, cum labore maxumo’ Claud. Quadrig. ap. Gell. IX 13, 10 ‘silentio facto cum uoce maxima conclamat’. Libro III tribuit Vargesius de libro III p. 12 ad eandem rem pertinere comparationem qui censeat ad quam pertinent III u. 144. 145. Tamen cum malleorum tinnitu igniuomi montis strepitum num comparare potuerit poeta, admodum dubito: aptius de equi quadrupedante cursu ruentis in numerum cogites (Hephaest. p. 82, 3 ed Westph.).

1167. Nonius ex grammatico p. 207, 19 ‘Guttur neutri est generis. . . . masculino Plautus . . . Lucilius “et . . . eundem”.’ Piscium corpora uidetur describere: conf Plin. nat. hist. XI 180 ‘quibus fauces non sunt, ne stomachus quidem est nec colla nec guttur, ut piscibus, et ora uentribus iunguntur’ Rer. natur. script. p. 20, 20 edit. Keller. *τοὺς δὲ ἰχθῦς οὐκ ἔχειν στόμαχον· διὸ καὶ τῶν μεγάλων ἕτερον ὅταν διώκωσιν ἐλάττονα, προσπίπτειν τὴν κοιλίαν εἰς τὸ στόμα.* Varro ap. Seru. ad georg. I 186 *curculio* nomen tradit ‘per antistoechon dictum quasi gurgulio quoniam paene nihil est nisi guttur’.

1168. Aeschinem *εὔφωνον* irridet Demosthenes de cor. 285 de fals. leg. 126 *ὁ σοφὸς καὶ δεινὸς οὗτος καὶ εὔφωνος.* In uocabulis usus est hoc epitheto Dionys. Hal. de compos. uerb. XVI p. 66, 18 VR *εἰ μὲν οὖν ἐγχωροίη πάντα εἶναι τὰ μόρια τῆς λέξεως ὑφ' ὧν μέλλει δηλοῦσθαι τὸ πρᾶγμα, εὔφωνά τε καὶ καλλιρήμονα* . . . p. 67, 12 *ἀλλ' οὕτως αὐτὰ καλῶς ἐκεῖνος συνύφαγκεν καὶ παραπληρώμασιν εὐφώνοις διείληφεν ὥστε μεγαλοπρεπέστατα φαίνεσθαι πάντων ὀνομάτων.* M. Aurel. ad Fronton. p. 105, 4 N ‘si Lucretii aut Enni excerpta habes *εὔφωνα*’. Libro IX tribuitur fragmentum sed temere.

1169. Tiro in epistula ad Q. Axium apud Gellium VI 3, 26 de hac sententia Catonis Censorii ex oratione pro Rhodiensibus ‘“Ea nunc derepente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? quod illos dicimus uoluisse facere, id nos priores facere occupabimus?” (p. 23. 24 Iord.). Hoc . . . enthy-

mema nequam et uitiosum est. Responderi enim potuit: occupabimus certe; nam si non occupauerimus, opprimemur incidendumque erit in insidias, a quibus ante non cauerimus. Recteque ... hoc uitio dat Lucilius poetae Euripidae, quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece eius consilium cepisset, Meropa fratris uxor hisce ad*eo* (ita Hertzius: ad *codd*) eum uerbis eluserit (TGF ed II p. 499, 451 N): *εἰ γάρ σε ἔμελλεν ὥς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις, χρῆν* (ita Casaubonus: χρη cod) *καὶ σὲ μέλλειν, ὡς χρόνος παρήλυθεν* (*ΠΔΡΗΔΛΥΘΕΝ* cod). At hoc enim, inquit, plane stultitiae plenum est, eo consilio atque ea fini facere uelle aliquid uti numquam id facias quod uelis'. Verba extrema non sunt Lucilii sed Tironis, immutata nonnihil a Gellio: nam *ea fini* proprie Gellianum est qui I 3, 30 'Hac ... fini ames, tamquam forte fortuna et osurus' IV 1, 6 'qua fini id uocabulum dicatur' ubi adnotat Hertzius locos reliquos Gellii I 3, 16. III 16, 20. XIII 21, 9: conf Fronto p. 135, 7 N. Septenarios constituit Stowasserus Stud. Vindob. III 1881 p. 280 inde a uerbis 'Hoc enim plane stultitiae': clausula sane exitum senarii uel septenarii exhibet 'uti numquam id facias quod uelis': sed eadem sollemnis est etiam in pedestri sermone. Ad librum XXIX pertinere fragmentum statuunt et Muellerus et Lachmannus qui huc pertinere censet u. 911 'ut si id quod concupisset non aptus ⟨foret⟩'. Versus Euripidis ipsos a Lucilio allatos fuisse duos neque probari potest neque probabile uidetur. In quibus quod L. Muellerus posuit *ὡς χόλος παρήλυθεν* probante Nauckio, id falsum uidetur, nam uetus est tempore iram placari: TGF p. 774, 2 N *ὁ χρόνος ἁπάσης ἐστὶν ὀργῆς φάρμακον* Aristot. rhet. II 3 p. 1380 b 6 *παύει γὰρ ὀργὴν ὁ χρόνος* 4 p. 1382 a 7 *καὶ τὸ μὲν ἰατὸν χρόνῳ.*

1170. Charisius GL I p. 98, 9 K (Beda GL VII p. 264, 33 K) 'Acceptor quoque et accipiter. Vergilius enim accipiter dicit, *Lucius* autem "*exta acceptoris et unguis*".' Eandem lectionem ex libro suo primus protulit Dousa qui (incert. 128) pro *exta* poni uoluit *rostra*. Exta sunt supra praecordia quae posita sunt cor iecur pulmo fel: fel plerisque auibus in intestinis esse, sicut accipitri miluo testantur Plin. nat. hist. XI 195 Aristot. hist. anim. II 15 p. 506 b 23 *οἱ δ' ἅμα πρὸς τῷ ἥπατι καὶ τοῖς ἐντέροις οἷον ἱέραξ καὶ ἰκτῖνος.* Sicuti canes non tangere exta cerui propter amaritudinem tradit idem Aristoteles l. s. 15 p. 506 a 33 (Plin. l. s. 192), ita hoc loco accipitris necati ab aue inimica corpus totum a uictore comesum fuisse narrat Lucilius praeter ungues durissimos et exta felle amara.

1171. Interpres Veron. ad Aen. IX 373 (sublustri noctis in umbra) 'Nam sub pro parum ponitur. Lucil. "facti subpudet ut di ...".' Litterae *ut di* incertae: *tu di* Maius legerat.

1172. Gellius II 24, 3 'Sed post id senatus consultum lex Fannia lata est, quae ludis Romanis, item ludis plebeis et Saturnalibus et aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos aeris insumi concessit decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris autem diebus omnibus denos. hanc Lucilius poeta legem significat, cum dicit "Fanni centussis misellus" (sellus *A qui ab his litteris incipit*, misellos *reliqui*). in quo errauerunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores, quod putauerunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos aeris statutos'. Macrobius Sat. III 17, 5 'Fannia autem etiam sumptibus modum fecit assibus centum: unde a Lucilio poeta festiuitatis suae more "centussis" uocatur'. Errat auctor Macrobii teste Gellio. Neque lex ipsa dicitur *centussis*, sed indicatur eo uocabulo sumptus legis exiguus quem lege Fannia teste Gellio insumere liceret diebus festis ueluti ludis Romanis plebeis Saturnalibus. Apte contulit Dousa Martial. III 7, 1 'Centum miselli iam ualete quadrantes' e. q. s. De lege Fannia lata anno 593/161 uide ad lib. V u. 193: libro IV adscripsit Muellerus. Agi de diebus festis a poeta apparet, nam profestis diebus cena secundum Fanniam erat decusis siue decusibus: uide ad incert. u. 1153 dub. u. 1353 centenaria cena lib. XIII u. 440; scripsisse uidetur poeta ueluti 'festisque diebus non placet huic homini Fanni centussis misellus'. *centussis* hoc loco codd: uide ad u. 1153. De Gellii et Macrobii locis conf prolegg. p. LV seqq.

1173. Vide ad incert. u. 1101. — **1174.** Macrobius Saturn. III 16, 17 'Sed et Lucilius, acer et uiolentus poeta, ostendit scire se hunc piscem egregii saporis qui inter duos pontes captus esset, eumque quasi ligurritorem "catillonem" appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. proprie autem catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum uenirent, catillos ligurribant. Lucilii uersus hi sunt "fingere ... *Tiberinos* (*Tiberinu'* Ianus Dousa) ... catillo".' Paulus ex Festo p. 44, 12 'Catillones appellabant antiqui gulosos' p. 90, 2 'Fiscellus casei mollis appetitor, ut catillones catillorum ligurritores'. Reliquas glossas quae pertineant ad hunc u. enarrant Goetzius in Thesauro gloss. em. s. u. catillo Loeweus in Prodromo p. 321. Catillonem Tiberinum eum piscem qui stercus in Tiberi insectaretur *κατ' ἀντίφρασιν* poeta appellauit siue ex contrario, ut si quis impium Aenean uel adulterum Hippolytum appellet (ad Her. IV 34, 46 extr. Quintil. VIII 6, 54 seqq.): pisces fluuiatiles stercus comedentes memorat Philemo CAF II p. 500, 18 K *καίτοι παρέλαβον ἰχθῦς ποταμίους ἐσθίοντας βόρβορον.* Lupum piscem quem *λάβρακα* Graeci dicunt inter duos pontes captum ut optimum Titius orator aetatis Lucilianae memorat ap. Macrob. l. s. s., praeterea Horatius serm. II 2, 32 Plinius nat. hist. IX 169, lupum Tiberinum

Colum. VIII 16 quos locos adfert Dousa ad IV 4; addit Muellerus Iuuen. V 104 'aut glacie aspersus maculis Tiberinus, et ipse uernula riparum, pinguis torrente cloaca et solitus mediae cryptam penetrare Suburae': quem locum enarrarunt Buechelerus Mus. Rhen. XXXV 1880 p. 392 Heraeus archiu. lexicogr. Lat. XII 1902 p. 278. Duo pontes inter quos capitur lupus stercore cloacae pastus sunt Aemilius et sublicius: et Iuuenalis et Lucilii uersus recta interpretatione controuersia illa de situ pontis sublicii ni fallor soluitur. Nam sublicium pontem aliquantum infra cloacae maximae ostium fuisse positum quo secundo amne deferrentur cloacae stercorosa purgamenta consentaneum est. Recte igitur Vrlichsius cuius sententiam et probat et enarrat Otto Gilbert topogr. urbis II p. 179 seqq. pontem sublicium censet fuisse positum prope portam Trigeminam. — Posuit hoc fragmentum libro IV 4 F. Dousa, quem recte hos uersus tres uideo iam coniunxisse cum lib. XX u. 569 'illi praeciso atque epulis capiuntur opimis': quem tamen uersum inepte tribuit libro IV idem editor. *capere* positum ut Hor. serm. I 4, 28 'hunc capit argenti splendor', *ducebant* ut de piscibus Hor. l. s. II 2, 35 'ducit te species', I 2, 88 'emptorem ducat . . . quod pulchrae clunes' uoluit scribi Bentleius. Ferculum summae cenae uel cenae caput describit poeta: fuerunt sumina aues piscis sicuti ap. Petron. 36 'uidemus infra . . . altilia et sumina leporemque, . . . notauimus etiam . . . Marsyas quattuor, ex quorum utriculis garum piperatum currebat super pisces', Lucian. conuiu. 38 *ἐσεκεκόμιστο ἡμῖν τὸ ἐντελὲς ὀνομαζόμενον δεῖπνον, μία ὄρνις ἑκάστῳ καὶ κρέας ὑὸς καὶ λαγῷα καὶ ἰχθῦς ἐκ ταγήνου καὶ σησαμοῦντες καὶ ὅσα ἐντραγεῖν.* altilium lanx dictum ut Theopomp. CAF I p. 753, 80 K *ὀρνιθίων λεκάνην.* Versus itaque uidentur esse libri XX quo cenam hominis pecuniosi descripserat Lucilius, cuius exemplum imitatur Horatius serm. II 8: dominum cenae Granium fuisse uideri exposuimus ad lib. XX u. 568. Versu 1174 *fingere* infinitiuus est historicus: neque tamen significat *ementiri* ut uoluit Muellerus alii, sed cocus uafer et agilis cito quod quisque praeter fercula apposita uolebat adferri fingebat artifex suae artis summus. Quod hominis non elegantis est neque urbani, sed ostentatoris et inepti: similis est ille in uinis Nasidienus Horatii serm. II 8, 16 '"Albanum, Maecenas, siue Falernum te magis adpositis delectat, habemus utrumque". diuitias miseras!' Itaque uerba inde ab 'illum sumina' pertinent ad fercula iam apposita, non ad uersum 'fingere praeterea'. plassare dicitur de coco fictore ap. Apicium II 38. 39.

1177. Neque Lucilium neque Pomponium poetas ueteres ipsos nouerat Arnobius quorum opera spurcissima ut Christianus pro exemplis posuerit cum contemptu et derisione grammaticorum qui remotissima quaeque tractent et obscena: titulos illos nouerat

ex aliorum scriptis simul et argumenta turpia. Fornicem inscriptum fuisse librum uel VII uel VIII suspiceris sicuti XVI Collyrae erat inscriptus nomine. Ad eundem Lucilii librum uidetur pertinere alterum apud Arnobium fragmentum incert. u. 1339. Totam poesin Lucilii ab Arnobio appellari *fornicem* propter spurcitiem I. Hilbergius exponit stud. Vindob. XXV 1903 p. 156 seqq.: quod ideo probari nequit, quod poetam uni aequum uirtuti atque eius amicis, cuius censorium celebrent rigorem ueteres scriptores, cum uel Lactantius Arnobii discipulus eclogas ethicas cum laude auctoris ex illo proferat, minime ut omnibus partibus lenonem et spurcum poetam his uerbis ille potuit prostituere. Immo haec ad partem operis Luciliani tantummodo possunt pertinere, minime ad totum. *Secare* quod proposui commendatur Arnobii loco I 64 p. 44, 22 Reiff. 'qui luxurias ac uitia uestra secant urunt dilacerant'.

1178. Lucilii uersus non exscripsit interpres: de furore egit lib. XXVII u. 732 Stoicos secutus 'insanum uocat quem maltam ac feminam dici uidet'. Horatius l. s. 'quem mala stultitia et quemcumque inscitia ueri caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex autumat'.

1179. Charisius GL I p. 85, 6 K 'Gibber ut Verg. (*Verrius* recte Dousa) ait, ipsum uitium dicitur, ut tuber; gibberosus habens gibberem, ut tuberosus. et sane Lucilius ita loquitur, "gibbere magno".'

1180. De Granio uide ad lib. XI u. 412 II u. 95. De tempore tribunatus Crassi constat Ciceronis loco Brut. 161 quem gessit ille anno 647/107: qui annus ultimus est poeseos Lucilianae quantum nos hodie indagare possumus. Cena Granii uidetur fuisse narrata libro XX: uide ad u. 568 incert. u. 1174 seqq.

1181. Cicero ad Atticum VI 3, 7 'Tibi autem ualde solet in ore esse "*grauius* (*Granius* Corradus) autem . . . superbos".' Ibidem II 8, 1 'Et scito Curionem adulescentem uenisse ad me salutatum. ualde eius sermo de Publio cum tuis litteris congruebat; ipse uero mirandum in modum "reges odisse superbos".' Ad librum Lucilii XI reuocarunt editores quo Granii cenam quam exhibebat L. Crasso oratore praesente arbitrantur fuisse narratam. uide ad XI u. 412: rectius tribuemus libro XX de quo conf quae adnotauimus ad incert. u. 1180. Tarquinii igitur illi sunt Crassus ille aliique quos uocarat ad cenam homines nobiles: 'regum prandia' carpit poeta ap. Pers. I 67. *contemnere se* Plautinum (Trin. 322 Mil. 1236): 'ne me quidem contemno' Cic. ad Att. XII 21, 5. Post Lucilii uersum (incert. u. 1280) cum Cic. de orat. II 254 idem genus ioci ambigui quibus explicaret haec scribat 'ut tuus amicus, Crasse, Granius "non esse sextantis"', suspiceris iocum esse ex eodem libro Lucilii petitum sed paululum

mutatum a Cicerone. Quo in loco Turnebi explicationem quam adscripsit probat iure Ellendtius: dixit Granius hominem aliquem 'non esse sextantis', quod in laude positum esse intellegat aliquis (cum Laberius [31 R] dicat 'seruos sextantis utitur nefariis uerbis'), alius ita intelleget ut dicatur hominem illum non nauci esse. Dicta Granii in reges superbos collegit Cic. pro Planc. 33. Librarii in codd Cic. de or. l. s. s. eodem modo peccarunt quo ad Att. l. s. s. exhibentes *grauius* pro *granius*.

1183. Scholiasta Iuuenalis IX 5 'Crustula, species operis pistorii. *Lucullus* (*Lucillus* Sangallensis codex manu prima) "*crustaui* crustula solus".' Porphyrio ad Horatii serm. I 1, 25 'Crustula et Lucilius dixit, "gustaui crustula solus".' Omnibus rixa coorta aufugientibus is qui loquitur conuiua solus relictus bellaria comedit mensarum secundarum. De gustare uocabulo uide ad lib. XXVI u. 637.

1184. Glossarium CGL II p. 36, 34 'Gutulliocae, *καροια* (*κάρυα* editt) *μακρὰ* (*μικρὰ* Buechelerus) *παρὰ Λουκειλίῳ*' p. 36, 26 '† Gulluca, *καροιοτομια*'. Placidus CGL V p. 24, 18 (105, 40) 'Galliciola cortice nucis iuglandis uiridi per quem corpus humanum intelligi uult' Paulus ex Festo p. 98, 12 'Gulliocae nucum iuglandium summa et uiridia putamina' p. 50, 12 'culliola cortices nucum uiridium dicta a similitudine culleorum quibus uinum siue oleum continetur'. Tractarunt has glossas Loeweus prodrom. p. 298 seqq. Ribbeckius archiu. lexicogr. Lat. II 1885 p. 121 Zanderus l. s. VI 1889 p. 528: quas omnes ad eundem Lucilii pertinere locum me arbitro erit negandum. Nam sola uox *gutulliocae* Lucilii aperte est qua nuces grandes significauit: quae discrepat a reliquis et forma et significatione. Pauli glossae ad eundem scriptoris alicuius locum antiquitus corruptum uidentur pertinere sicuti Plaut. Mil. 1180 Verrius et lectionem *expapillato* et *effafilato* enarrauit (p. 79, 10. 83, 6), idem *cnephosum clucidatum cuturnium calbeos* interpretatur in c littera quae postea in g littera iterum tractet *gnephosum glucidatum guturnium galbeum* (Reitzensteinii Verrian. Forschungen Bresl. Phil. Abhandl. I 4 p. 39). Porro Placidi glossa ad locum scriptoris alicuius pertinet similem Lucilii lib. XXVI u. 622 'quo folliculo nunc sum indutus' quocum Ribbeckius comparat l. s. s. Denique *galliciola* barbare scriptum uidetur pro *caliciola*: a calyx, quo uerbo Plinius sicuti Graeci utitur et de nucum corticibus et castanearum et de tegumentis echinorum coclearum testudinum ouorum (nat. hist. XV 86. 92 IX 100. 174 XXXII 39 XXVIII 19): deminutiuum fit *calicium* Graecum (echinorum caliculos Latine Apul. de mag. 35), inde factum *caliciola* Latinum quod confundentes cum *gallus* uocabulo barbare dixerunt *galliciola* similiter atque in *gobius gubernator gummi* mutantes consonam (Lindsayi de ling. Latin. Lips. 1897 p. 85). A *callum* mauult deducere etymo Ritschelius ap. Loeweum l. s. s. p. 300.

1185. Paulus ex Festo p. 369, 16 'Vitiligo in corpore hominis macula alba, quam Graeci *ἀλφὸν* uocant. . . . Lucilius "haec . . . inquit".' *uituligo* scribere maluit Thewrewkius. Diuerbium constituere uterque Lucilii editor. Quod utrum medici sit et aegroti an mulieris cum nutrice colloquium uel ancilla ut Plaut. Most. 166, non liquet. De uitiliginis generibus Celsus V 28, 19.

1186. Paulus ex Festo p. 32, 1 'Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinari (*inquinare* O. Muellerus). Lucilius "haec" inquit "inbubinat, at contra te inbulbitat". inbulbitare est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant *βόλβιτον*'. *ille* addidit Dousa. De glossis huc pertinentibus uide Thesaurum gloss. emend. s. u. *bubino*. Verbum a Graeco *βουβών* uidetur esse deriuatum, sumptum ex meretricum sermone: quod quin recte explicuerit Verrius non dubito. Ad *imbulbitat* conf Iuuen. IX 44 Martial. XIII 26. Comparauit uersum cum lib. XXIX u. 866 Lachmannus cuius libri reuera fuisse uidetur. Meretrices dicit ita auaras esse, ut ne aegrotantes quidem menstruo sanguinis profluuio et sibi parcant et amatori, item pueros ne in alui quidem morbo parcere uenere. Editur *haec te*, sed *te* omittunt codd quos Huelsenus contulit tres.

1187. Nonius p. 208, 12 'Gladius masculini. neutri Lucilius "herebat mucro *gladium* in pectore totum".' *gladiumque* I. Dousa. mucro gladiumque hendiadyoin. Homerus *N* 442 *δόρυ δ' ἐν κραδίῃ ἐπεπήγει*. Ad gladiatorum pugnam quam libro IV narrauerat uersus uidetur referendus.

1188. Explanatio in Donatum GL IV p. 542, 28 K 'sero fruges praeteritum tempus perfectum facit seui ut Lucilius "hic sunt erbae quas seuit ioppiter ipse".' Libro V collato u. 193 adscripsit hoc fragmentum Bouterwekius Mus. Rhen. XXI 1866 p. 360. Compares Iuuen. XIV 205 'illa tuo sententia semper in ore uersetur dis atque ipso Ioue digna poeta: "unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere"' quem uersum Lucilii esse suspicatur Buechelerus in Iuuenalis editione ad h. u. Cic. Philipp. XI 28 'Qua lege? quo iure? Eo, quod Iuppiter ipse sanxit, ut omnia, quae reipublicae salutaria essent, legitima et iusta haberentur'.

1189. Hieronymus commentarii in Michaeam lib. II cap. 7 uol. VI p. 518. 519 Vallars. 'Sed et poeta sublimis — non Homerus alter, ut Lucilius de Ennio suspicatur, sed primus Homerus apud Latinos — "uarium" inquit, "et mutabile semper femina".' (Vergil. Aen. IV 569.) Horatius epist. II 1, 50 'Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, ut critici dicunt'. De Ennio Homero altero uide interpretes ueteres et nouos ad Horat. l. s. s. Errasse

Hieronymum nulla causa est aut suspicio qua commoti nos statuamus: qui illud Lucilii de Ennio iudicium ueluti ex commentario sumere aliquo potuerit in Horatium. Alterum igitur Homerum et Ennius se ipse dixit lib. I annalium, cum Homeri animam in suum corpus transiisse contenderit (uide schol. ad Hor. l. s. Pers. VI 10), et Lucilius ita uocauit Ennium quanquam uersus eius grauitate minores saepe derisit (uide ad incert. u. 1190), et critici illi quos Horatius spectat l. s. idem protulerunt iudicium. Quod critici illi dixere Ennium alterum Homerum, id ad laudem et gloriam eius pertinet sicuti Lucilius lib. IX u. 343 Iliadem una cum Ennii annalibus posuit poeseos uerae specimen et exemplum iustum. Quod Lucilium *suspicatum esse* tradit Hieronymus fuisse eum alterum Homerum, id magis uidetur ad somnia illa Pythagorea spectasse de quibus potius cum ioco et facetiis egisse illum consentaneum est quam serio et cum laude auctoris.

1190. Seruius ad Aeneidos XI 602 tum late ferreus hastis Horret ager, campique armis sublimibus ardent. 'Horret ager, terribilis est. est autem uersus Ennianus, uituperatus a Lucilio dicente per inrisionem debuisse eum dicere "horret et alget". unde Horatius de Lucilio (serm. I 10, 54) "Non ridet uersus Enni grauitate minores?".' Macrobius Sat. VI 4, 6 'Tum ferreus hastis horret ager. horret mire se habet. sed et Ennius in quartodecimo (393 V) "horrescit telis exercitus asper utrimque" . . . et in Scipione (VIII V) "sparsis hastis longis campus splendet et horret". sed et ante omnes Homerus *ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι'*: *μακρῇσ'* debuit addere sicuti scriptum est *N* 339 quo magis appareat Ennii imitatio. Complures Ennii uersus risisse Lucilium qui indigni fuerint carmine heroico Horatius testatur: credideris uersus tales quales sunt (annal. 609 V) 'saxo cere comminuit brum' (Seru. ad Aen. I 412) non effugisse Lucilii uituperationem. Versus Lucilianus uidetur fuisse '"sparsis hastis longis campus" et horret et alget' i. e. et frigidum est et horridum, ita ut uersus Enniani partem posuerit Lucilius usque ad bucolicam. De hexametri compositione egerat Lucilius eodem Seruio auctore ad Aen. VIII 83: conf incert. u. 1209.

1191. Isidorus orig. XIX 4, 10 'Catapirates (*ita Areualus*: catasiorates *Guelf.* catapioratis *Sangerm.*) linea cum massa plumbea, qua maris altitudo temptatur. Lucilius "hunc (hanc *Sangerm.*) *catapiratem* (*ita Areualus*: cataporatem *Sangerm.* cataportem *Guelf.*) puer (pueri *Sangerm.*) eodem *deferat* (*ita Areualus*: deforet *Guelf. Sangerm. m. 2,* defore *Sangerm. m.* 1) unctum (eum *Sangerm.*) plumbi pauxillum (paucillum *Sangerm.*) *rudus* linique (lineque *Guelf.*) mataxam".' Festus p. 265, 13 M 'Rodus uel raudus significat rem rudem et imperfectam. . . . uulgus quidem

in usu habuit non modo pro aere imperfecto, ut Lucilius, cum ait "plumbi *paxillum* rodus linique *matexam*", sed etiam signato . . .' Scripsisse uidetur Isidorus *catapirates* cuius codex archetypus praebuerit in explanatione *catapiorates,* in u. Lucilii *cataporates*: quae corruptela eiusdem uidetur esse generis atque in Vindobonensi Liuii pro i ponitur iu (Schuchhardtii de uocalismo l. L. uulgaris II p. 218) in uerbo medio, in extremo *io* pro *i* nonnumquam erat in archetypo codd rhetoricae ad Herennium (III 19, 32 med. IV 18, 26. 19, 27): *catapeirates* Muellerus. Vocabulum alibi non inuenitur: quo significatur *βολίς* quam *καταπειρητηρίην* nominat Herod. II 5 *κατεὶς καταπειρητηρίην πηλόν τε ἀνοίσεις* 28 extr. *μὴ δύνασθαι κατιεμένην καταπειρητηρίην ἐς βυσσὸν ἰέναι* (Callim. fragm. 159 *καθιεμένη τε μολυβδίς* ubi uide Schneideri adnotat.): conf Hesych. s. u. *eodem* disyllabon post consonam: uide indic. gramm. s. u. *synizesis* L. Muelleri de re metr. ed II p. 322. 323. *unctum* recte explicat Cruceius quem adfert Gerlachius de adipe uel sebo quo illinunt nautae plumbum, quo magis arena maris plumbo ad fundum demerso adhaerescat. — *mataxam* Isidori codd, recte, qui l. s. 29, 6 'mataxa a circuitu scilicet filorum, nam meta circuitus, uel quod transferatur'; confirmant hanc scripturam linguae Romanenses, glossae (uide Thesaurum gl. em. s. u.) codd Vitruuii VII 3, 2. Itaque *lini mataxa* teste Isidoro glomum lini significat, non filum. Graeci *μέταξα* de blatta serica: *μεταξαβλάττη* legitur in ed. Dioclet. XXIV 1 ubi uide Bluemneri adnot. et eiusdem scholion ad XXIII 1. Vocabulum etiamnunc extare in lingua Hispanorum et Aquitanorum adnotat Dousa: uide Koertingii lexicon s. u. *mataxa* et *metaxa.* Tam accurate cum describatur instrumentum a poeta, uersus non esse sumpti uidentur e narratione tali, quali ipsum illud *βολίζειν* quod faciebant terrae nautae appropinquantes (Act. Apost. XXVII 28) erat expressum. Apparatur potius nauis et instruitur: dominus nauis digito monstrat *hunc* catapiratem iubetque eum deferri in eundem locum a puero quo reliqua instrumenta nautica erant seposita; rem puer ne confundat cum aliis, accurate eam describit uersu sequenti. Libro III attribuerunt Vargesius Corpetus Lachmannus alii.

1193. [Sergius] in Donat. GL IV p. 564, 14 K 'Per praepositiones sic fiunt soloecismi, cum alia pro alia, aut superuacua ponitur, aut necessaria subtrahitur, ut apud Lucilium "Hymnis cantando *quem* adseruisse ait ad se" pro apud se'. Numeri aperte sunt dactylici. Verterat Graecas Graecae meretricis facetias poeta quae dixerat sese Hymnida *ὑμνοῦσαν* induxisse eum in amorem domi suae. *quae me* scripsi, *quemquem* Baehrensius. *adseruisse* simili modo positum in re amatoria ap. Ouid. am. III 11, 3 'scilicet adserui iam me rupique catenas' met. I 462 'nec laudes

adsere nostras' Propert. III 11, 1 'quid mirare meam si uersat femina uitam et trahit addictum sub sua iura uirum'. Meretricum musicas artes extollunt poeta A. Pal. V 130. 137 seqq. A. Plan. IV 277. 278 Alciphr. I 18, 2 *ὁμοῦ γὰρ τῇ ὥρᾳ τῆς παιδίσκης ἡρέθης καὶ τοῖς κρούμασι.* De soloecismi genere uide incert. u. 1216 et indic. gramm. s. u. *plebeius sermo.*

1194. Paulus p. 256, 11 'Querqueram frigidam cum tremore a Graeco *κάρκαρα* certum est dici, unde et carcer. Lucilius "iactans . . . querquera". et alibi "querquera . . . dolores".' Festus p. 257, 33 '. . . "iactans me ut feb ——— r" et alibi "querque ———".' Secundum ordinem librorum si Verrius uersus Lucilii attulerat, posterius fragmentum si aptissime libro V (conf ad incert. u. 1277) tribuemus, prius quo de se ipso loquatur poeta tribuendum uidetur libro III: iactauit hominem *terror* opinor ut febris frigida.

1195. Festus p. 360, 20 et Paulus p. 361, 5 'Tama dicitur cum labore uiae sanguis in crura descendit et tumorem facit. Lucilius "inguen ne existat, papulae, tama, ne boa noxit".' *Tama ἅπαξ εἰρημένον*: interpretationem auctor Verrii petisse uidetur ex uersu Lucilii. Eandem attulit Verrius ad uocem *boa* siue *boua* teste Paulo p. 30, 13 'boua serpens est aquatilis . . . a qua icti obturgescunt. Crurum quoque tumor uiae labore collectus boua appellatur' neque aliter interpretatus erat *flemina* uocabulum teste Paulo p. 89, 8 'flemina dicuntur cum ex labore uiae sanguis defluit circa talos'. De labore uiae cum intellexerint interpretes ueteres hunc uersum, libro III tribuit Loeweus gloss. nom. p. 230. Sed in libro III non pedibus ambulasse, sed cantherio usum esse poetam apertum est: quod si flemina ad ambulandum pedibus, non ad equi uecturam pertinere certum est (Plaut. Epid. 670 'dum te sequor, lassitudine inuaserunt misero in genua flemina' Plin. nat. hist. XXIII 28 'eadem in iumento homineque flemina aut sanguinem qui se ad talos deiecerit circumligata sanat'), propter similitudinem interpretamentorum etiam *tama* et *boa* eodem pertinere manifestum est. Boa papulis rubentibus cruciasse uidetur in itinere ambulantes: Plin. nat. hist. XXVI 120 'inposita etiam boam sanant, id est rubentes papulas' XXIV 53 'boa appellatur morbus papularum, cum rubent corpora' cuius interpretationis indole ac natura facile intellegas Plinio uocabulum non iam fuisse familiare nec notum consuetudine. Qui XXIII 163 quod dicit 'inguen *ne* intumescat ex ulcere satis est surculum tantum myrti habere secum' (XXVIII 218 'inguina et ex ulcerum causa intumescunt'), idem Fronto p. 89 N Lucilii ut adnotat Naberus memor scripsit 'etiam inguen ex ulcere extitit': idem Fronto solus posteriorum scriptorum formam 'noxit' adhibuit p. 51 N 'ne piscis aliquo noxsit' Luciliani uersus eiusdem memor.

Corpori senectute corrupto parcendum esse uidetur scripsisse Lucilius senex qui ueluti libro V fere talia sit profatus: seni in ambulando cauendum, ne inguen existat neue boa noceat. Sollemnis in praeceptis formula 'ne noceat' ut Cat. de agr. cult. 40, 4 'ne gelus noceat' 61, 2 'ne aqua noceat' 92 'ne noceat curculio'. Denique *inguen* hoc loco est *βουβών* quem dicunt Graeci: quod existere dicit poeta sicuti Menander in Agricola scripsit (conf Kaibelius Nachr. d. Ges. d. W. z. Goett. Phil. hist. Cl. 1898 p. 149, 51) *βουβὼν ἐπήρθη*: contra Aristoph. Ran. 1280 Bacchus lassus et fatigatus *ὑπὸ τῶν κόπων γὰρ τὼ νεφρὼ βουβωνιῶ* Lysistr. 987 *βουβωνιᾷς ὑπὸ τῆς ὁδοῦ*; Poll. IV 202 *βουβὼν περὶ βουβῶνας οἴδημα μετὰ φλεγμονῆς.*

1196. Nonius p. 212, 4 ex grammatico 'Limfa, aqua, genere feminino, ut saepe. masculino Lucilius "inpermixtum limporem (ita L m. 1 et I. Dousa, *limforem* L m. 2 G)".' Tragici uersum uidetur spectare poeta qui uerterit ueluti *ἄκρατον νᾶμα* uel *ἄκρατον μέθυ.* De adiectiuo iniuria dubitat Baehrensius qui posuit *intermixtum.* Nam *in* priuatiuum ante uerba simplicia cum ambigua sit significatione, maluit uti composito *permixtus* quam *mixtus* simplici: sicuti eadem de causa Ouidius nouauit *inpercussus inperfossus inperturbatus, inperterritus* Vergilius, *inperfundities* ipse Lucilius lib. XXVI u. 600. Qui iure suo *ἄκρατον* noluit appellare 'inmixtum merum' quod solus fecit Ausonius (p. 328, 12 Peiperi) sed quo magis intellegat lector *inpermixtum.*

1197. Nonius ex grammatico p. 449, 31 'Interfici et occidi et inanimalia ueteres posse uehementi auctoritate posuerunt. . . . Lucilius "*intereunti* labuntur *euntur* omnia uorsum".' *eunt rursum* I. Dousa: Plaut. Amphitr. 1112 'ego cunas recessim rursum uorsum trahere'. Videtur queri Iuppiter libri primi, omnia Romae pessum ire sicuti Lucretius in exitu libri II dicit 'omnia paulatim tabescere et ire ad capulum', apud Petronium 44 rusticus crepat coloniam *retrouersus* crescere tamquam codam uituli. Similiter Vergilius Aen. II 169 'ex illo fluere ac *retro* sublapsa referri spes Danaum'.

1198. Caper GL VII p. 98, 1 K haec tradit: (M cod Montepess., BC codd Bernenses, ς editt ueteres)

M lacteus[n] qui lacte alitur et lactans qui decipit lactens lacte abundans ut lactentes ficus Lucilius lactentia coagula cum melle bibi

ς lacteus qui lacte alitur lactans qui decipit lactans qui lacte abundat ut lactantis ficus Lucilius lactantia coacla cum melle bibi

C lactens est qui lacte alitur lactans qui decipit lacteus lacte habundans uelut lactentes[a] ficos[u] Lucilius dic̄ (*om. m. 1*) lactentia coagula cum melle

B lactens est qui lacte alitur lactans qui decipit lacteus lacte habundans uelut lactenteas ficus Lucilius dicit Lactentia coagula cum melle

Ex hoc ordine apparet duplici nos uti traditione: alteram librarius exhibet M unde editio uetus minus diligenter deducta, alteram C, unde B aperte pendet, qui illius correcturas falsas temere descripserit. Archetypus haec praebuerat

> lactens qui lacte alitur, lactans qui decipit. lactens lacte abundans uelut lactentes ficos Lucilius dicit, lactentia coagula cum melle bibi . . .

Vnde patet editionum illud *lactantia coacla* esse interpolatoris, errare Dousam qui scripserit (incert. 103) 'lactentia Coa clam cum melle bibi'. Egregie enim dicitur *lactentia coagula cum melle bibi* ubi lactentia significet lacte diluta: conf Ouid. fast. IV 545 'Mox epulas ponunt: liquefacta coagula lacte Pomaque et in ceris aurea mella suis' (metam. XIII 830). Vbi liquefacta coagula lacte dicuntur, quia 'in lactis duos congios addunt coagulum magnitudine oleae' (Varr. d. r. r. II 11, 4). Tibull. II 3, 14 'et miscere nouo docuisse coagula lacte lacteus et † mixtus obriguisse liquor'. Lac coactum *cum melle* bibi in epulis uidemus praeterea e colloquio Montepessulano CGL III p. 658, 18 'adferte siquid habetis, colostram cum melle et Gelonianum', tum e Philoxeni *δείπνῳ* frg. 2 u. 36 Bergk. *δμοσύζυγα δὲ ξανθόν τ' ἐπεισῆλθεν μέλι καὶ γάλα σύμπακτον* atque lactaria melle solere condiri ex Alciphr. frg. 6, 10 *εἶτα γαλάκτια ποικίλα, τὰ μὲν μελίπηκτα κτλ.* Itaque rectissime *lactentia coagula cum melle bibi* apud Caprum. Quae tamen uerba in metrum redigi nullo modo possunt neque in dactylicum neque in iambicum, neque Lucilii uerba soluta in pedestrem orationem grammaticum rettulisse probabile est: denique stilus indicat scriptorem posteriorem aetate Luciliana, nam *coagula* uerbum non uideo usurpatum ante Varronem. At uerba '*lactentes ficos*' — unde M *lactentes ficus*, C qui pro *lactens* altero loco posuit *lacteus*, quod scriptum recte erat *lactentes ficos* uoluit corrigere in *lacteas ficus* superscripto a et u, unde B *lactenteas ficus* — ista uerba dico egregie Lucilio tribui: nam quadrant in semiquinariam hexametri et *fici* pro *ficus* forma Luciliana est qua ter utitur. Statuo igitur in cod M uerbum unum auctorem significans excidisse aut plura: in codd CB reuera uerba sub finem mutilata sunt, deest enim *bibi*, quod in archetypo litterae fere perierant.

1199. Donatus ad Terentii Phormionem I 2, 2 'Accipe, em: lectum est, conueniet numerus, quantum debui] Absolute: nam non dicit quid, utrum debitum an argentum lectum. Lucilius "lecti omnes, Atticon hoc est".' Colloquium uidetur fuisse positum in palliata cuius argumentum Lucilius enarrarat: comparat Dousa Plaut. Pseudol. 1149 'accipe: hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae', propius accedit Bacchid. 974 ubi de nummis iocatur seruus 'quadringentos filios habet atque equidem omnis lectos sine probro'. Atticon hoc est, id est *ἀργύριον*,

ἀργύριον Ἀττικόν (Dittenbergeri Syll. ed II 588, 190), ellipsis in re nummaria frequentissima sicuti in *Ἀττικαί* pro drachmis Atticis quod ponitur, mutuum sumere, Philippeus id genus aliis. Em accipe nummos, lecti sunt omnes, hoc est Atticum argentum.

1200. Gellius II 24, 7 'Lex deinde Licinia rogata est, quae cum certis diebus, sicuti Fannia, centenos aeris inpendi permisisset, nuptiis ducenos indulsit ceterisque diebus statuit aeris tricenos: cum et carnis aridae et salsamenti certa pondera in singulos dies constituisset, quidquid esset tamen e terra, uite, arbore, promisce atque indefinite largita est. Huius legis Laeuius poeta meminit . . . Lucilius quoque legis istius meminit in his uerbis "legem uitemus Licini".' Conf Macrob. Saturn. III 17, 7 seqq. et de lege Liciniae tempore ad Lucilii lib. V u. 193 XIII u. 440 incert. u. 1172. 1153 dub. u. 1353. Libro IV adscripsit Muellerus. Loquitur helluo uafer 'uideamus qua ratione legem uitemus Licini'. Quomodo Ciceronis tempore legem sumptuariam euitarint, Cicero narrat epist. VII 26, 2 'Nam dum uolunt isti lauti terra nata, quae lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnis ita condiunt, ut nihil possit esse suauius'. Fragmentum uidetur esse lib. XX: uide ad lib. V u. 193.

1201. Gellius XX 8, 4 'Cum quaereremus quae alia item senescente luna tabescerent, nonne Lucilium, inquit, nostrum meministis dicere "luna alit ostrea *implet et* (et *om Q*) echinos, muribus fibras et *pecu* (ita *ZΠN* peccu *Q* recu *X* (pecu m. 2)) addit".' *et implet* Aldina. Locum emendauit Otto Kellerus Zeitschrift f. d. oesterr. Gymn. XXX 1879 p. 23 seq. memor loci Antig. hist. mirab. CXXIV 136 (Rer. natur. script. Gr. min. I p. 31 O. Kelleri) *καὶ τὰ τῇ σελήνῃ συναυξανόμενά τε καὶ συμφθίνοντά ⟨ἐστι πολλὰ⟩ οἷον τὰ τῶν μυῶν [ητα] ἥπατα· λέγεται γὰρ καὶ συμπληροῦσθαι καὶ συμφθίνειν καὶ συναύξεσθαι τῷ μηνί· διὸ καὶ παρὰ πολλοῖς ἐν παροιμίας εἰρῆσθαι μέρει ἐπὶ τῶν θαυμαστῶν τεράτων· μυῶν ἥπατα·* 137 *καὶ τὰ τῶν θαλαττίων δὲ ἐχίνων ᾠὰ ταὐτὸ πάσχειν.* Adnotat editor p. XXXVI eandem doctrinam inueniri ap. Aelian. de nat. an. II 56 Plin. nat. hist. XI 196 (Herm. XXVI 1891 p. 559) Plutarch. quaest. conu. IV 5, 2 p. 670 B alios. De lunae uiribus Cic. de diuin. II 33 'nam et musculorum iecuscula bruma dicuntur augeri . . . ostreisque et conchyliis omnibus contingere ut cum luna pariter crescant pariterque decrescant' Manil. II 93 'si submersa fretis, concharum et carcere clausa ad lunae motum uariant animalia corpus' Plin. nat. hist. II 221 'ideo cum incremento eius augeri conchylia' Hor. serm. II 4, 30 'lubrica nascentes *implent* conchylia lunae' quem locum attulit Dousa cum Ciceronis l. s. s.: idem Augustin. de ciu. dei V cap. 6 'lunaribus incrementis atque detrimentis augeri et minui quaedam genera rerum, sicut echinos et conchas'.

1203. Porphyrio ad Horatii serm. I 3, 21 'Maenius absentem Nouium cum carperet "Hic fertur domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, diuendita unam columnam inde sibi excepisse, unde gladiatores spectaret; quae ex eo Maeni columna nominabatur. cuius et Lucilius sic meminit [*Maenius*] *columnam cum peteret*".' [Asconius] ad Cic. diuin. in Caecil. 16, 50 p. 120 O 'Maenius, cum domum suam uenderet Catoni et Flacco censoribus (570/184) ut ibi basilica aedificaretur, exceperat ius sibi unius columnae, super quam tectum proiceret ex prouolantibus tabulatis, unde ipsi et posteri eius spectare munus gladiatorum possent quod etiam tum in foro dabatur'. Scholiastarum doctrinam confirmant ex parte annales a Liuio adhibiti XXXIX 44, 7 'Cato atria duo, Maenium et Titium, in lautumiis et quattuor tabernas in publicum emit basilicamque ibi fecit'. Maenii columna erat columna uetusta in honorem C. Maenii cos. 416/338 extructa de qua Plin. nat. hist. XXXIV 20 (O. Richterus topograph. urbis Monach. 1901 p. 99), de tabulatis prouolantibus et tecto superstructo fallitur scholiasta: columna ataui eius domo proxima erat, unde gens Maenii illius ius habebat ludos spectandi forenses: conf Cic. Philipp. IX 7, 16 'circumque eam statuam locum ludis gladiatoribusque liberos posterosque eius quoquo uersus pedes quinque habere'. Historiam quam Lucilius narrauerat de Maenio audierat poeta puer Romae Maenio etiamtunc uiuo: decoctor erat et scurra nobili genere ortus de quo conf Hor. serm. I 3, 21 ep. I 15, 26 seqq. [Maenius] inclusi ut spurium.

1205. Nonius ex grammatico p. 219, 28 'Penus generis feminini. Lucilius "magna penus *per uos* (peruo *G*) spatio consumpta peribit".' Ex eodem Priscianus GL II p. 260, 17 K 'Penus quoque et masculini et feminini et neutri inuenitur teste Donato et Capro. . . . Lucilius "magna . . . peribit".' Idem p. 170, 13 'hic et haec et hoc penus et hoc penum . . . Lucilius "magna . . . peribit".'

1206. Scholiasta Vaticanus ad Vergilii georgicon IV 376 tonsisque ferunt mantelia (uillis): 'huius singulare "mantelum". Plautus in Captiuis (520) "nec . . . ullum mantelum obuiam est". Lucilius autem mantela dicit mappas: "mantela merumque".' Coniunxit hoc fragmentum cum incert. u. 1164 Dousa, cum *mappas* hoc loco aperte sit scholiastae. Fest. p. 133, 31 'frequens enim antiquis ad manus tergendas usus fuit mantelorum'. Asaroton uidetur describere poeta cuius pauimentum tegebant cum alia tum mantela merumque: Horat. carm. II 14, 27 serm. II 8, 12.

1207. Porphyrio ad Horatii serm. I 6, 106 mantica cui lumbos onere ulceret 'Mantica pera est. sed hoc ex Luciliano illo sumptum est, "mantica *canthari* costas grauitate premebat".' *cantheri* Daniel. Scite uetus interpres obseruauit Lucilii imitationem apud Horatium qui habet *lumbos* pro *costas*, *ulceret* pro *premeret*, *onere* pro *grauitate:* quod Lucilius posuerat pro *pondere* sicuti de muliere grauida Ouidius metam. IX 288 'tendebat grauitas uterum mihi' idem X 506 'tendit onus matrem'. Libro III adscripserunt inde a Dousa patre: tardius ibamus quod iter erat durum (uide ad lib. III u. 110 seqq.) et mantica cantherium premebat satis ampla.

1208. Paulus ex Festo p. 132, 10 'Mantisa additamentum dicitur lingua Tusca, quod ponderi adicitur, sed deterius et quod sine ullo usu est. Lucilius "mantisa obsonia uincit".' Comparauit L. Muellerus prouerbium 'la sauce vaut mieux que le poisson' probante Plasbergio Mus. Rhen. LIV 1899 p. 639 qui de mantisa uocabulo egit pluribus. Comparari potest Graecorum quae inde a Demosthene (Olynth. II 14 III 31) inuenitur locutio *ἐν προσθήκης μέρει* qua de docte et copiose egit Wyttenbachius ad Plut. Mor. p. 21 D: prouerbium *αἱ λαχάνων προσθῆκαι* enarrat Diogen. II 52 *ἐπὶ τῶν μηδὲν ὠφελούντων, ὅμοιον τὸ Δαιδάλου πτερά* quo de prouerbio ibidem agitur IV 25 *ἐπὶ τῶν δι' ἀπορίαν χρωμένων προσθήκῃ παρελκούσῃ.* Alexis CAF II p. 397, 271 K *τρεῖς δ' (ἡδοναὶ) εἰσὶν αἵδε τὴν δύναμιν κεκτημέναι . . . τὸ πιεῖν τὸ φαγεῖν τὸ τῆς Ἀφροδίτης τυγχάνειν· τὰ δ' ἄλλα προσθήκας ἅπαντα χρὴ καλεῖν.* (Antiphan. CAF II p. 100 K Paul. ex Fest. p. 14, 17 'auctarium dicebant antiqui, quod super mensuram uel pondus iustum adiciebatur ut cumulus uocatur in modio'). Dixit Lucilius aut edentibus aut ementibus obsonia res uiles datas fuisse pro additamentis: eas res siue ad apparatum coqui pertinent siue ad ueram quandam olitoris improbi *προσθήκην* superasse pretio obsonia ipsa. Vide ad incert. u. 1200. Prouerbium ap. Arnob. adu. nat. V 44 'addidistis, ut dicitur, garo gerem' comparauit Otto de prouerbiis p. R. p. 153.

1209. Lucilii nomen si recte est traditum, de structura heroi poeta pluribus egerat, eo ni fallor loco ubi Ennii uersus frigidos castigauerat: uide ad incert. u. 1190. Quintil. VIII 3, 20 'at Vergilii miramur illud "saepe exiguus mus". nam epitheton . . . proprium effecit ne plus expectaremus, et casus singularis magis decuit, et clausula ipsa unius syllabae non usitata addidit gratiam'. Libro IX temere tribuitur.

1210. [Acro] ad Horatii serm. II 4, 32 'Murex autem genus est piscis. Lucilius "murexque marinus".' Murex est concha similis purpurae qua de egimus ad lib. III u. 132. Latine etiam *bucinum* uocatur, Graece *κῆρυξ* (Plin. nat. hist. IX 130) neque tamen distinxisse diximus Latinos uulgo inter purpuram et muricem l. s. s. De muricibus Martial. XIII 87 'Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas induis, et non est hoc satis, esca sumus'. Murex marinus quod scripsit Lucilius, epitheton ideo addi uoluit

quod murex uocabulum etiam alias habuit significationes (Cato ap. Plin. nat. hist. XIX 24 Verg. Aen. V 205) sicuti Graeci addunt *θαλάττιος* in similibus nominibus (Athen. III p. 91 C). Notandum tamen purpuras *pelagias* appellari auctore Plinio l. s. IX 131 unde Diphili facetias interpreteris oportet qui ap. Plaut. Rud. 298 inter conchylia enumerat 'pelagusias (*plagusias* codd) striatas', nomen formatum ut '*Ἁλιμούσιος Μυρρινούσιος* similia demotica qualia demotica piscibus addit facete propola in Timone Antiphanis CAF II p. 100 K.

1211. Donatus ad Terentii Hecyran III 4, 26 'Imperite Terentium Myconium crispum dixisse aiunt, cum Apollodorus caluum dixerit; quod proprium Myconiis est, ut Lucilius "Myconi ... iuuentus"; unde etiam prouerbium Graecum ...".' Adfert Dousa Plin. nat. hist. XI 130 'quippe Myconii carentes eo (capillo) gignuntur' Strabo X p. 487 *καὶ τοὺς φαλακροὺς δέ τινες Μυκονίους καλοῦσι* (Stephan. Byz. s. u. *Μύκονος*).

1212. Porphyrio ad Hor. serm. I 1, 101. 102 '"quid mi igitur suades ut uiuam Naeuius aut sic ut Nomentanus?" Naeuius autem fuit in tantum parcus, ut sordidus merito haberetur Lucilio au*ctore,* contra Cassius Nomentanus' e. q. s. *Lucilio auctore* scripsi, *Lucilius aut* codd, *ut Lucilius ait* Petschenigius; nata esse uidetur loci corruptela e compendiis luč auct. (uide ad lib. I u. 1 et GL IV p. 288 b 19 K): conf Porph. ad carm. I 2, 17 'Ilia auctore Ennio in amnem' e. q. s. Eundem Naeuium describit Horatius serm. II 2, 68 'nec sic ut simplex Naeuius unctam conuiuis praebebit aquam'.

1213. Nonius ex grammatico p. 214, 6 'Mendum neutro ... feminini ... Lucilius "nam in quibus mendae omnibus in rebus fiunt fierique potissunt".' *inquimus* Lachmannus. At *in quibus omnibus* secerni potest ab *in rebus* quod apte positum hoc loco statuas comparato lib. I u. 9 'quantum est in rebus inane': Lucret. V 1240. Nam in quibus omnibus in uita mendae et fiunt et fieri possunt, in eis plerumque emendatio quaedam poterit adhiberi: 'inemendabilis est' uero 'error qui uiolentiae Martis committitur' secundum Scipionis Aemiliani sententiam ap. Val. Max. VII 2, 2.

1215. Charisius GL I p. 111, 16 K 'Intro est in locum, intus in loco dicimus; ut etiam apud Graecos *ἔσω, εἴσω καὶ ἔνδον*. ideoque Lucilius ait "nam uelut[1] intro aliud longe esse atque intus uidemus, *sic* apud *se* longe *aliud esse* neq. *eadem* ualet ad *te.* intro nos *uocas at* sese tenet int".' Agitur de soloecismo qualem saepe commisit Lucilius, ueluti lib. XXX u. 994 incert. u. 960. 1193: similiter Lucilii aetate anno 632/122 in lege repetundarum CIL I 198, 13 scribitur 'in urbem Romam' (conf 17). Eundem soloecismum castigant Quintil. I 5, 50 'intro et intus loci aduerbia: "eo" tamen "intus" et "intro sum" soloecismi

sunt' (Probus GL IV p. 155, 19 K Cledonius GL V p. 21, 19 K) Mar. Plot. Sacerd. GL VI p. 450, 16 K 'per aduerbia, ac si dicas "ite intus" pro intro, uel "estote intro" pro intus: per praepositiones ac si dicas "apud illum uado"': conf Capri qui dicitur antibarbarum GL VII p. 92, 5. 110, 7 K. Similiter Ammonius *ἔνδον καὶ ἔσω διαφέρει· ἔνδον μὲν γὰρ τὸ ἐν τόπῳ σημαίνει, ἔσω δὲ τὸ εἰς τόπον κτλ.* (p. 50 Valckenaer.). Graecos saepenumero aduersus hanc regulam commisisse adnotant editores: conf Phrynichus p. 127 Lobeckii 206 Rutherfordii, item Latinos fecisse indicant lexica: 'iam ducitur intus' Ouid. met. X 457. Adnotat de Lucilii uersibus Dousa ad IX 12: 'Et hos absolutissimos et elegantissimos uersus, ut multas alias huius Poetae reliquias, debemus ueteris codicis Charisii benignitati. quos tamen Pater pro iudicio suo refinxit ... ad hunc autem librum pertinuisse, res ipsa indicio est nobis'. Libro IX multi post Dousam fragmentum tribuerunt, iniuria, nam de orthographia nihil in his uersibus agitur, sed de soloecismo (uide ad incert. u. 1100). Etiam in scriptura omnes Dousam secuti sunt qui exhibet (IX 12): 'Nam uelut intro aliud longe esse atque intu' uidemus, sic *et* "apud te" longe *alid est* neque *idem* ualet "ad te": intro nos uocat ad sese, tenet intus *apud se*'. Tamen quid in codice Coloniensi fuerit, l. s. s. minime indicat Dousa: indicat patrem uersus suo iudicio refinxisse. Itaque rectius erit niti testimonio unius Neapolitani in uersibus corruptis. V. 1216 *item* addidit Lachmannus, *et* Dousa. Idem Dousa *apud te longe alid est,* sua coniectura in *alid* forma usus ut uidetur. Neapolitanus: *apud se longe aliud esse.* Ego *apud te* cum Dousa, praeterea *aliud longe est* scripsi, sicuti collocauit uersu priore uerba et lib. XVI u. 531. *neque idem ualet ad se* Lachmannus alii, eodem modo fere Dousa scripserat nisi quod rectius *ad te* posuit: nam etiam Neapolitanus *neq. eadem ualet ad te* cum praebeat, Coloniensem eandem scripturam habuisse atque Neapolitanum conicias. In uersu 1217 secutus sum codicem *N*: quod Dousa habet 'intro nos uocat ad sese, tenet intus apud se' patrem eius scripturae habuisse uidetur auctorem, non codicem Coloniensem. *uocas* pyrrhichium, licet Persius V 134 ita posuerit *rogas,* non seruabimus: reliqua recte in Neapolitano leguntur: 'intro nos uocat, at sese tenet intus', nam *int'* fuit in archetypo. De *ad* et *apud* agi potuit in eis quae sequebantur apud Lucilium: quae exscribere minime debebat Charisius, cum de solis intro et intus aduerbiis sibi esset agendum. Vix credideris Lucilium postea libris I—XXI haec ita docuisse qui libro XXX u. 994 contra hanc regulam ipse peccarit sermone usus uulgari et castrensi: immo uidetur poeta induxisse magistellum quendam loquentem. Sallustius histor. I 119 Maurenbr. scripsit 'ille Conisturgim apud legiones uenit' quem locum

laborat explicare et excusare Asper ap. Pompeium GL V p. 273, 10 K.

1218. Nonius p. 72, 11 ‘Algu pro algore. . . . Lucilius “*nan tam* (*ita LG m. 2:* natam *G m. 1:* nam tam *impressi*) algu atque nigrore *maius*”.’ Describitur et gelida nox et nigra. Pro *nantam* quod habuit archetypus, *nautam* Iunius, *non tam* codex Harleianus Nonii m. 1.

1219. Festus p. 376, 22 ‘Vindiciae appellantur res eae de quibus controuersia est . . . Lucilius “nemo hic uindicias neque sacra * (*hiatus signum posuit Politiani apographon*) ueretur”. de quo uerbo Cincius sic ait: “Vindiciae olim dicebantur illae quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant”.’ Conf Gell. XX 10, 7 ‘Nam de qua re disceptatur in iure praesenti, siue ager siue quid aliud est, cum aduersario simul manu prehendere et in⟨*de*⟩ ea⟨*m*⟩ (in ea *codd*) re⟨*m soll*⟩emnibus (re omnibus *codd*) uerbis uindicare, id est uindicia’. Agebatur in eiusmodi litibus sacramento i. e. *πρυτανείῳ* (Gai. IV 16): quare apud Cic. Mil. 74 Arnob. adu. nat. IV 16 p. 155, 5 R uindiciae et sacramenta una appellantur. Magistratus uindicias dicebat secundum alterum litigantium (Gai. l. s.), abdicebat ab altero litis uindicias (Dig. I 2, 2, 24), id est ‘interim aliquem possessorem constituebat eumque iubebat praedes aduersario dare litis et uindiciarum’ (Gai. l. s. Fragm. Vatican. § 336 [Ascon.] in Cic. Verr. act. II lib. I 115 p. 191 Or.), iudex dat uindicias: conf Arnob. l. s. ‘quo iudice controuersias tollemus tantas? quis quaesitor, quis arbiter ceruicibus tantis erit, qui inter personas huiusmodi aut uindicias iustas dare aut sacramenta conetur pronuntiare non iusta?’ Cic. Mil. 74 ‘eum . . . cui iam nulla lex erat, nullum ciuile ius, nulli possessionum termini, qui non calumnia litium, non iniustis uindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat’. Vnde Huschkeus scripsit neque *sacramenta ueretur: neque sacra neque numen ueretur* uulgo legebatur in Festi editionibus, apographon tamen Politiani istud *neque numen* omittit et signa exhibet hiatus. Tamen uersus exitus *sacra ueretur* cum in *sacra* breuem producit, Lucilii consuetudinem sequitur qua de agitur in indice gramm. s. u. *productio.* Conqueri uidetur poeta de libidine p. R. qua alienos fundos illo tempore occupabant: sicuti Ennius cum scribit ‘non ex iure manum consertum, sed magis ferro rem repetunt — uadunt solida ui’ (Gell. l. s. 4. 10) omnes ui agere, neminem neque uindicias id est iura possessorum neque sacra i. e. deos penates timere (Hor. carm. II 18, 26), quia iudex corruptus uindicias daturus sit iniustas. Conf Petron. 44 ‘nemo enim caelum putat, nemo ieiunium seruat, nemo Iouem pili facit, sed omnes opertis oculis bona sua computant. antea stolatae ibant

nudis pedibus in cliuum’ e. q. s. Baehrensius libro I uersum tribuit.

1220. Festus p. 165, 11 et Paulus p. 164, 2 ‘“Nequam aurum est auris quod uis uehementius ambit (ambiat *Festi apogr. duo*)”. Hoc uersu Lucili significari ait Sinnius Capito nequam esse aurum, quod auris laedat, uel pondere inaurium, cum mollissima pars auris inciditur: uel ex auro intellegi pecuniam, cuius respectu et nimia cupiditate homines ad peccandum adduci’. De scriptura uersus ne dubites Pauli et Festi libris uel in *auris* accusatiui forma consentientibus, de interpretatione iam Verrii temporibus non constabat. Duas proposuit Festus interpretationes: aut laedi aures ab auro pondere inaurium esse intellegendum aut aures hominum auri pollicitationibus resistere non posse. Priorem interpretationem ineptam esse patet: posteriorem igitur agnoscere debemus in u. Lucilii. Qui dixit: nequam aurum est; nam quoduis aurum, siue factum siue numeratum, siue inaures quibus corrumpitur mulierum castitas, siue aurei quos accipiunt mali iudices, nimis uehementer omnia ista oppugnant ambitu hominum aures. Agitur de homine, qui non monstrat oculis, sed pollicetur auribus eius quem ambitu improbo corrupturus est aurum suum: unde aurium uocabulum quod posuit poeta recte explices. *quoiuis* Lachmannus, *quouis* Baehrensius, *quod ui* Dousa: *nequam est, aurum auris quoius uehementius ambit* Scaliger. Pertinet ad incert. u. 1119 seq.

1221. Varro de lingua Latina libro VII 32 ‘Dicta enim apud ueteres “una canes”. itaque Ennius scribit . . ., Lucilius “nequam et magnus homo, laniorum *immanes* canes ut”.’ *ut* cum anastropha posuit exemplo Homeri quem comparauit Dousa (*Λ* 72 *λύκοι ὥς* 172 *βόες ὥς Γ* 2 *ὄρνιθες ὥς*) in bestiae comparatione, Vergilii locum comparauit Muellerus Aen. II 355 ‘inde lupi ceu raptores’ quo loco tamen transpositio minus sentitur addito epitheto neque huc pertinet quem u. Dousa comparauit lib. VII u. 284 ‘delphinus ut olim’ neque lib. XIII u. 445 ‘pauper uti’. *laniorum* canes commemorat Varro rer. rust. II 9, 5 ‘uidendum ne a uenatoribus aut laniis canes emas’. Hominis effigies notatur ut lib. VI u. 242 ‘si nosti, non magnus homo est’. Cic. in Verr. III 84 ‘ad minores ciuitates habebat alios, quos tamquam canes immitteret, nequam homines et improbos’. Aristot. rhet. III 4 p. 1406 b 28 seqq.

1222. Paulus p. 175, 2 ‘Nocti*p*ugam (noctinugam, noctiiugam, noctilugam *codd*) Lucilius cum dixit, obscenum significat’. Festus p. 174, 8 ‘——— l. II. obscae ——— medica’. Emendauit uocem Salmasius e glossariis ueluti CGL V p. 87, 5 ‘noctipugam obscenum quod quasi noctibus conpungatur’. Loeweus prodrom. p. 311 apte comparauit glossam (incert. u. 968) CGL V p. 58, 39

‘cordipugis uersibus, litteris corda pungenti⟨bu⟩s’, i. e. *ἔπεσι θυμαλγέσιν* quae uerba Lucilii esse arbitratur Baehrensius FPR p. 266. Non est quod recedas a glossarii aut scriptura aut interpretatione qua mulieris sine dubio pudenda intelleguntur. Congruit cum hoc sensu quod ap. Festum seruatum est uocabulum *medica* quod aperte Luciliani est fragmenti a Festo plenius allati. Medica enim est obstetrix uel feminarum curatrix: conf Marquardtius de uita priuata p. R. antiquitatum enchiridii uol. VII (edit. 1886) p. 156, 9. 779. Scripsit Lucilius hoc fere modo ‘temptat noctipugam medica improba’. Nihil huc pertinet *solipuga* nomen, aptius compares *lucifugus noctiuagus noctiluca* et Graeca uocabula *νυκτιπόλος* similia, *νυκτιπήδηκες* de calceamentis muliebribus Herond. VII 59. Notam libri II ap. Festum sine dubio corruptam esse recte statuit Lachmannus, cum numeros librorum Festus nullo loco apposuerit.

1223. Eundem Lucilii locum spectat Cic. epist. VII 24, 1 (conf ad Att. XIII 49, 2) ‘Cipius, opinor, olim “non omnibus dormio”: sic ego non omnibus, mi Galle, seruio’ ubi *citius* cod M exhibet, correxerunt Antonius Augustinus alii e Festo et nummis aetatis Sullanae quibus M. Cipi M. f. nomen est inscriptum (Babelo monnaies d. l. rép. I p. 341). Comparat P. Manutius ad Cic. l. s. s. Plut. amat. 16 p. 759 F *πολλοὶ γὰρ ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν . . . γαμετὰς προαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος . . . Γάββας* (*κάββας* codd) *εἱστία Μαικήναν . . . εἶθ’ ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλὴν ὡς δὴ καθεύδων· ἐν τούτῳ δὴ τῶν οἰκετῶν τινος προσρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου διαβλέψας ‘κακόδαιμον’ εἶπεν ‘οὐκ οἶσθ’ ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω’*; Temporis Augustei poetae similia narrant ueluti Ouid. art. am. II 545 ‘hoc in legitima praestant uxore mariti cum tener ad partes tu quoque, Somne uenis’ Parmenio AP XI 4 *αὐτῷ τις γήμας πιθανὴν τῷ γείτονι ῥέγχει καὶ τρέφεται· τοῦτ’ ἦν εὔκολος ἐργασία μὴ πλεῖν μὴ σκάπτειν ἀλλ’ εὐστομάχως ἀπορέγχειν ἀλλοτρίᾳ δαπάνῃ πλούσια βοσκόμενον* (Iuuen. I 57). Similia denique CGL V p. 375, 1 ‘Ninnarus: cuius uxor moechatur, scit et tacet’ Apul. de mag. cap. 75. Cipiorum gens praeter turpem Lucilii iocum inprimis innotuit uasis aeneis quae P. Cipi Polybi nomen prae se ferunt inuentis et Pompeis et in ultima Germania. Vnde Campanam esse Cipiorum gentem inscriptionum testimoniis usus statuit H. Willersius Die roem. Bronceeimer von Hemmor Hann. et Lips. 1901 p. 213 probante de Duhnio Berl. Phil. Wochenschr. XXI 1901 p. 1363: Capuae multos fuisse Cipios item euincunt tituli. Lucilianum illum Cipium item Capuae aut Neapoli uixisse inde intellegitur quod Graeco nomine erat uulgo insignitus pararenchon, quae res Graecam urbem indicat: sicuti

Neapoli postea parthenias audiebat Vergilius. Libro V tribuendum esse istam de Cipio fabulam suspicati sumus ad lib. V u. 207. Quae fabula utrum plane similis fuerit illius quam Plutarchus narrat l. s. s. an moechum potius siue pauperem siue nimis contemptum illis uerbis increpuerit Cipius, expedire nequeo. Collocata erant uerba ‘non omnibus dormio ⟨ad unum⟩’ in altera parte hexametri post caesuram: eadem nempe uersus sede admisit uocabuli cretici elisionem lib. III u. 113 ‘asperi Athones’ XXX u. 1066 ‘inprobae ineptae’.

1224. Iulius Rufinianus de schematis dianoeas 12 RL p. 62, 16 H ‘Antiphrasis est figura sententiae, cum quaedam negamus nos dicere et tamen dicimus; ut apud Lucilium “non tango quod auarus *modo est neque quod* improbus *omitto*”.’ Libro II attribuit Lachmannus quem aptius tribuas I. Beckerum secutus (Philol. V 1850 p. 734) orationi dei alicuius libro I positae. Ridiculum in modum illa figura utitur orator: etiam uerborum delectus ueluti *non tango* cum sequatur *mitto, auarus,* cum sequatur languidum illud *improbus* indicat poetam ridere sui temporis oratores.

1225. Porphyrio ad Horatii sermonum I 3, 124 ‘Porro autem Stoici existimant perfectae sapientiae uirum omnia habere. in quo sensu et Lucilius uersatus sic ait, “nondum etiam *haec* omnia habebit, formonsus, diues, liber, rex solus *testetur*” *que* tamen poeta non simpliciter hoc sed per derisum Stoicorum dicit’. *solus uocetur* editt uett, *feretur* Muellerus, *tenetur* Baehrensius: ‘“*ut extet*”. *Qui tamen poeta*’ e. q. s. ego scripsi, *Vterque poeta* Meyerus. Priore uersu cum Porphyrio dicat ‘perfectae sapientiae uirum *omnia habere*’ utique supplendum est sapiens: *hic* inserui ante *haec* facile quod exciderit. *nondum etiam* non recte mutarunt nonnulli: *etiam* additum ex abundantiae amore linguae Latinae proprio sicuti Apul. de mag. cap. 33 ‘nam quidem leporem nondum etiam inuenit’. Altero uersu paradoxon Stoicorum agnoscimus comparato Plut. de adul. et am. cap. 16 p. 58 E *εἶτα τῶν μὲν Στωικῶν οὐδὲ ἀκούειν ἔνιοι ὑπομένουσι τὸν σοφὸν ὁμοῦ πλούσιον, καλόν, εὐγενῆ, βασιλέα προσαγορευόντων*: unde ordinem in epithetis fere seruasse antiquitus traditum poetam intellegitur. Cic. pro Mur. 61 ‘solos sapientes esse . . . formosos, . . . diuites, . . . reges’ conf de fin. III 75 IV 74 Parad. V. VI Hor. l. s. s. epist. I 1, 106 Varro sat. Menipp. 245 B Plutarch. de tranq. an. cap. 12 p. 472 A Stob. eclog. II p. 67, 13 Wachsm. Diog. Laert. VII 121 seqq. Videtur fragmentum pertinere ad lib. XV u. 516.

1227. Festus p. 161, 8 ‘Me pro mihi dicebant antiqui, ut Ennius . . . et Lucilius “nunc . . . agatur”.’ Hemistichium prius imitatum esse Horatium serm. I 6, 45 ‘nunc ad me redeo libertino patre natum’ adnotat Dousa: idem comparauit Terent.

Phorm. 180 'tanta te inpendent mala' ad cuius uersus exemplum constituit Plaut. Epid. 83 hoc modo 'tantae [in] te impendent ruinae'. Eodem modo Iulius Valerius res gest. Alex. II 4 'etsi uideo, Athenienses uiri, quantum nos impendeat ex praesenti' III 53 'impendebat autem etiam sellam istam uertigo quaedam ad modum mundi figurata'.

1228. Lactantius instit. V 9, 20 'Sed et Lucilius tenebrosam istam uitam circumscripte breuiterque depinxit his uersibus "nunc ... totus item (*toto itidem* Ianus Dousa) ... omnes".' Inprimis Varro Menippeus ad h. l. conferendus uidetur Gerontodidascalo Manio Sexagesi Taphe Menippu alibi: conf 496 B 'nunc quis patrem decem annorum natus non modo aufert sed tollit — nisi ueneno'? (Suet. Ner. 39 FPR p. 369, 1). Versibus Lucilii compares tales fere uersus quales exhibet Varro l. s. 181 'ergo tum sacra religio castaeque fuerunt res omnes' 488 'ergo tum Romae parce pureque pudentis uixere, en patriam, nunc sumus in rutuba' 501 'tunc nuptiae uidebant ostream Lucrinam'. De fori turpitudine queritur idem Varro sicuti hoc loco Lucilius 497 B 'ubi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus' 435 B in tenebris ac suili uiuunt, nisi non forum hara atque homines, qui nunc, plerique sues sunt existimandi'. Anacharsis simile dictum de foro tradit Diog. Laert. I 105 *τὴν ἀγορὰν ὡρισμένον ἔφη τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν καὶ πλεονεκτεῖν.* Quod forum ut monuit Varro Menippeus 456 B 'recte purgatum scito, quom uidebis Romae in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere'. Sicuti ex Varronis locis s. s. apparet, et iudicia in foro corrumpi auro et argento querebantur (498 B 'quod leges iubent, non faciunt, *δὸς καὶ λαβὲ* feruit omnino' 499 'auidus iudex reum ducebat esse *κοινὸν Ἑρμῆν*'). I. Beckerus Philol. V 1850 p. 728 libro I hos uersus adtribuere non dubitauit. Quid fere antecesserit, diuinare licet e particula '*nunc uero*': conf Cic. de inuent. I 6, 8 'quodsi magnam in eis Hermagora habuisset facultatem, ... uideretur ... falsum quiddam constituisse: *nunc uero* ea uis est in homine, ut' e. q. s. Tusc. III 1, 2 'quodsi talis nos natura genuisset ... haud erat sane, quod quisquam ... doctrinam requireret. *Nunc* paruulos nobis dedit igniculos' e. q. s. IV 24, 54 'Remoue perturbationes maximeque iracundiam: iam uidebuntur monstra dicere. *Nunc autem* ita disserunt sic se dicere omnis stultos insanire, ut male olere omne caenum'. Scripserat igitur Lucilius: 'quodsi strenua illa uterentur et prisca uitae consuetudine, boni esse possent milites et fortes'; nunc uero a mani ad noctem uni se tradunt foro. Quare inertes sunt et imbelles. — 1228. *a mani*] quod unus codex V seruauit recte recepit Baehrensius: conf editt ad Plaut. Mostell. 767. 534 'A mani ad noctem usque in foro dego diem'. — festo atque profesto] *die* ex sequenti

uersu adducendum est ita ut satis audacter diiunctum sit uerbis *totus* e. q. s.; eadem audacia *totus* a *populus* diiunctum est quo pertinet ut *omnes* ad *patres*: uide indic. gramm. s. u. *collocatio uerborum* et lib. XXIX u. 825. — 1229. item pariterque]: uide indic. gramm. s. u. *hendiadyoin*. — *populusque patresque*] uersus exitum ex Ennio uidetur sumpsisse quia Vergilius Aen. IX 192 'Aenean acciri omnes, populusque patresque' (= IV 682) Ouid. met. XV 486 'Extinctum Latiaeque nurus populusque patresque Defleuere Numam' eodem sunt usi (Friedlaenderus ad Martial. VII 5, 1). — 1230. *decedere nusquam*] Ter. Adelph. 246 'nusquam abeo': conf lib. XXVIII u. 744. Nusquam, inquit, decedunt ad negotium aut laborem fructuosum et probum. Nam sunt subrostrani et subbasilicani omnes, quos Graeci *ἀγοραίους* (Aristoph. Equ. 181. 218) appellant. *cedere foro* aliter positum apud Iuuen. XI 50 ubi uide Friedlaenderi adnotat.: similiter Q. Cicero de pet. cons. 43 'Prodest quidem uehementer nusquam discedere, sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romae atque in foro, sed assidue petere, saepe eosdem appellare' e. q. s. De infinitiui usu uide interpp. ad Vergil. georg. I 199 (Wagneri quaest. Virgil. XXX 4) Liu. VII 32, 2 indic. gramm. s. u. *infinitiuus*.

1233. 'bonum' simulare 'uirum' se] ita scripsit poeta, non quod postulat grammatica 'bonos simulare uiros se' ideo quod *bonus uir* in sermonis forensis et uulgaris consuetudine locutio erat sollemnis. Seneca epist. 3, 1 'quomodo omnes candidatos "bonos uiros" dicimus' (quod confirmant Pompeianorum inscriptiones Ouerbeckius de Pompeis ed IV p. 471) 73, 12 'solebat Sextius dicere Iouem plus non posse quam bonum uirum'. Ita etiam Lucilius scribit incert. u. 928 'in bonis porro est uiris' lib. I u. 30 'sapiens uir'; solent ueteres poetae in nominatiuo et uocatiuo ordinare 'bonus uir' 'bone uir' (Plaut. Capt. 954 [Bacch. 775] Pseud. 1145 Pers. 788 Cas. 725 [Mil. 364] Curc. 610 Terent. Andr. 846. 616 Adelph. 556. 476 Eun. 660; conf Cic. pro Caec. 25, 71. 27, 78. Pompeiani (conf CIL IV 2430) aliter atque Seneca collocant VB cuius locutionis auctor extitit Cato de agr. cult. praef. 2 fragm. p. 78, 13. 80, 1 Iord., secuti sunt multi (Varro loghist. p. 250, 24 Riesei Hor. epist. I 16, 40 Senec. epist. 102, 9 alii). — 1234. ut si hostes sint] uide lib. IX u. 330. — omnibus omnes] iterationem uerbi omnis exercuit Graecos secutus (Dielesius Parmenid. p. 60); idem uersus exitus Lucret. IV 708: 'non omnia possumus omnes' lib. V u. 218. Sententia sumpta uidetur e Plat. legg. I cap. 3 p. 626 D *ὀρθῶς ἐρρήθη τὸ πολεμίους εἶναι πάντας πᾶσι δημοσίᾳ τε καὶ ἰδίᾳ ἑκάστους αὐτοὺς σφίσιν αὐτοῖς* cap. 2 p. 626 A *πάσαις πρὸς πάσας τὰς πόλεις ἀεὶ πόλεμον ἀκήρυκτον κατὰ φύσιν εἶναι.* (Buechmanni Gefl. Worte ed. 1889 p. 266.)

1235—1240. Cicero de fin. bon. et mal. II 8, 24. 25 'Nec

ille, qui Diogenem Stoicum adulescens, post autem Panaetium audierat, Laelius, eo dictus est sapiens quod non intellegeret quid suauissimum esset (nec enim sequitur ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus), sed quia parui id duceret. "o lapathe ... necessatis cognitu qui sis ... gumias (sic Palatinus primus, *guimas* Vaticanus et Erlangensis) ex ordine nostros". praeclare Laelius, et recte sophos. illudque uere "o Publi ... *acupensere* (*accubans aere* Palatinus primus et Vaticanus, *accubant aere* Erlangensis) cum decimano". is haec loquitur qui, in uoluptate nihil ponens, negat eum bene cenare qui omnia ponat in uoluptate: et tamen ⟨*non*⟩ negat libenter umquam cenasse Gallonium (mentiretur enim), sed bene. ita grauiter et seuere uoluptatem secernit a bono. ex quo illud efficitur, qui bene cenent, omnes libenter cenare, qui libenter, non continuo bene. semper Laelius bene. quid bene? dicet Lucilius (incert. u. 1122): "cocto, condito". sed cedo caput cenae: "sermone bono". quid ex eo? "si quaeris, libenter": ueniebat enim ad cenam ut animo quieto satiaret desideria naturae ... nec lapathi suauitatem acupenseri Gallonii Laelius anteponebat ...' [Acro] ad Horatii sermonum II 2, 47 '"haud ita pridem Galloni praeconis erat acipensere mensa Infamis". *Gallonus* quidam fuit praeco, qui habebat apparatum conuiuium, quem Lucilius etiam pulsat. hic etiam *accipienserem* piscem suis conuiuiis exhibebat'. Cicero epist. ad Atticum XIII 52, 1 'Itaque et edit et bibit *ἀδεῶς* et iucunde, opipare sane et apparate, nec id solum, sed "bene cocto et condito, sermone bono, et, si quaeris, libenter"' (incert. u. 1122). — Inde a Dousa libro IV adscribunt, ego propter herbae panegyricum paene ridiculum libro V libentius attribuerim: conf ad lib. V u. 193 Loquitur Stoicorum illorum quales erant Q. Tubero P. Rutilius Q. Mucius Scaeuola (Athen. VI p. 274 c) aliquis similis: Mucium Laelii generum in honorem soceri haec dixisse apte suspicetur aliquis quem reuera loquentem libro V induci credas u. 203: conf Cic. Lael. 1 'Q. Mucius Augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat nec dubitare illum in omni sermone appellare Sapientem'. Mortuo Laelio i. e. post annum 625/129 (uide interpretes ad Cic. Lael. 104) haec scripta esse et pertinere ea ad libros I—XXI facile apparet. — 1235. *o lapathe*] quem commendant Varro Menippeus in satura (318 B) similis argumenti, allatus a Maduigio, his uerbis 'hanc eandem uoluptatem tacitulus taxim consequi lapathio et ptisana possim', item Horatius epod. II 57 'aut herba lapathi prata amantis et graui maluae salubres corpori'. — *ut iactare*, i. e. ut contemneris et abiectus iaces: Cic. ad Att. XI 16, 3 'si recipior ab his, quod uides non fieri, tamen quoad bellum erit, quid agam, aut ubi sim, non reperio: sin iactor, eo minus'. Plaut.

Rud. 373 'quamuis fastidiosus aedilis est: si quae improbae sunt merces, iactat omnis'. Lurco ille ap. Pomponium 169 R 'lapatium nullum utebatur, lardum lurcabat lubens'. — *cognitu* codd, similiter in Nonii codd *psolo* lib. VIII u. 304, in Festi cod *suggeri* Lucil. incert. u. 1297, idem *sulti* Enn. annal. 532 V (Lachm. ad Lucret. I 186): uide indic. gramm. s. u. *s* littera; *minu* traditur Plaut. Truc. 578. — '*nec es satis cognitu qui sis*', similiter Hesiodus de herbis operum u. 40 *νήπιοι, οὐδὲ ἴσασιν ... οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ*. — 1236. *sophos ille:* neque tamen uidetur reuera hoc cognomine Laelius fuisse praeditus quo ornatus erat uetus ille P. Sempronius cos 450/304 sed Graecum uocabulum iam Lucilii aetate tritum fuisse in sermone uulgari: quo utuntur non solum Phaedrus IV 18, 8 (p. 75 Hau.) 'gubernator sophos' Martial. VII 32, 4 'te sophos omnis amat', denique saepissime Ausonius cuius locos Peiperus collegit s. u. *sophos* in indice, sed etiam auctor carminis ap. Buechelerum CLE 434 (I p. 203, 5) 'dogmata Pythagorae sensi studiumque sophorum'. Lucilius uocabulo Graeco philosophiae Graecae studiosum, inprimis Stoicum indicat Laelium, qui sicuti Cicero l. s. tradit ideo Sapiens est dictus, quia uoluptates parui duceret Diogenis et Panaetii auditor: aliter historici de Laelii cognomine ueluti Plut. Ti. Gracch. cap. 8, 3. — 1237. De *gumia* uocabulo uide ad lib. XXX u. 1066. — 1238. *o gurges Galloni:* tamquam cognomen *gurges* additur Gallonio quod proprium erat Q. Fabio cos 462/292. Gallonium memorat Cic. pro Quinct. 94 'ut in capite fortunisque hominum honestissimorum dominentur ii, qui relicta uirorum bonorum disciplina et quaestum et sumptum Galloni sequi maluerunt atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque uixerunt' de fin. II 90 'sed qui ad uoluptatem omnia referens uiuit ut Gallonius' Lucil. incert. u. 1134. — 1239. 'omnia in ista (uita) consumis squilla atque acupensere cum decimano' praepositionem *cum ἀπὸ κοινοῦ* postposuit ut lib. X u. 390. — *decimano*, uocabulum esse sermonis castrensis et Lucilii proprium exposuimus ad incert. u. 1152. — *squillam* priore loco nominat quod de herbis agit et squilla simul et herbam *σκίλλα* quae Graece dicitur significat et genus locustae paruulae.

1241. Apopthegma Lucilii tale in ore populi fuisse non credibile est sed spectare Crassum locum Lucilii quo egerat de oratoris dignitate et officio qua de re scripserat lib. X u. 385, VI u. 261 XXIX u. 853. Quare inter Lucilii fragmenta uerba Ciceronis rettuli eo magis quod Cic. de or. II 6, 25 uersuum Lucilianorum argumentum lib. XXVI u. 592 eisdem induxit uerbis, quasi apopthegma poetae: 'Nam ut C. Lucilius homo et doctus et perurbanus dicere solebat, ea quae scriberet neque se ab indoctissimis neque a doctissimis legi uelle' e. q. s. Non 'subiratus' Mucio erat

Lucilius ut Cicero scripsit nimium blande et sedate, sed acerbissime insectatus est hominem auctore Pers. I 115 Iuuen. I 154: uide ad lib. II u. 74.

1242. Consentius in arte de barbarismis et metaplasmis GL V p. 400, 4 K 'Poetae faciunt metaplasmos, cum ipsi iam scripturam relinquunt corruptam, ut est "relliquias Danaum" et "tanton me crimine dignum Duxisti": addidit enim unam litteram per metaplasmum l, item contra ⟨*dempsit litteram per metaplasmum e*⟩, sicut Lucilius "ore corrupto": dempsit enim unam litteram per metaplasmum r: et Ennius (annal. 567 V) "huic statuam statui maiorum obatu. (*super* ob *scriptum est* &) athenis". et hic quoque per metaplasmum dempsit litteram r'. Locum suppleuit Lachmannus ad Lucret. VI u. 1135 (p. 416) qui uersus in codd Lucretii extat traditus hoc modo 'an caelum nobis uitro natura corumptum'. Qui Lucretii uersum non tolerauit ita comparatum in editione sua, idem Lucilii uersum censuit non dici potuisse 'nisi irridendi causa aut forte in recte loquendi legibus demonstrandis'. At ne hoc quidem poterit credi nisi si aut aptum exemplum aut apta explicandi ratio erit allata: immo facilius credas aut uitioso exemplari usum fuisse Consentii auctorem aut quod probabilius errauisse illum eodem modo quo Diomedem qui I p. 452, 19 K apud Lucilium (incert. u. 1130) in *pretor* longam syllabam structurae gratia corripi impudenti affirmet audacia. De nouo codice Consentii unde Ennii uersus scripturam protulit refert Lindsayus Berl. Phil. Wochenschr. XXIV 1904 p. 283. Itaque nil nisi de orthographia uerbi *coruptus* rettulit grammaticus quem secutus est Consentius: simili modo *corigiam* exhibet Edict. Diocle. X 19. Verba ipsa sana sunt: conf Quintil. I 1, 13 'oris plurima uitia in peregrinum sonum corrupti et sermonis': Didymi fragm. p. 19 Schm. Itaque aut *ore* in exitu uersus positum fuerat, aut uerba sunt lacunosa, aut *ori* siue ablatiuus siue datiuus restituendum erit, ut sit penthemimeres aut omnino trochaico aut iambico uersui fragmentum erit tribuendum. — Denique bipertitam rationem metaplasmi *κατὰ πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν* adhibet grammaticus sicuti in re metrica solet fieri (Oxyrhynch. Pap. II p. 44 III) et in poetica (CGF I p. 51 Kaibel.): quadripertitam rationem in rhetorica adhibet auctor ad Her. IV 21, 29 med. 'addendis . . . demendis . . . transferendis . . . commutandis (litteris)' quam diuisionem etiam philosophorum propriam fuisse euincit Philonis locus de aetern. mundi 22 ubi *πρόσθεσις ἀφαίρεσις μετάθεσις ἀλλοίωσις* quattuor modi *φθορᾶς* enumerantur: conf Quintil. I 5, 6. 38. VI 3, 53.

1244. Explanat. in Donatum GL IV p. 542, 12 K 'Sal masculini generis est: Lucilius (lucius cod) "ore salem *expiauit* amarum".' Probi de nomine excerpta GL IV p. 209, 10 K 'et

ideo sales masculini generis est ut apud Lucilium "ore salem *expiauit* amarum".' Sumpserunt uterque scriptor illud fragmentum ex libro ubi corruptum iam *expiauit* legebatur uerbum: *expirauit* Columna, *exputauit* Baehrensius, Lucretius II 354 'sanguinis expirans calidum de pectore flumen'. Vertit Lucilius Homer. Odyss. ε 322 *στόματος δ' ἐξέπτυσεν ἅλμην πικρήν.*

1245. Paulus ex Festo p. 70, 3 'Depuuere (*Depuuire* recte Scaliger), caedere. Lucilius "palmisque misellam *depuuiit* (ita cod Guelf. et Monac., alii *depuuit*) me", id est uerberauit me. quod ipsum ex Graeco est apo tu paiein'. De *depuuio* uocabulo conf Solmseni stud. ad hist. sonorum l. Lat. p. 166 qui *depuit* scripsit. Tamen nec *depuuere* uerbum nec *depuuit* perfectum adhuc apto testimonio probatum est. Quare satius erit in *pauire* uerbi analogia niti de hoc composito iudicium. Recte *depuire* grammaticus cui debemus Naeuii comici (134 R) uersum 'depuuiit (cod *depuit*) me miseram ad necem' quem imitatus est cum Terent. Phorm. 327 'deuerberasse usque ad necem', tum Lucilius hoc uersu. Comparauit Dousa Fest. p. 191, 4 'obpuuiat, uerberat (scribendum *uerberet*) a puuiendo id est feriendo', *pauimentum* alia. Formam *depuuiit* cum cod Gudiano et Monacensi seruaui. Alii trisyllabon scripserunt 'palmisque misellam Depuuit me infinitiuum *depuuere* qui arbitrantur recte esse traditum l. s. s. ap. Paulum. Tamen pronomina *me te se* saepe in exitu hexametri posuit poeta. Itaque depuuire, ut debattuere apud Petronium, deuerberare apud Terentium. Queritur puella similiter tractata atque *ῥαπιζομένη* Menandri et illa AP V 288 *Ἡ γραῦς ἡ τρικόρωνος, ἡ ἡμετέρους διὰ μόχθους μοίρης ἀμβολίην πολλάκι δεξαμένη ἄγριον ἦτορ ἔχει καὶ θέλγεται οὔτ' ἐπὶ χρυσῷ οὔτε ζωροτέρῳ μείζονι κισσυβίῳ. τὴν κούρην δ' αἰεὶ περιδέρκεται· εἰ δέ ποτ' αὐτὴν ἀθρήσῃ κρυφίοις ὄμμασι ῥεμβομένην ἃ μέγα τολμήεσσα ῥαπίσμασιν ἀμφὶ πρόσωπα πλήσσει τὴν ἁπαλὴν οἰκτρὰ κινυρομένην.*

1246. Festus p. 301, 10 'Solox lana, crassa, et pecus quod passim pascitur non tectum. . . . et Lucilius "*pastali* . . . soloce".' Paulus p. 300, 3 'Solox lana crassa, uel pecus lana non tectum . . . Et Lucilius "*pastali* . . . *hirco* atque soloce".' E Festo (p. 242, 29) nunc mutilato olim Paulus p. 243, 5 'Pastales oues Cato posuit pro pascuales' (Cato p. 66, 1 Iord.). Recte *pascalis* editores Lucilii et Catonis; u extrita ut in *cardelis* (Petron. 46), Febrarius (Append. Probi in arch. lexic. Lat. XI 1900 p. 329, 208), *quattuor* ap. Ennium (annal. I 93 V) disyllabon, *fluctuatim* ap. Afranium 237 R trisyllabon comparauit L. Muellerus: conf Lindsayi de l. Lat. cap. II § 54 Schuchhardtii de uocalismo l. Lat. uulg. II p. 467 seqq. Agi de ouibus apparet, quarum genera sunt duo: pascales uocantur quae tectae non sunt stabulis, alterum genus uillaticum est ouium *tectarum*. Festi uerba male intellexit

Paulus. Colum. VII 2 narrat de feris arietibus 'patruus . . . quosdam mercatus in agros transtulit et mansuefactos *tectis* ouibus admisit. Eae primum *hirtos*, sed paterni coloris agnos ediderunt'. Idem infra 'duo genera sunt ouilli pecoris, molle et hirsutum'. Hirtas id genus oues appellat Varro rer. rust. II 2, 19. 20 Colum. VII 4 unde Marquardtius enchiridii uol. VII edit. II p. 477, 12 emendauit Laberii uersum 68 R. Libro III tribuit Muellerus.

1247. Iulius Romanus apud Charisium GL I p. 214, 8 K 'Pedetemptim. Lucilius "pedetemptim *hunc resalutem*".' *pedetemptimne* Dousa, *nunc* pro *hunc* Baehrensius, *cur resalutem* Muellerus; sed quomodo quis quem pedetemptim salutare uel resalutare possit, non uideo. Lachmannus in Lucret. p. 296 'pedetemptim huc ire salutem', ego 'pedetemptim hunc ⟨fer⟩re salutem'. Cic. de fin. II 118 'cum opem indigentibus salutemque ferres'. Videtur de medico agi qui opitulatur aegrotanti.

1248. Porphyrio ad Horatii serm. I 6, 22 'quoniam in propria non pelle quiessem'. '. . . Et hoc scilicet inde sumptum est quod ductores (sic codd: Lachmannus recte *ueteres*) in pellibus dormirent. cuius rei et Lucilius testis est, cum dicit "*per mihi lectum* inposui *pedem* pellibus *habes*".' *lectum perminxi, imposuique pudendam pellibus labem* I. Dousa, qui lectorem ad Horat. serm. I 5, 84 delegat 'tum inmundo somnia uisu nocturnam uestem maculant uentremque supinum': libro III ideo adscripsit Muellerus. Neque tamen recte. Agitur potius de conuiua ebrio qui Horat. serm. I 3, 90 'commixit lectum potus'. *Permixi* recte Holderus in Porphyrione: Buecheleri Carm. Lat. epigr. 932 'miximus in lecto'. labem inponere Liu. IV 32, 7 Curt. VII 7, 30, 'conscientiae labes in animo . . . habuisse' Cic. de off. III 85. *pede pellibus labes* idem Holderus qui adnotat *pede* Petschenigio deberi. Quod tamen si recte erit constitutum, *pede* intellegendum erit de membro uirili quod *πόδα* siue *ποδεῶνα* dictum fuisse, *der Zipfel* tradit schol. Euripid. Med. 679, sicuti *πόδα βαλλαντίου* dixit Aristophanes Babyloniis (CAF I p. 414, 89 K), 'amicinum, utris pediculum, ex quo uinum defunditur' Paul. ex Festo p. 15.

1249. Paulus ex Festo p. 212, 9 'Pipatio clamor plorantis lingua Oscorum' (de Planta gramm. Osc. Vmbr. II p. 237. 590 Vsenerus Mus. Rhen. LVI 1901 p. 23, 43). Excerpta ex Festo CGL IV p. XVIII 'Pipatio est clamor plorantis acerua uoce. Lucilius "*petit* pipas *cla*libet id est *petit* clamas da iuuat inquit" ex quo antiqui clamorem *aceruum* appellarunt'. Vtroque loco *da* scribendum esse iudicat Buechelerus Thes. gloss. emend. s. u. *pipatio*, ego *clam* praetuleram, cum desiderarim in uerbis grammatici *da* imperatiui interpretationem ueluti *dic*, qua carere haec uox non potuerit, illud *clam*, quod restitueram Stud. Vindobon.

XVIII 1896 p. 308, facile potuerit. Vbi diuerbium constitui memor Plauti Casin. 99 'Quid in urbe reptas, uilice haud magni preti? # Lubet' Epid. 697 'Qua fiducia ausus . . . filiam meam dicere esse? # Libuit, ea fiducia' 710 'Quor dare ausus? # Quia mihi libitum est' Trucul. 604 'cur ausus mi inclementer dicere? # Lubitum est (*lubido est* codd, corr. Bothius)'. Locum lacunis et mendis corruptum hoc modo restituas: 'Pipatio est clamor plorantis acerba uoce. Lucilius "⟨quare me insidiis⟩ petis, pipas? da. Libet ⟨*inquit*⟩" id est petis clamas? da. Iuuat, inquit' ex quo antiqui clamorem acerbum ⟨pipulum⟩ appellarunt': pipationem inseruit Goetzius Mus. Rhen. XL 1885 p. 326.

1250. Festus p. 142, 4 'Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano ante quam percoquatur decidit in carbones cineremque. cuius meminit Lucilius, "pistricem *ualida* . . . omnis".' Varro de lingua Latina libro V 138 'Inde post in urbe Lucili pistrina (XVI 521) et pistrix'. *ualidam* Scaliger. *empleuron* adiectiuum e uulgari sumptum sermone Graeco seruauit praeter Lucilium auctor Geopon. XVIII 9, 6 *τῶν δὲ τράγων ἐγκρίνουσι τοὺς μεγάλους καὶ ἐμπλεύρους ἰσχία τε μείζονα ἔχοντας.* — *mamphulas*] aliud nomen panis Syriaci exhibet Athen. III p. 113 C *τὸν δὲ τοιοῦτον ἄρτον οἱ Σύροι λαχμὰν προσαγορεύουσι.* Panis genus 'quod in carbones cineremque decidit' Graece dicitur *ἐπανθρακίς σποδίτης ἀποπυρίας ἐγκρυφίας* (Athen. III p. 110 B 111 DE). Imitatus est poeta Archestratum siue ipsum siue Archestratea Ennii: conf Archestratum ap. Athen. III p. 112 c *ἔστω δή σοι ἀνὴρ Φοῖνιξ ἢ Λυδὸς ἐν οἴκῳ ὅστις ἐπιστήμων ἔσται σ⟨ίτ⟩οιο, κατ' ἦμαρ παντοίας ἰδέας τεύχων ὡς ἂν σὺ κελεύῃς* (V Brandtii): optimos pistores Cappadoces esse docet Athen. l. s. Syri et Cappadoces etiam propter robur et corporis uires laudabantur (Petron. 63 Martial. IX 22, 9 VI 77, 4 Iuuen. VI 351) quibus uiribus opus esse ad opus pistorium monet Lucilius utraque lingua. 'Mulieres quae panem coquant quaeque uillam seruent' memorantur a Trebatio Digest. XXXIII 7, 12, 5, mulieres depsentes argilla effictas exhibet artis monumentum Parisinum in tabula praepositum libro C. Buecheri Arbeit und Rhythmus edit. III Lips. 1902.

1252. CGL V p. 234, 1 'pistris belua maris: *lucius* (Lucilius Loeweus prodrom. p. VII. VIII) pistrices dixit pluraliter'. Spectat glossa locum Vergilii Aen. III 427 'Neptunus pistricum dominus et maenarum' Arnob. III 31. Glossas reliquas uide in Thesaur. gloss. emend. s. u. *pistrix* et *belua*.

1253. Charisius GL I p. 109, 10 K 'Plure aut minore emptum antiqui dicebant. Cicero "plure uenit". et Lucilius "*plura* foras *uenti*". sed consuetudo pluris et minoris dicit'. Idem ex Romano p. 211, 27 'Plure. Plautus . . . Cicero quoque "plure uenit".

Lucilius "plure foras uendunt, quod *pro minore emptum*", antique'. Conf Iuuen. XIV 200 'pares quod uendere possis pluris dimidio'. *Foris* maluit scribi Dousa, reuera ita scripsit auctor Queroli p. 31, 12 Peiperi 'Mysterium de religione faciunt et commercium. Quae communia sunt et gratuita, uendunt foris'. At Lucilium *foras* potuisse scribere apparet. Lachmannus temptauit 'quod pro re est forte minore Emptum', 'minore coemptum' uersum exire uoluit Lindemannus. *proinde* posui: conf Planc. ap. Cic. epist. X 24, 5 'quod, ex tam insigni amicitia mea atque Caesaris, hunc filii loco et illius et uestro iudicio supstitutum, non proinde habere turpe mihi uidetur'. Proinde disyllabon semper adhibetur apud Lucretium (L. Muellerus de re metr. ed II p. 317).

1254. Seruius auctus ad Aeneidos X 623 'meque hoc ita ponere sentis'. 'Ponere, facere, uel, ut quidam uolunt, constituere et decernere? . . . sane ponere facere, sicut Lucilius Homerum secutus, qui (*A* 2) ait ἄλγε' ἔθηκεν, id est fecit * * *'. Exciderunt Lucilii uerba propter uerba ut uidetur similia quae hoc modo restituas '"aerumnas posuit furor innumeras" id est fecit'. Verterat ad uerbum poeta Iliadis exordium ubi de ira egit.

1255. Festus p. 258, 30 'Quartarios appellabant antiqui muliones mercennarios, quod quartam partem quaestuus capiebant. Lucilius "porro homines nequam, malus ut quartarius, cippos *colligere* omnes".' Scaliger *collisere*. 'notum est' inquit 'cippos sepulcrorum olim secundum uias publicas fuisse: itaque facile collidebantur a mulis sagmariis, cum ea praeterirent'. Libro III attribuit Dousa et Muellerus. Mulio perpetuarius memoratur Senec. apocoloc. 6: Martial. X 2, 9 de sepulcrorum monumentis 'marmora Messallae findit caprificus, et audax dimidios Crispi mulio ridet equos. At cartis nec *furta* nocent et saecula prosunt solaque non norunt haec monumenta mori'. Audax, si quaeris, mulio non diceretur nisi ipse *furta* in monumentis quae uersu sequenti memorantur commisisset. Vnde apud Lucilium non erit scribendum *collisere* sed *cippos collegere omnes* id est furati sunt sicuti libro XXX u. 1001 scripsit poeta sermone uulgari usus 'colligis omnia furtim'. Viam quandam publicam prope urbem positam describi apparet ubi homines aliqui nequam qualis est mulio improbus furati erant cippos: *omnes* accusatiuus. Quartarius quartam partem quaestus accipit tamquam domini partiarius. De Indis tradit Strabo XV p. 704 μισθοῦ δ' αὐτὴν (τὴν χώραν) ἐπὶ τετάρταις ἐργάζονται τῶν καρπῶν, tertias partes praebent domino coloni in Africa lege Hadriani ap. Brunsii font. iur. R. edit. VI p. 383 III A. Schultenus Die roem. Grundherrschaften Weim. 1896 p. 97, conf Cato de agr. cult. 136. De mulionibus et mulionum mercede Bluemnerus ad edict. Dioclet. VII 19.

1257. Gellius IX 14, 22 'In casu autem dandi, qui purissime locuti sunt, non faciei, uti nunc dicitur, sed facie dixerunt. Lucilius in saturis "primum inquit facie quod *honeste tantis* accedit".' Libro VII attribuit Muellerus qui 'honestae et aetati' scripsit, Baehrensius 'honestae et annis': ego expecto *aetas* quae soleat una laudari cum forma: Terent. Andr. 286 'huius formam atque aetatem uides' 72 'egregia forma atque aetate integra' Eun. 473 'quam liberali facie, quam aetate integra' Afran. 63 R 'aetas integra est, formae satis' rhet. ad Her. IV 54, 67 e 'Qui ista forma et aetate nuper alienae domi — nolo plura dicere' Cic. in Verr. V 25, 64 'qui aliquid formae, aetatis, artificiique habebant, abducit omnis'. *facies honesta* idem Terent. Eun. 230 'papae: facie honesta' 682 'ille erat honesta facie et liberali'. Itaque suppleas: tantis accedit naturae dotibus aetas.

1259. Scholiasta Bobiensis ad Plancianam Tullii p. 254, 15 Orelli 'Tusculani plurimum liuoris naturaliter etiam circa municipes suos habuisse uidentur. sic et M. Cato ille Censorius pro maligno et inuido habitus est. nec aliter etiam Lucilius de eorundem moribus sentit, hoc dicens "prima Papiria *tu solidarum*".' addit Maius 'Sequitur autem uersiculus Graecus oblitteratus'. Idem coniecit *Tusculidarum, Tuscolidarum* scribere maluit Wunderus. Reuera si uersus Graecus oblitteratus scriptus extabat, eodem modo insertus erat quo lib. XIV u. 463 et item probabiliter Homericus. De Tusculanis quos metri causa dixit *Tusculidas* ut ipse *Apulidae* incert. u. 1109, *Romulidas* alii dixerunt, uide Mommsenum de iure publico p. R. III (edit. 1887) p. 177, 1. Liuorem Romani uicinis suis inesse plurimum iactabant sicuti Athenienses Megarensibus similia uitia exprobrabant: conf Bergkii hist. litt. Graec. IV p. 5, 11. Scripserat Lucilius ueluti 'multost Inuidia nunc prima Papiria Tusculidarum'.

1260. Festus p. 194, 5 'Oufentinae tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens, quod est in agro Priuernate mare intra (*inter*) et Taracinam. *Lucretius* "Priuerno *oufendina* uenit fluuioque oufente".' Lucilio tribuit Scaliger. Oufentina tribus Priuerno uenit in urbem ut suffragium ferat: Dionys. arch. VIII 72, 4 Mommsenus de iure publico p. R. III (edit. 1887) p. 644. Spondeiazon simillimus est illius lib. III u. 126.

1261. Ordinem librorum secutus esse uidetur poeta in enumerandis Lucilii inimicis: libro I Lupum, libro II Mucium ille secuerat: Mucium praeterea libro V: uide ad lib. II u. 74 V u. 203 seqq. incert. u. 1235.

1262. 1263. Vix est quod scholiastae de omnibus tribubus ad unam a Lucilio laceratis referenti credas: uide ad incert. u. 1100. Nonnullas tamen eum carpsisse testantur uersus incert. 1259. 1260, ubi tribuum Papiriae et Oufentinae etiamnunc extant

nomina. Quod Persius *urbem* ante Lupum et Mucium commemorat, credas libro I tribuum positam fuisse castigationem quam Iouem exercuisse probabile est in deorum concilio de corruptis p. R. moribus cum loqueretur (uide ad lib. I u. 10 seqq.). Lucilius in hac ciuitatis totius insectatione ueterem aliquem saturae uernaculae secutus esse uidetur morem: eundem secutus est Plautus in satura Romani saporis quam a chorago fecit pronuntiari Curcul. 467—486. Quibus uersibus Plautus uicatim urbem secuit tamquam embolio mimi quam Lucilius postea castigauit tributim. Conf Mommsenus de iure publico p. R. III (1887) p. 197, 1. — 1263. de uirtutis praeconio uide incert. u. 1326 seqq.

1264. Scholiasta Iuuenalis III 175 'Exodium. Exodiarius apud ueteres in fine ludorum intrabat, qui ridiculus foret, ut quicquid lacrimarum atque tristitiae quae exissent ex tragicis affectibus, huiusce spectaculi risus detergeret. huius et Lucilius meminit, "principio . . . *sequitur*".' *sequetur* editores: *sequatur* scripsi. Exodii i. e. Atellanae hic uersus est testimonium antiquissimum. Sumpta esse uidentur ex dei oratione ueluti Neptuni libro I posita: similiter Cic. in Verr. V 189 'uti C. Verrem, si eius omnia sunt inaudita et singularia facinora sceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, auaritiae, crudelitatis, dignus exitus eiusmodi uita atque factis uestro iudicio consequatur' II 99 'Itaque fecit ut exitus principio simillimus reperiretur: quem absentem reum fecerat, eum absente accusatore condemnat' Seneca epist. 9, 9 'necesse est initia inter se et exitus congruant' Cic. epist. XI 5, 3 'quamobrem te obsecro . . . ut in perpetuum rem p. dominatu regio liberes, ut principiis consentiant exitus': conf Afran. 304/5 R.

1266. Festus p. 213, 5 'Piscinae publicae hodieque nomen manet, ipsa non extat. ad quam et natatum et exercitationis alioqui causa ueniebat populus. unde Lucilius ait "pro obtuso ore pugil *pisciniensis* reses".' *piscinensis* Turnebus. 'residem pugilem factum dicit prout conuenerit esse eum cui os pugnis obtusum esset'. Haec Lachmannus (conf comment. in Lucret. p. 20). Rectius dicas Lucilium hominem describere plagis pertusum, qui uideatur pro obtuso ore pugil piscinensis reses esse, id est pugil qui tamquam emeritis stipendiis otio se dederit. Comparauit Dousa Asinii Galli epigramma ap. Sueton. de gramm. 22 'os nullum, uel potius 'pugilis' ubi de grammatico agatur qui antea pugil fuerit. Pugilum ora obtusa illuduntur epigrammatis AP XI 75 seqq. Lucian. deor. dial. 26, 1 *οὗτος μὲν ὦ Ἄπολλον ἔχει ἐπὶ τοῦ προσώπου τὰ ἴχνη τῶν τραυμάτων*. *pro obtuso ore,* ut lib. XXVIII u. 794 *pro facie.* Plaut. Cas. 862 'obtunso ore nunc peruelim progediri senem quo senex nequior nullus uiuit'. Piscina publica memoratur Liu. XXIII 32, 4 Cic. ad Q. fr. III 7, 1 Ammian. Marc. XVII 4, 14 Not. reg. XII: conf Huelsenus Kiepertus forma

urbis p. 50. Quae posita erat extra portam Capenam uia Appia prope eum locum ubi balnea Antoniniana postea fuere. Ibi gymnasticae multos Lucilii aetate operam dedisse uersu Lucilii euincitur: Aletrii 'lacum ad portam' praeter lacum balinearium fuisse edocet titulus Aletrinas CIL I 1166.

1267. Porphyrio ad Horatii carminum librum I 27, 1 'Natis in usum laetitiae scyphis. Natis pro factis; ut apud Lucilium est "*pudicis* Hortensi est ad eam rem nata palaestra".' *iudicis* editores ueteres, *podicis* recte Meyerus. Quod tamen neque cognomen Hortensii fuisse probabile est neque conuicio omnino locum esse in hoc uersu censeo: itaque *Hortensi* non genetiuus est diciturue Hortensi palaestra ut Athenis Taureae Sibyrtii Hippocratis palaestra (E. Curtius Stadtgeschichte von Athen p. LXXXVIII), sed uocatiuus: *ad eam rem* quomodo accipias demonstratur Plaut. Vidul. 36 Leo 'sol est ad eam rem pictor, atrum fecerit' Cic. Verr. IV 24, 54 'ut ea ad illam rem nata esse diceres'. Palaestra non locus est sed sicuti *gymnasium* lib. XXVI u. 641 exercitationem ipsam significat ut apud Cic. Or. 186. 228: turpi sensu idem uocabulum ponitur ap. Martial. X 55, 4 'idem post opus et suas palaestras loro cum similis iacet remisso' conf XIV 201. Non ad puerum sed ad mulierem qualem Dauus laudat Horatii serm. II 7, 50 uersus uidetur spectare.

1268. Macrobius de differentiis et societatibus Graeci Latinique uerbi GL V p. 618, 14 K 'Similiter apud Latinos imperatiuus nascitur ab infinito abiecta ultima . . . et ades et prodes. Lucilius "prodes amicis", Vergilius "huc ades, o Lenaee".' Praecepta posuerat Lucilius similia atque scriptor ad Her. IV 30, 41 initio 'gere morem parenti, pare cognatis, *obsequere amicis*, obtempera legibus', idem IV 19, 26 med. 'nec reipublicae consuluisti *nec amicis profuisti* nec inimicis restitisti'. Sequitur locutionem Graecam qualem exhibet Lysias XIX 59 *ἡγούμενος εἶναι ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ὠφελεῖν τοὺς φίλους* Xenoph. Cyrup. I 4, 25 *ἄνδρα ἔσεσθαι ἱκανὸν καὶ φίλους ὠφελεῖν καὶ ἐχθροὺς ἀνιᾶν.*

1269. Nonius p. 321, 20 ex grammatico 'Inuitare significat repleri. . . . Lucilius "pulchre inuitati acceptique benigne".' *sumus* post *inuitati* addidit Dousa, *satis* Lachmannus, *cuncti* in Nonii editione Muellerus in adnotatione qui libri XXX esse uersum inde suspicatur, quod sequitur apud Nonium lib. XXX u. 1073, antecedit XXX u. 1068. Probabilius tamen uersus initium periisse neque librariorum culpa neque Nonii sed grammaticum quo utitur ille plura non exhibuisse. Signum * * tollendum. Dousae supplementum iam Corpetus spreuerat lacunam qui posuerit initio uersus. Cic. ad Att. III 4 'adhuc inuitamur benigne, sed, quod superest, timemus'.

1270. Cledonius GL V p. 40, 15 K 'Pampinus et dies generis sunt communis. hic pampinus Accius . . . haec pampinus Lucilius

"purpureamque . . . habere".' Pampinum albam, quae uuas reapse non ferat nisi in terra ubi porci cocti ambulant, nominari hoc loco eam quae ap. Ouid. metam. XIII 800 Seru. pleniorem ad Verg. georg. I 165 Colum. X 347 Pallad. I 35, 1 *uitis alba* dicitur censet Stowasserus stud. Vindob. V 1883 p. 258: unde iunxit hoc fragmentum cum lib. XXX u. 978. At genus aliquod uitis numquam poterit dici pampinus. De autumno agi uidetur qui distinguit liuidos racemos purpureo uarius colore auctore Horatio carm. II 5, 10. Grammaticus de dub. nom. GL V p. 588, 2 K 'pampinus generis feminini, ut Cornelius "purpureis † geminata pampinus uuis".' Ouid. met. XIII 813 'sunt auro similes longis in uitibus uuae sunt et purpureae'. De frondibus albis idem trist. III 8, 29 'quique per autumnum percussis frigore primo est color in foliis quae noua laesit hiems' art. am. III 703 'palluit ut serae lectis de uite racemis pallescunt frondes quas noua laesit hiems'. facere cum accus. cum inf. ut Verg. Aen. II 538.

1271. Seruius auctus ad Aeneidos X 184 'Pyrgi ueteres. Hoc castellum nobilissimum fuit eo tempore quo Tusci piraticam exercuerunt: nam illic metropolis fuit. quod postea expugnatum a Dionysio tyranno Siciliae dicitur. de qua Lucilius "scorta Pyrgensia".' 'Cui libuerit poterit facile hexametri finem efficere sic: Pyrgensia scorta' Muellerus. meretrix Neapolitis Afranius 136 R, Cu⟨*ma*⟩na meretrix Bibaculus FPR p. 318, 5 Baehrens. De Pyrgis emporio conf interpretes ad Martial. XII 2: pisces inde Romam apportari tradit Athen. VI p. 224 C. De Tuscis meretricibus Plaut. Cistell. 562 seqq. Athen. XII p. 517 D seqq.

1272. Varro de lingua Latina V 44 'Velabrum a uehendo. uelaturam facere etiam nunc dicuntur qui id mercede faciunt. merces [dicitur a merendo et aere] huic uecturae, qui ratibus transibant, quadrans. ab eo Lucilius scripsit "quadrantis ratiti".' Festus p. 274, 16 M et Paulus p. 275, 3 'Ratitum quadrantem dictum putant quod in eo et triente ratis fuerit effigies, ut nauis in asse'. Recte Festus de signo ratis intellegit: *ratitus* a *ratis* formauit poeta ut *auritus* ab *auris*. Nummi seruati demonstrant male distinxisse ueteres grammaticos inter ratem et nauem in signis quadrantis et assis. Significat nummum teruncium, i. e. fere minimum eorum qui in usu erant, cum sextans multo rarius memoretur qui duarum tantummodo sit unciarum.

1273. Cicero de oratore III 23, 86 'Magister hic Samnitium summa iam senectute est et cottidie commentatur; nihil enim curat aliud. atque uelocius (*at Q. Velocius* Victorius) puer id (*ad* codd) didicerat (sed quod erat aptus ad illud) totumque cognorat. fuit, ut est apud Lucilium, "quamuis . . . cuiuis (libri *cuiuis, ciuis, cuius, ciuibus, causis*) satis asper", sed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari'. Libro IV attribuit Dousa in editione, libro III

in commentario ad 12. *bonus* ut lib. XXX u. 972 'non bonus bello', asper, ut Verg. Aen. XI 664 'quem telo primum, quem postremum, aspera uirgo, deicis?' I 14 'studiisque asperrima belli', uocabulum uidetur esse castrensis sermonis. Verba uidentur esse Pacideiani (lib. IV u. 153 seqq.) qui gloriatur facile se Aeserninum uicturum, quod quamuis bonus ipse Samnis sit et in ludo ac rudibus cuiuis satis asper, in pugna ipsa sibi impar habendus sit, ignauus et rudis, bellator umbraticus.

1275. Varro de lingua Latina libro VII 103 'Multa ab animalium uocibus tralata in homines; partim quae sunt aperta, partim obscura. perspicua ut . . . eiusdem "quantum . . . equitatum".' 'quantum Hinnitum atque quiritatum' Muellerus. Tamen minime necesse est duo adferri uocabula quibus enarretur praeceptum. Potest intellegi *equitatus* tamquam *equitatio* de strepitu equorum equitumque incurrentium.

1276. Festus p. 322, 22 'Sargus, piscis genus, qui in Aegyptio mari fere nascitur. Lucilius "quem . . . mouebit".' De helope Athen. VII p. 282 D tradit Epicharmum Musis (71 Kaibelii) egisse hoc uersu *τόν τε πολυτίματον ἔλοπα κτλ.*, de raritate et pretio huius piscis Aelian. hist. anim. VIII 28. Sargi naturam exponit Athen. VII p. 321 B, capturam Aelian. hist. anim. XIII 2 quam Cares exercere narrat, cum helops in Pamphylia capi sit solitus eodem auctore VIII 28: Puteolos qua regione Lucilius senex commorabatur deferebant pisces tales nautae Aegyptii (Senec. epist. 77, 1). De *Aegypto* ablatiuo uide ad lib. XIII u. 446, *Αἰγύπτιος μιαρώτατος τῶν ἰχθύων κάπηλος* memoratur ab Archippo CAF I p. 684, 25: conf Iuuen. IV 33. *mouebit*, cui saliuam mouebit: de uerbo mouere uide Bentleium ad Hor. serm. I 10, 78. Sententia similis erat atque Hor. epod. II 49 seqq.: tales herbae si cui appositae erunt, quem mouebit sargus helopsue? Libro IV tribuit Baehrensius, possis tribuere etiam V.

1277. Paulus p. 256, 11 'Querqueram frigidam cum tremore a Graeco *κάρκαρα* certum est dici, unde et carcer. Lucilius . . . (incert. u. 1194) et alibi "querquera consequitur capitisque dolores".' Festus p. 257, 33 '. . . et alibi "querque —".' Videtur u. pertinere ad lib. V (conf u. 189) quo Lucilius de sua ualetudine conqueratur: enumerat morbi sui quem saepius perpetitur singulos gradus et singula incrementa: conf Cels. III 10 'Considerandum etiam est, febresne solae sint, an alia quoque his mala accedant, id est, num caput doleat, num lingua aspera, num praecordia intenta sint. Si capitis dolores sunt, rosam cum aceto miscere oportet'. — *consequitur*, ut Cic. de orat. III 6 'Namque tum latus ei dicenti condoluisse sudoremque multum consecutum esse audiebamus, ex quo, cum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo est lateris dolore (i. e. pleuriti: uide

ad incert. u. 1314) consumptus'. Vnde suppleas uersum hoc modo: 'querquera consequitur ⟨lateris⟩ capitisque dolores'. Cels. IV 13 'Huic dolori lateris febris et tussis accedit'.

1278. Apuleius in floridis cap. 21 p. 187 de Vlietii 'Hisce igitur moramentis omnibus qui uolunt † deuitare ac *uictorem* sibimet equum deligunt diutinae fortitudinis, uiuacis pernicitatis, id est et ferre ualidum et ire rapidum, "qui ... uno", ut ait Lucilius, tamen' e. q. s. Coniunxit hunc uersum cum u. 476 libri XIV Coluius quem adfert Oudendorpius l. s. s. 'ipse ecus, non formonsus, gradarius, optimus *uector*' ubi in uocabulo *uector* Nonii librarii eodem modo peccarunt quo Apuleii librarius cod Florentini. Propter uerbum *uector* et uerbum *gradarius* recte illum coniunxisse conicias quamquam idem ineptit reliquos de equo uersus Lucilianos in unum centonem consarcinando. Egerat de equo suo poeta praeterea libro VIII u. 313 seq. et XV u. 506 seqq. ubi uide quae adnotauimus. — *campos collesque:* Cic. in Verr. III 18, 47 'Quos ego campos antea collesque nitidissimos uiridissimosque uidissem' diuerso ordine Lucret. IV 389 'colles campique' V 784. 1373.

1279. Festus p. 334, 13 suppletus ex Paulo p. 335, 3 '⟨Schedia⟩ genus uauigii ⟨inconditum⟩ ... us quoque poemata — — is perfectis qui essent ——— cum dixit "qui schedium fa ———".' Apuleius de deo Socr. principio 'Sed ut me omnifariam noueritis, etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio ⟨*subitario*⟩ et incondito experimini'... Petronius 4 'Sed ne me putes improbasse schedium Lucilianae humilitatis, quod sentio et ipse carmine effingam'. De Festi interpretatione conf *αὐτοκάβδαλος* uocabulum (schol. Lycophr. 745). Sicuti Agamemno rhetor apud Petronium et Apuleius rhetor l. s., ita Lucilius sese *αὐτοσχεδιάζειν* siue *σχεδιάζειν* in poetando scripserat et carmina sua nil esse nisi per saturam *σχεδιάσματα*. Qua de re egisse uidetur in ea satura, quam Horatius imitatus est (I 4) posita in libro XXX: uide ad lib. XXX u. 1029. Ego non poeta sum, qui schedium faciam tantum, non carmina uera. Conf testim. 78.

1280. Cicero de oratore II 62, 253 'Ambigua sunt in primis acuta atque in uerbo posita, non in re ... ut illud Africani, quod est apud Lucilium, "quid ... inquit".' P. Decium tr. pl. 634/120, de quo Cic. Brut. 108 'non infans ille quidem, sed ut uita, sic oratione etiam turbulentus' tangi multi adfirmarunt, parum probabiliter, cum ille post mortem Africani demum inclaruisse sit putandus. Iam in codice quodam Bruti adscriptum esse adnotat Ellendtius ad Cic. l. s. s. locum Festi a Paulo (p. 172 M) melius seruatum 'nuculas Praenestinos appellabant quod ... uel quod in eorum regione plurima nux minuta nascitur': memoratur denique homo ignobilis cognomine *Nucula* saepius in

Ciceronis Philippicis. Masculino genere cum *confixum* traditum sit, hominem dici *nuculam* apertum est inque hac ipsa ambiguitate quam Cicero testatur iocum Scipionis patet constare. *configere* proprie dicitur de sagittis inde a Plauti aetate (Aul. 395), translate Cic. Philipp. XII 7, 18 'meminerant eius sententiis confixum Antonium'; *confixum facere* ut missum facere alia (de quibus conf Haulerus ad Terent. Phorm. 559) uulgaris sermonis est proprium: Terent. Heaut. 341 'ademptum tibi iam faxo omnem metum'. Videtur Scipio ludere Decium, quod magno hiatu et summis usus uiribus in hominem paruulum sagittas suas derigat, simul ita confidat arte sua et oculis ut uel nuculam configere se posse credat hastis suis oratoriis quae appellantur: uide ad incert. u. 1317. *cornici oculum configere* prouerbii loco dicitur de quo conf Otto de prouerb. p. R. s. u. *cornix*. Nux *παισὶ λιθοβλήτου παίγνιον εὐστοχίης* AP IX 3. Praenestinum contumacem describit Horat. serm. I 7, 28: sed hunc *Nuculam* Lucilii Praenestinum fuisse statuere non oportet.

1281. Varro de lingua Latina libro VII 30 'Apud Lucilium "quid tibi ego ambages *ambiu* (impressi *Ambiui*) scribere coner". profectum a uerbo ambe, quod inest in ambitu et ambitioso'. Ambiuium Turpionem Caecilii et Terentii histrionem propter temporis rationem hoc loco intellegi non posse intellexit Ritschelius Parerg. in Pl. et Ter. p. 187 adnot.: neque constat de nomine Ambiuii hoc u. De quantitate i mediae uide quae collegit ex inscriptionibus exempla Guilelmus Schulze 'Zur Geschichte lateinischer Eigennamen' Abhandlungen der K. Ges. der Wissensch. z. Goettingen Phil. Hist Klasse V 2 (1904) p. 68 quibus pro longa poni uocalem potuisse euincitur. Itaque uocatiuum *Ambiui* tolerari in uersu apparet. Frustra, inquit poeta, tibi ambages et nugas hominis uel hominum illorum equidem coner scribere.

1282. Gellius III 14, 8 'dimidium uero est, non quod ipsum dimidiatum est, sed quae ex dimidiato pars altera est ... (9) itaque Lucilius eadem secutus (*incert.* u. 1342) "uno oculo ... porcus" et alio loco "quidni et (conf lib. XXVI u. 649) scruta quidem ut uendat *et* scrutarius laudat praefractam (praefactam *VR*) strigilem soleam inprobus dimidiatam".' Charisius G L I p. 126, 4 K 'Clauim Tibullus (II 4, 31) ... strigilim quoque Lucilius, Varro de poematon (sic) II lentim, quod eorum nominum ablatiuus singularis in i exit'. Apud Tibullum l. s. s. codd omnes *clauem:* itaque in Lucilii u. *strigilim* uetustiorem et meliorem lectionem esse facile credideris. Scrutarius *γρυτοπώλην* quem dicunt Graeci Volteius ille Mena fuit quem memorat Horat. epist. I 7, 65 'uilia uendentem tunicato scruta popello'. Vendit scrutarius 'praefractam strigilim': fractam mercem improbam et perditam uocabant mercatores (Iuuen. IV 33): 'soleam dimidiatam', cuius et compar

solea deerat et quae ipsa erat ad dimidium redacta carie et uetustate; ita 'dimidios equos' Martial. X 2, 10, 'et Curios iam dimidios' Iuuen. VIII 4: semesos cibos uulgo dimidiatos dicunt (Suet. Tib. 34 hist. Aug. uita Pertin. 12, 2). Nihil huc pertinet quod Paul. ex Festo s. u. Ploti p. 239, 4 M tradit 'soleas quoque dimidiatas quibus utebantur in uenando, quo planius pedem ponerent, semiplotia appellabant'. Bis eadem comparatione usus est Horatius epist. II 2, 10 'multa fidem promissa leuant ubi plenius aequo laudat uenalis qui uolt extrudere mercis' art. poet. 416 'nunc satis est dixisse: "ego mira poemata pango: occupet extremum scabies"... ut praeco, ad mercis turbam qui cogit emendas adsentatores iubet ad lucrum ire poeta diues agris, diues positis in faenore nummis'. *inprobus* est scrutarius quod merces extrudit inprobas (Plaut. Mil. 727 Rud. 373). — Libro X tribuas: uide ad u. 388.

1284. Gellius XVIII 5, 8 'Pleraque enim ueterum aetas et hominem equo insidentem et equum qui insideretur equitem dixerunt. propterea equitare etiam, quod uerbum e uocabulo equitis inclinatum est, et homo equo utens et equus sub homine gradiens dicebatur. Lucilius adeo, uir adprime linguae Latinae sciens, equum equitare dicit his uersibus: "quis ... oculis equitat".' Hinc Nonius p. 106, 32 'Equitare quoque Lucilius *ecum* (cum *L* equum *G*) dicit, cum sit hominis *secum* (*ecum* Rothius) insidentis, "quis hunc currere ecum (ita *L*: equum *G*) *non aquae* equitare *uidebat* ... curritque oculis".' et Macrob. Saturn. VI 9, 11 'Lucilius namque, uir adprime linguae Latinae scius, equum equitare dicit hoc uersu "nempe hunc currere equum nos atque (ego *add cod P*) equitare uidemus".' De *eques* pro *equo* usurpato in lingua uulgari egit Woelfflinius archiu. lexic. Lat. X 1898 p. 286: equitare de equo hoc loco dicitur ut apud Xenoph. de re equest. XI 7 *ἣν δὲ καὶ ὅταν μὲν ἱππάζηται μέχρι πολλοῦ ἱδρῶτος ἐλαύνηται κτλ.* Sophistas impugnari monuit Scaliger in Dousae commentario ad incert. 12: nomen sophistae inuenitur ap. Lucilium incert. u. 1117 quem u. ad hunc l. pertinere suspiceris. Aemulatus est poeta ea cuius hi uersus fuerunt satura Platonis Euthydemum: etiam Chrysippum eiusmodi cauillationes exercuisse narrat Diog. Laert. VII 186 seqq. Exemplum ipsum sumptum esse uidetur e Peripateticorum schola: Aristoteles sophist. elench. cap. 20 p. 177 a 36 (Organon II p. 273, 36 Waitz.): *ἆρ' ᾧ εἶδες σὺ τοῦτον τυπτόμενον, τούτῳ ἐτύπτετο οὗτος;* b 10 *διαιρετέον οὖν τῷ ἀποκρινομένῳ· οὐ γὰρ ταὐτὸν ἰδεῖν τοῖς ὀφθαλμοῖς τυπτόμενον καὶ τὸ φάναι ἰδεῖν τοῖς ὀφθαλμοῖς τυπτόμενον.* Apertius scholiasta *ἆρ' ᾧ εἶδες τοῦτον τυπτόμενον τούτῳ ἐτύπτετο; ναί. εἶδες δὲ αὐτὸν τῷ ὀφθαλμῷ τυπτόμενον. τῷ ἄρα ὀφθαλμῷ ἐτύπτετο καὶ οὐ μάστιγι.* Ecus in hoc exemplo forsitan debeatur Lucilio rei equestris amantissimo:

etsi philosophi saepius similia scripserunt ueluti Plut. adu. Colot. cap. 23 p. 1120 a *εἰ περὶ ἵππου τὸ τρέχειν κατηγοροῦμεν κτλ.*

1287. Festus p. 257, 23 in Quintanam classem '... cilius sic meminit "quod —— adeptus".' Festi locum restituere conatur Mommsenus de iure publico p. R. III (edit. 1887) p. 285, 5. Quintanae classis erant qui 'nihil praeter se habebant': uidetur agi de homine qui se iactat atque ostentat ciuis Romanus factus infimi ordinis 'quod nunc iura siet quintanae classis adeptus'. Ita certe Cic. pro Flacc. 43 'adeptus est ordinem senatorium' de orat. III 136 'ad honores adipiscendos' alii. Conf Pers. I 130 'sese aliquem credens Italo quod honore supinus fregerit heminas Arreti aedilis iniquas'.

1288. Gellius IV 16, 6 'Sicuti Lucilius in eodem casu *uictu* et *anu* dicit, non *uictui* nec *anui*, in hisce uersibus "quod sumtum atque epulas uictu praeponis honesto" et alio in loco (lib. VII u. 280) "anu noceo, inquit".' Hinc Nonius p. 501, 23 'Ablatiuus pro datiuo. Lucilius "quod ... *dictu praepones* honesto".' Libro IV attribuit Dousa filius quibus uerbis idem ille Gallonium carpat gurgitem: comparat Cic. pro Quinct. 94 'qui relicta uirorum bonorum disciplina et quaestum et sumptum Galloni sequi maluerunt'. Reuera librorum I—VII fuisse uersum euincit series exemplorum qua ordinantur apud Gellium.

1289. Paulus ex Festo p. 283, 2 'Raua uox, rauca et parum liquida, proxime canum latratum sonans, unde etiam causidicus pugnaciter loquens rabula'. Festus p. 282, 14 '... uocem —— parum —— antem —— loquen —— Lucilium —— t raui'. Verbum extremum Lucilii fuisse consentaneum est qui scripserit ueluti 'clamarent raui' ita ut semiquinariam attulerit grammaticus. *rauus* et *raudus* recte poni *a* producta apud Apollinarem Sidonium inde manifestum est, quod *rauus* adiectiuum quod significat colorem et producta *a* ponitur apud Horatium non dubium est quin idem sit uerbum: nam *φαιός* similiter apud Graecos usurpatur et de colore et de uoce ueluti Sext. Emp. adu. mus. 41 p. 756, 21 B *καὶ οὐ ξένον εἰ ὥσπερ φαιάν τινα καὶ μέλαιναν καὶ λευκὴν φωνὴν ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν ὅρασιν αἰσθητῶν κεκλήκαμεν, ὧδε καὶ ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν ἁφὴν ἐχρησάμεθά τισι μεταφοραῖς.* Quamquam substantiuum *rauim* a correpta pronuntiari Plauti uersus Cistell. 304 testatur, tamen *rauio* pro cretico ponitur apud eundem Poen. 778.

1290. Seruius ad Aeneidos I 726 et ex eo Isidorus orig. XV 8, 6 et XIX 12 'Laquearibus. Principaliter lacus dicitur; ut Lucilius "*resultant* aedesque lacusque".' *resultantes* ueteres editores, *resultabant* Lachmannus: quod probabilius est quam quod Baehrensius transpositum posuit 'aedesque lacusque resultant': quod quidem ne probemus dehortantur (lib. I u. 37 XXX u. 1033 incert. u. 1229) 'mensesque diesque' 'maculasque notas-

que' 'populusque patresque' in exitu uersus posita omnia sicuti etiam Ennius consueuit in annalibus. Isidorus meliore codice usus esse non uidetur quam archetypus erat codd nostrorum nisi quod cod Sangermanensis teste Muellero XIX 12 praebet *aedisque* m. 1. — *aedesque lacusque* hendiadyoin recte appellat Scaliger ap. Dousam, sunt ea cauaedium laqueatum, Lucret. II 28 'nec citharae reboant laqueata aurataque tecta' (Lucan. X 113) Vergil. Aen. VIII 305 'consonat omne nemus strepitu collesque resultant' Plin. paneg. 73 'inde resultantia uocibus tecta, nihilque tantis clamoribus satis clausum' de laetitia publica.

1291. Porphyrio ad Horatii carminum I 7, 1 'Claram Rhodon. Propterea claram, quod soli sit opposita dicit. de qua et Lucilius sic ait "*Rhodus Carpathium* in pelagus se inclinat apertum".' Recte *apertum* dicitur pelagus sicuti Ouidius metam. VIII 165 'et nunc ad fontes, nunc ad mare uersus apertum' XI 397 'inde manus tendens in aperti litora ponti' IV 527 'summa riget frontemque in apertum porrigit aequor'. *se inclinat*, ut Homerus dixit δ 607 *οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος οὐδ' εὐλείμων αἵ θ' ἁλὶ κεκλίαται.* De mare Carpathio diximus ad lib. XIV u. 466: propter Rhodi insulae mentionem hunc uersum libro XIV attribuit Muellerus. ⟨*qua*⟩ addidi: latus Rhodi insulae ad occidentem situm describi manifestum est, lib. XIV u. 466 Rhodus est urbs, hoc uersu insula; 'Carpathium pelagus' etiam Horatius carm. I 35, 8.

1292. Festus p. 270, 4 'Rhondes Icadionque cum dixit Lucilius, quo (*duo*) nomina riparum (*piratarum*) posuit, tam infestum sibi corpus et ualitudinem referens, quam leuis sed (*quam illi essent* Scaliger) saluti nauigantium'. Paulus p. 106, 5 'Icadion, nomen saeuissimi piratae'. Cicero de fato 3, 5 e Posidonii libro 'Ne hercule Icadii quidem praedonis uideo fatum ullum. . . . quid mirum igitur ex spelunca saxum in crura eius incidisse'? *Rhondes* nomen barbarum: Steph. Byz. s. u. *Γόνδραι Θράκιον ἔθνος. λέγεται δὲ παρ' Ἡρωδιανῷ* (II p. 487 L) *Κίνδρα⟨ι⟩ καὶ Ῥόνδα⟨ι⟩.* Idem s. u. *Ῥονδαῖοι ἔθνος Θράκιον.* Itaque si recte legimus *Ῥόνδα⟨ι⟩*, Rhondes nomen proprium nomen est gentis ut saepe. Pro *Icadius* Lucilius hypocoristicon posuit ex uulgi sermone: *Ἰκαδίων* nomen Creticum (Dittenbergeri Syllog. edit. II 514, 49 et CIG 2598), Icadius Cres memoratur a Seruio pleniore ad Verg. Aen. III 332 extr. Strab. X p. 477 de Cretensibus *μετὰ γὰρ τοὺς Τυρρηνοὺς οἳ μάλιστα ἐδῄωσαν τὴν καθ' ἡμᾶς θάλατταν οὗτοί εἰσιν οἱ διαδεξάμενοι τὰ ληστήρια· τούτους δὲ ἐπόρθησαν ὕστερον οἱ Κίλικες. κατέλυσαν δὲ πάντας Ῥωμαῖοι τήν τε Κρήτην ἐκπολεμήσαντες καὶ τὰ πειρατικὰ τῶν Κιλίκων φρούρια* IGI M A III 328 Cic. de rep. III 9, 15. Nouerat piratarum timorem poeta itinere Siculo: anno demum 683/71 'L. Metellus praetor in Sicilia aduersus piratas prospere rem

gessit' (Liu. per. XCVIII), Pyrganionem archipiratam Sicilia decedere compulit (Oros. VI 3, 5) quem item Cretensem fuisse suspiceris collato nomine Pyrgionis qui de Cretensium institutis scripserit (Athen. IV p. 143 E) et Hesychio s. u. *Πυργῖται· οἱ Κρῆτες.* Duo nomina piratarum una posuit ut *Lamia et Bitto* meretrices lib. XXX u. 1065, *Caelius et Birrius* latrones Horat. serm. I 4, 69, eodem loco 65 una memorantur *Sulcius et Caprius* accusatores. — Consociarunt hoc fragmentum Scaliger Dousa Muellerus alii cum incert. u. 1277 ita fere scribentes: 'querquera consequitur capitisque dolores infesti mihi tam quam Rhondes Icadionque'. Rectius Baehrensius his spretis Festi uti uoluit uerbis qui scripsit (824): 'mihi corpus atque ualetudo sunt Rhondes Icadionque'. Fragmentum iure libro V tribuas ubi quod de *corporis* inconstantia conqueritur u. 189 congruit cum Festi uerbis quibus usus est Baehrensius. Vide ad incert. u. 1277 et u. 1314. In app. crit. scribe *leuis*.

1293. Nonius ex grammatico p. 223, 27 'Sibilum neutro . . . masculino . . . Lucilius "saxa et stridor ubi *atqueerunt dum sibilus institis*". Sagum generis neutri'. *atquierunt* Lipsius, qui de populi tumultu intellexit, idem *tum sibilus instat* uel *infit:* Ribbeckius Mus. Rhen. XXIX 1874 p. 128 maluit scribi 'saxei stridor ubi atque rudentum sibilus infit' memor uersus Pacuuiani (335) 'armamentum stridor . . . rudentum sibilus'; sicuti Dionys. Halic. de compos. uerb. cap. 16 p. 62, 15 VR *συριγμὸν κάλων.* Melius tamen de sententia iudicat Lipsius neque quod Vargesius (de libro III p. 13) Lipsii lectione probata ad Liparae insulae montis eruptionem pertinere uersum statuit quem ideo libro III tribuit equidem probauerim. Nam in Ribbeckii interpretatione 'saxei stridor' permolestum est, in Lipsii lectione 'atquierunt' siue correpta e positum est siue cum synizesi caret exemplo. *ruentum* posuit Muellerus in Lucilio, *furentum* uel *ruentum* proposuit in Nonio; *furentum* nos scripsimus: Vergil. Aen. I 150 'iamque faces et saxa uolant, furor arma ministrat'. In *institis* s extrema e sequentis uocabuli initio tracta, *ti* male repetita syllaba: conf prolegg. p. CXIV. *isti* scripsi: forti et constanti animo in contionem isti, ubi saxa clamores sibili te expectabant inuisum populo. De Scipionis constantia qua in contione populum exceperit magnopere tumultuantem conf Velleius II 4, 4 auctor de uir. illustr. 58, 8 [Plut.] apopthegm. Scip. 22. 23.

1294. Actum est de loco Charisii ad lib. IX u. 362 quem locum adeas. Difficiles sunt ad intellegendum et uerba Charisii et hi uersus Lucilii qui uersus illos libri IX antecedunt: qui cuius fuerint libri non traditur 'Lucilius tamen et per unum i genetiuum scribi posse existimat: ait enim

— — seruandi numeri, et uersus faciendi
nos Caeli Numeri numerum ut seruemus modumque.

Numquam enim hoc intulisset, nisi et Caelii et Numerii (*ita recte Dousa ex Coloniensi, numerum Neapolitanus*) per ii (*ita Dousa*, i *Neapolitanus*), huius Numerii faciendum crederet’. Itaque ex uerbis grammatici efficitur, poetam dixisse sese numeris et necessitate coactum genetiuo casu posuisse nomen amici, quod neque nominatiuo neque alio casu praeter genetiuum aut uocatiuum in uersu potuerit poni. Poteram equidem illud facere in sermone pedestri: at nunc seruandi numeri, et uersus tales faciendi, nos Caeli Numeri numerum ut seruemus modumque. Similiter Ausonius ad Paulinum p. 268 Peiperi ‘Paulino Ausonius. metrum sic suasit ut esses tu prior et nomen praegrederere meum’ e. q. s. Grammaticus ille quem secutus est Charisius falso et iniuria Lucilii uerbis putabat effici etiam *Caelii Numerii* genetiuum secundum poetae opinionem posse fieri sicuti falsa protulit ille quem excerpsit Cassiodorus GL VII p. 206, 23 K ‘si lucus magnus magus sunt nominatiui eorum, unum i in genetiuo habebunt ... si autem Lucius Magnius Magius proferantur, duo i in genetiuo habebunt, Lucii Magnii Magii, quod ipsum Lucilius adnotauit cum a numero Numerius discerneret’. Qui parum accurate eum quem secutus est auctorem perspexisse putandus est. Denique Lucilii incert. u. 1310 apud Charis. GL I p. 71, 10 K ubi de uocatiuo uocabulorum in *ius* exeuntium agitur ita est comparatus, ut nihil inde possit deduci ratiocinationis. — seruandi numeri] hoc loco primum uocabulum numerus occurrit in litteris Latinis: nam Plauti epitaphium de quo diximus ad lib. III u. 111 post Lucilii aetatem uidetur esse confictum. Numerus idem est atque *μέτρον*, modus *ῥυθμός*: GL VI p. 609, 7 K ‘rhythmos Graece, modus dicitur Latine p. 610, 22 ‘metra Graece, Latine numeri uocantur’ eademque ratione his artis uocabulis utitur Horatius serm. I 4, 7 ‘mutatis tantum pedibus numerisque’ 56 ‘his ego quae nunc olim quae scripsit Lucilius eripias si tempora certa modosque’. Etenim secundum uetustam quae extat GL VI p. 610, 23 doctrinam ‘huius (i. e. numeri) pars integra pes ... modorum elementa spatia syllabarum ac tempora’. Idem uersus exitus incert. u. 1331 Horat. epist. I 18, 59 ‘quamuis nil extra numerum fecisse modumque curas’ (II 2, 144) Martial. X 33, 9 ‘hunc seruare modum nostri nouere libelli’. Ad Caelium ultimam lib. XXX saturam fuisse missam constat si recte u. 1079 constituimus: ubi uide quae adnotata sunt.

1296. Nonius p. 371, 18 ‘Praestare, antecellere. ... Lucilius lib. *XXVII* “si *facies* praestat (sic codd: Iunius et Mercerus addunt *facie*) si corpore corpus”.’ Numeros dactylicos recte agnouerunt editores, unde libri numerum corruptum esse statuendum erit. Etenim cum antecedant apud Nonium uersus ex libris XXX (1089) XXVII (u. 719) petiti, sequantur fragmenta ex

libris XXX (974) XXVI (u. 611), neque XXVIII neque XXIX libri poterit esse neque XXVII neque XXVI ille uersus dactylicus sed probabilissimum erit eum deberi grammatico Nonii auctori et fuisse e libro XVII cui tribuunt Quicheratius et Lachmannus. Quod excidit *facie* utique est datiuus; quare post *corpore* ablatiuum excidisse ueluti *pulchrius* statuendum est. De pulchritudine mulierum Lucilius egit lib. XVII uu. 540 seqq.

1297. Festus p. 290, 10 ‘Suppum antiqui dicebant quem nunc supinum dicimus ... eius uocabuli meminit etiam *Lucius*, “si ... suggeri (*sic*) suppus”.’ De scriptura *suggeri* uide ad *cognitu* incert. u. 1235. De *suppus* Muellerus adnotat (incert. 72): ‘suppus idem quod superbus, nisi fallor, ut alias *supinus* uel *resupinus*’. Suppum esse supinum Verrio credendum esse arbitror: sed de fastu uel superbia omnino in hoc uersu actum esse argumentum minime indicat. Si mulieri nihil das, irata tibi pedem struit: si uero das, et ambabus argentum adfers manibus corpore supinus propter nummorum quos saccus continet pondus immane, te contemnet ut sibi addictum et amore plane perditum. Solent uidelicet qui grauiora onera ambabus adferunt manibus ante uentrem positis, caput paululum reicere et reflectere retrorsum quo motu pondus nimium quod dependet de manibus in antica corporis parte tamquam in trutina exaequetur. Libri XXIX uidetur fuisse uersus: conf u. 866.

1298. Festus p. 206, 26 ‘Petauristas Lucilius a petauro (procuro *uel* petere *apogr.*) appellatos existimare uidetur, quom ait “sicuti mechanici cum alto exiluere peteuro (peteuro *apogr. Vatic.* 3369)”. At Aelius Stilo ⟨*quod*⟩ in aere uolent, cum ait “Petaurista proprie Graece ideo, quod is *πρὸς ἀέρα πέταται*”.’ Petauristas similes siue petauristarios commemorant astrologi ueluti Manetho III 443 *ἱπταμένους γυίοις ἐναλίγκιον ὀρνίθεσσιν πιλναμένους τε νέφεσσιν ἐπ’ ἠνεμόεντι πετεύρῳ* (conf IV 278; Claudian. Paneg. Manl. Theod cons. 320 p. 188 Birt. ‘uel qui more auium sese iaculentur in auras’ Iuuen. XIV 265 ‘an magis oblectant animum iactata petauro corpora’) Manil. V 440 ‘corpora quae ualido saliunt excussa petauro alternosque cient motus, delatus et ille nunc iacet, atque huius casu suspenditur ille’ quem locum Corpetus attulit: uaria genera eiusmodi ludorum describunt Martial. II 86, 7 XI 21, 3 Petron. 53 extr. Galen. protrept. cap. 9. Sed *mechanicos* istius generis homines appellatos fuisse nusquam est traditum: nominantur enim fabri apud Romanos mechanici (Suet. Vesp. 18 Colum. III 10 init.), sicuti apud Graecos Hero pneum. I p. 2, 5 Schm. meminit *τῶν παλαιῶν φιλοσόφων τε καὶ μηχανικῶν* p. 456, 4 ipse audit *ὁ μηχανικός*. Itaque cum Festi uerba ‘*existimare uidetur*’ dubitantem de sententia Lucilii prodant auctorem, rectius erit fabros intellegere, qui, sicuti milites obsessores

in sambucae petauro ap. Polyb. VIII 6, 8, simili machina sursum tolluntur in summa tabulata aedium et turres quo commodius damna uel tempestate uel aliis casibus facta inspiciant. *peteuro* formam unum seruauit apographon, *petauro* uulgo: conf Kaibelius ad Galen. l. s. s. — de *sicuti* dactylo uide ad lib. V 198 XXX 1029.

1299. Hieronymus epistula ad Chromatium Iouinum Eusebium I p. 20 Vallars. 'In mea enim patria rusticitatis uernaculae deus uenter est, et in diem uiuitur, et sanctior est ille, qui ditior est. "Accessit huic patellae" iuxta tritum populi sermone prouerbium "dignum operculum" Lupicinus sacerdos (secundum illud quoque, de quo semel in uita Crassum ait risisse Lucilius, "similem habent labra lactucam asino carduos comedente"), uidelicet ut perforatam nauem debilis gubernator regat et caecus caecos ducat in foueam (Matth. XV 14) talisque sit rector quales illi qui reguntur'. Doctissimam hanc lectoribus uoluisse Hieronymum uideri epistulam facile quiuis intellegit qui eam perlegit: in qua tangit Marcelli apud Nolam uictoriam, Ptolemaei et Attali regum edicta Vergilii uersus. Lucilii quae noua adfert, ea minime sumpsit e poetae carminibus, sed uidetur sumpsisse aut e libro Ciceronis hodie deperdito quomodo statuit Muellerus in commentario p. 285 aut ex commentario orationis in Verrem. Hoc ideo probabilius uidetur, quod uerba s. s. inprimis concinunt cum uerbis Asconii falsi ad Verr. act. I 5 adscripta ad fragmentum (1300) quod sequitur, Volcacii commentarios in Ciceronis orationes memorat adu. Rufin. I 16 uol. II p. 472 Vallars. Septenarium ex Hieronymi uerbis concinnat Muellerus 'similem habent lactucam labra comedente asino carduos' (incert. 175 Mus. Rhen. XXIV 1869 p. 249) nisi quod in apparatu critico adnotat *puto* labia, similem uersum ponit Ribbeckius CRF edit. III p. 152 Buechelerum secutus 'similem habent labiae lactucam comedente asino carduos'. Atque conicit Muellerus Crassum comoediae hunc uersum alicuius publice risisse in theatro. Tamen asinorum proprie esse *labra* testatur Donatus ad Ter. Eun. II 3, 45 'labra sunt superiora, labia inferiora, † labrae asinorum proprie dicuntur' (Seru. ad Verg. buc. II 34 Isid. or. XI 1, 50): ubi *labeae* Klotzius, rectius scribes *labra et* (Labiae de asini labris pendulis Apuleius metam. III 24 extr. 25 init. 27 med. VII 3 extr. X 16 extr.). Sed multo probabilius fabulam illam de Crasso narrasse Lucilium hexametris, uerba ab Hieronymo ita esse uexata, ut uersus Lucilii nequeant recuperari. Neque in theatro uersum illum audierat Crassus septenarium, sed risit, cum ueluti in conuiuio conuiua facete illud dictum pronuntiaret, quo turpem hominem turpem inuenisse uel amicum uel uxorem indicauerit, digna denique obtigisse dignis. *Carduos* creticum uix posuit Lucilius, *lactucam* uocabulum positum erat in prouerbio propter *labra* sicuti dicitur inter *os* et *offam*

similia per parhomoeon, ablatiuus absolutus *asino comedente* durior Hieronymi esse uidetur, sed *comedere* recte est positum in historia de asino ficus comedente quem ridens Philemo expirauisse dicitur ap. Val. Max. IX 12 ext. 6. Turpia labra asini memorat Xenoph. Conuiu. V 7 *διὰ δὲ τὸ παχέα ἔχειν τὰ χείλη οὐκ οἴει καὶ μαλακώτερόν σου ἔχειν τὸ φίλημα; ἔοικα, ἔφη, ἐγὼ κατὰ τὸν σὸν λόγον καὶ τῶν ὄνων αἴσχιον τὸ στόμα ἔχειν.* Turpe os igitur habere turpia olera qualia sunt cardui si asinus carduos cenat dicit prouerbium: ipsa olera olla legit Catull. 94, 2. Ablatiuum *asino carduos comedente* negat ad prouerbium pertinere Otto de prouerbiis p. R. s. u. labrum p. 182 hoc modo qui uertat 'Als ein Esel Disteln fraß, sagte jemand "similem habent labra lactucam" sie passen zueinander, worüber der sonst immer ernste Crassus lachen mußte, das einzige Mal in seinem Leben'. At corruit hac ratione probata structura uerborum in Hieronymi sententia in qua claudicat ablatiuus hoc modo si interpretabimur ita peruerse positus ut ferri omnino nequeat. Nam uerba illa 'secundum illud quoque' (prouerbium), quae dicta sunt ut antea 'iuxta tritum populi sermone prouerbium' sequitur primum enuntiatum relatiuum (*de quo* e. q. s.), deinde prouerbii uerba: a quibus ablatiuus absolutus si diuelletur, omnino non habebit quo pertineat. Monet Vollmerus idem extare prouerbium apud Eugenium Toletanum carm. 89 eius quam praeparat editionis 'carduus et spina cum pastum praebet asello lactuca labris compar est' (Mignei patrol. Lat. LXXXVII II carm. 50 p. 393).

1300. Cicero de fin. bon. et mal. V 30, 92 'At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in uita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus agelastus, ut ait idem, uocaretur'. Idem Tuscul. disput. III 15, 31 'Nec uero ea frons erat, quae M. Crassi illius ueteris, quem semel ait in omni uita risisse Lucilius'. Asconius falsus in actionem I in Verrem 5 p. 128 Orell. ' "Semel ait se in uita pertimuisse". Ex eodem sensu est, quod semel in uita risisse Crassum scribit Lucilius. unde Vergilius mihi uidetur dixisse (Aen. VIII 222) "tum primum nostri Cacum uidere timentem".' Confer Macrob. Sat. II 1, 6 Amm. Marcell. XXVI 9, 11 Apollin. Sid. carm. XXIV 13 Hieronym. ep. ad Demetriad. I p. 989 Vall. adu. Rufin. (I 30) II p. 486 (uide fragmentum quod antecedit 1299). Plinius nat. hist. VII 79 (Solin I 72) 'Ferunt Crassum auum Crassi in Parthis interempti numquam risisse, ob id agelastum uocatum' Fronto ad M. Antoninum p. 151 N 'Vt olim Crassus tristis risum oderat'. Pater triumuiri consul fuit 657/97 P. Licinius M. f. Crassus Diues, auus igitur M. Licinius Crassus senex erat Lucilii aetate. De Phocione [Plutarch.] apopthegm. reg. et imp. p. 187 F *ὑπ' οὐδενὸς οὔτε γελῶν ὤφθη οὔτε δακρύων*, Alciphr. III 64 (28 Schepers.) philosophum appellat *αὐστηρὸν*

πρεσβύτην καὶ ἀμειδῆ. ἀγέλαστος antiquum uocabulum Atticum (Hymn. Cer. 200 Aeschyl. fragm. 290 N) Plutarchus adhibet Cicer. cap. XXXVIII med.

1301. uide ad lib. V u. 213.

1302. Isidorus orig. XVII 7, 27 'Suberies arbor, ex qua ualidissimus cortex natatorius extrahitur. et ideo appellata eo ⟨*nomine*⟩ quod fructus eius sues edunt: porcorum enim alimenta sunt non hominum, et dicta suberies quasi subedies'. Festus p. 294, 15 '—— ex qua cortex —— Lucilius —— ti hibernacu ——'. Quem locum iure Festi editores supplerunt ex Isidori uerbis s. s. Itaque Lucilii uersus continebat uocabulum *suberies* quod alibi non inuenitur, formatum fuerat a poeta ad similitudinem substantiui *materies*. Praeterea quartum et quintum pedem hexametri oppleuerat *hibernacula* uocabulum neque dubitauerim quin milites Romani illa materie usi exaedificarint apud poetam hibernacula sua quo uocabulo solent casae ipsae quibus utebantur in hibernis appellari. Neque porro dubium erit quin in Hispania terra ea regione qua Numantia et Palantia sita erant oppida illa hibernacula fuerint posita. Nam etiamnunc et in Lusitania et in Estremadura superiore suberies arbor plurima nascitur: nasci eam in Hispania qua in terra hodieque celeberrimae corticum sunt fabricae ex silentio Plinii colligas qui nat. hist. XVI 34 de subere 'usus eius . . . cadorum obturamentis, praeterea in hiberno feminarum calceatu . . . . sunt et qui feminam ilicem uocent, atque, ubi non nascitur ilex, pro ea subere utantur in carpentariis praecipue fabricis, ut circa Elim et Lacedaemonem. nec in Italia tota nascitur aut in Gallia omnino': conf Hehnii librum de plantis et bestiis domesticis edit. VI 1894 p. 559. Scripsit poeta hoc fere modo 'siluisque propinquis suberiem largam nacti hibernacula ponunt'.

1303. Paulus p. 276, 13 'Remillum dicitur quasi repandum'. Festus p. 277, 20 'Re —— Lucilius ''suda —— *remilium*'', et Afra⟨nius (423 R) . . . co⟩xendice pergam ⟨remillo⟩''.' Suda uentorum sunt flamina (lib. XXIX u. 871) uel tempestas ita appellatur: *remillum* quod *repandum* adiectiuo enarrat grammaticus, sicuti *repandum* lib. V u. 212, et *remillum* in uersu s. s. Afranii, item in hoc uersu ad corpus hominis uel animalis pertinere conicias: 'tergo delphina recuruo' Ouid. fast. II 113. Itaque talem fere uersum constituas: 'sudaque delphini tergum fouet aura remillum'.

1304. Varro de lingua Latina libro VII 47 'Apud Lucilium . . . et ''sumere te atque amian'' piscium nomina sunt, eorumque in Graecia origo'. Paul. Fest. epit. p. 21, 9 'amian genus piscis'. Agitur de amia Athen. VII p. 277 F seqq. Sotad. CAF II p. 448, 26 K. Penthemimerem recte traditam non est cur mutemus:

suppleas ueluti 'licet coracinum sumere te atque amian stomachus si firmus'.

1305. Cicero ep. ad Atticum XIII 21, 3 'Nec est melius quicquam quam ut *Lucullus* (*Lucilius* Malaspina) ''sustineas . . . equosque''.' Acad. prior. II 29, 94 'Nihil me laedit, inquit, ego enim ut agitator callidus prius quam ad finem ueniam, equos sustinebo, eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, praeceps erit'. Lael. 17, 63 'Est igitur prudentis sustinere ut cursum, sic impetum beniuolentiae, quo utamur quasi equis temptatis, sic amicitiis, ex aliqua parte periclitatis moribus amicorum'. sustinere est quod ap. Hom. Ψ 321 dicitur κατίσχειν.

1306. Nonius ex grammatico p. 229, 2 'Torpor generis masculini. *Lucretius:* ''tantus conduxerat omnia torpor''.' Lacuna in codd Lucretii facta haustum esse hunc uersum multi suspicati sunt inde ab Lachmanno (comment. in Lucret. p. 399 extr.). Tamen cum *torpor* nomen apud solum Lucilium inueniatur si ueteres spectes scriptores (lib. X u. 391), nihil probabilius quam Lucilii nomen reponendum esse quod recte reposuit Rothius. Plaut. Rud. 215 'algor error pauor me omnia tenent' ubi omnia accusatiuus est potius quam nominatiuus.

1307. Festus p. 363, 21 'Tappulam legem conuiualem ficto nomine conscripsit iocoso carmine Valerius Valentinus, cuius meminit Lucilius hoc modo, ''tappulam rident legem *conterere* opimi''.' Paulus p. 362 'Tapulla (*Tappula* edidit Thewrewkius) dicta est lex quaedam de conuiuiis'. Egregio hunc uersum ornauit commentario Buechelerus in indice lection. uniu. Bonnensis aestat. 1877 p. 5 seqq. qui Scaligeri rationem sequatur in scriptura constituenda hoc modo 'Tappulam rident legem congerrae Opimi', i. e. congerrones siue conlusores Opimi Iugurtini illius, de quo agitur libro XI u. 418. Tamen *conterere* uel *conter̄* apographa, *concere* edidit Vrsinus: tum *congerrae* substantiuum nulla ueterum niti auctoritate iure suo adnotat Lachmannus; neque Festi locum corruptum p. 297, 29 quod idem recte dicit Lachmannus hanc uocem exhibuisse poterit demonstrari neque qui oritur hiatus licet exemplis potuerit excusari aliunde petitis Scaligeri commendabit rationem. Qua de causa ne I. Dousae quidem coniectura plausum feret (incert. 46) qui adhibita glossa CGL II p. 106, 41 'concenae σύνδειπνοι' uersum uoluit sanari. Ego temptaui *canterii:* quod si scripsit Lucilius homines fatuos ita appellauit et opimos. Varronis et Verrii temporibus cantherius appellabatur ecus castratus (Varr. rer. rust. 2, 7, 15 Paul. ex Fest. p. 46, 8), apud Plautum pro homine stupido ponitur et somnulento Men. 395 'certe haec cantherino ritu mulier astans somniat' Cistell. 307 'quamquam uetus cantherius sum, etiamnunc, ut ego opinor, adhinnire equolam possum ego hanc', Pompon. 112 'magnus manduco, camellus . . .

cantherius', sicuti apud Graecos *κανθήλιος* pro stupido et pingui ponitur (Lysippus CAF I p. 702, 7 K). Adiectiuum *Tappulam* (ita bis apogr. Politiani, *tapullam* bis reliqua) recte deduxisse Buechelerum a *Tappo* cognomine et comparasse recte cum *lenullus homullus Marullus* nominibus confirmauit legis Tappulae fragmentum inuentum Vercellis editum Bulletin. del. inst. archeol. 1882 p. 186 CIL V suppl. Ital. 898 Brunsii font. iur. Rom. edit. VI 1893 p. 122 Buecheleri Petronii edit. IV 1904 p. 241: '⟨lex⟩ Tappula . . . ius Tapponis f. Tappo (conf CIL V 4183 C. Tappo Tapponis f. sibi et Tapponiae e. q. s.) cis⟨ta⟩ . . . dicta conlegarum eoru⟨m⟩ . . . M. Multiuori P. Properoc⟨i⟩ (conf Plaut. Cist. 638) . . . ronis plebem Romana⟨m iure rogauit pl⟩ebesque Romana iure sci⟨uit . . . ae⟩de Herculis a. d. XI k. unde⟨cembr. primus pro trib⟩u Satureia principi⟨o sciuit . . . Ta⟩pponis f. pane repeti⟨to⟩'. Sciuit plebes panis genere quodam quem *δίπυρον* nominant Graeci sicuti Spartae fieri solebat in conuiuiis (Plut. Lycurg. 12). Quae lex num eadem reuera sit quam tangit Lucilius, dubium est, quod Festo si credimus uersibus illa Luciliana erat composita. Quod eo facilius credemus quod poeta erat Valerius Valentinus auctore Val. Max. VIII 1, 8 'C. etiam Cosconium Seruilia lege reum propter plurima et euidentissima facinora sine ulla dubitatione nocentem Valeri Valentini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen, in quo puerum praetextatum et ingenuam uirginem a se corruptam poetico ioco significauerat erexit'. Denique quod a. d. XI k. undecembres uel undecimas — utrumque enim propositum est a uiris doctis — comitia fiunt, eum numerum undenarium bis positum stultorum esse numerum apparet sicuti etiamnunc numerus iste XI mensi Februario in terra Rhenana pompis carri naualis tanquam stultorum est celeberrimus. Adfert K. Kiesslingius indic. schol. hib. uniu. Gryphisw. 1884/5 p. V Dionis (LIV 21) locum ubi Licinius temporibus Augusti procurator Galliarum auaritia insignis traditur menses fecisse quattuordecim quo reditus menstruos augeret, *λέγων τὸν μῆνα τοῦτον τὸν Δεκέμβριον καλούμενον δέκατον ὄντως εἶναι καὶ δεῖν διὰ τοῦτο αὐτοὺς καὶ τοὺς δύο τοὺς ὑστάτους ὧν τὸν μὲν ἑνδέκατον τὸν δὲ δωδέκατον ὠνόμασε νομίζειν, καὶ τὰ χρήματα τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτοῖς ἐσφέρειν.* Neque tamen nouum aliquid Licinius ille fecit cum idem machinatus sit iam Agis Lacedaemoniorum rex (Plut. Agis cap. 16). Itaque Vercellensis aliquis ad exemplum Valerii Valentini post Lucilii aetatem legem illam cuius exordium seruatum est censendus est confecisse pedestri oratione. Tappulus deminutiuum cognomen est Villiorum ueluti consulis 555/199, Tappo Valeriorum (Liu. XXXV 10, 11 XXXVII 46, 11), utrumque cognomen forma tantummodo discrepat, re idem est. Nam quod *Tappulus* l scribitur non geminata, id inde factum est quod in

nomine proprio uetusta in semiuocalibus orthographia diutius obtinuit sicuti in nummis *Memius Sisena* legimus alia. Lex autem Tappula dictum pro Tappulina quo de usu egimus ad lib. XXVI u. 676: cuius auctor in lege ipsa Tappo dicitur, in titulo legis Tappulus, sicuti Plauti Poenus, qui in fabula ipsa semper hoc nomine nominatur (1410), in titulo est Poenulus. Sed reuera Valerium illum Valentinum praeterea Tapponis uel Tappuli cognomen habuisse sicuti illos Valerios de quibus Liuius l. s. s. omnino probabile non est sed dictus est Valentinus eadem ratione qua grammaticus Valerius Soranus, historicus Antias a patria. Tappo quid significet, obscurum est: scurram uel stolidum significari apud Catullum CIV 4 censet Kiesslingius l. s. s. Causam illam dixit Valerius Valentinus de qua Valer. Max. l. s. s. anno fere 667/87 senex, cum C. Cosconius praetor fuerit anno 665/89 (Appian. b. c. I 52 Diod. XXXVII 2, 8), carmen illud legis Tappulae adulescens composuit. De legibus conuiualibus Buechelerus egit docte l. s. s. qui contulit philosophorum Graecorum *νόμους συμποτικούς* (Athen. I p. 3 F V p. 186 B Plat. legg. II p. 671 C), Gnathaenae meretricis *νόμον συσσιτικόν* (Athen. XIII p. 585 B), fragmentum legis conuiualis in exitu Queroli positae (Petron. edit. s. s. p. 242). Similis lex Postumiae magistrae quam appellat Catullus XXVII 3 uidetur fuisse: inter Graecas memorabilis est CIA III 23 (Kaibelii EG 1128), tum lex conuiualis posita in Luciani Saturnalibus Cronosol. 17. Sententia similis esse uidetur eius quam profert de testamento porcelli Hieronymus in praef. libri XII commentar. in Isai. IV p. 493 Vall. (Petron. Buecheleri edit. IV p. 243) '. . . Timaeum . . . Tullius se non intellegere confitetur, testamentum autem Grunnii Corocottae, porcelli decantant in scholis puerorum agmina cachinnantium' idem contr. Rufin. I 17 II p. 473 'quasi non . . . testamentum suis Bessorum cachinno membra concutiat atque inter scurrarum epulas nugae istiusmodi frequententur'. Philosophorum scripta nemo legit: Tappulam legem opimi uentres ridentes rumpuntur. [conf Herm. XXXIX 1904 p. 327 seqq.]

1308. Varro de lingua Latina V 23 'Terra, ut putant, eadem et humus. . . . humor hinc. itaque ideo Lucilius "terra *abiit* . . . imbremque".' *abit* Augustinus. Libro III attribuit Vargesius de libro III Lucilii p. 10, 30 qui haec adnotat: 'Prouectis e portu uel tempestate serena *terraeque urbesque recedunt*, ut ait Virgilius Aen. III 72. Lucilio autem littora legenti terrae aspectum ademit *nigrans commixtis imbribus nimbus*. Virg. Aen. IV 120 cf. III 198'. Agitur potius de tempestate subito coorta qua terra commutata esse uideretur in nimbos et imbrem: *abire* uerbum proprium metamorphoseon Ouidii ueluti I 236 'in uillos abeunt uestes, in crura lacerti'. et ita passim.

1309. Nonius ex grammatico p. 546, 25 'Carchesia . . . summa pars mali, id est foramina quae summo mali funes recipiunt. Lucilius "tertius . . . summa".' Seruius auctus ad Aen. V 77 'carchesia . . . dicitur autem et summitas mali per quam funes traiciunt'. Tertio libro adscripsit Dousa qui uocabulum *tertius* e uersu eiecit et *Lucilius tertio* scripsit, *tertius* seruauit Muellerus, tamen *tertio* ante exordium uersus excidisse censet. Neutra probabilis est coniectura. Nautam in carchesium ascendentem agnoscit Vargesius de Lucilii lib. III p. 10 collato Vergil. Aen. II 302, rectius Muellerus de fluctibus comparato minus apte Graecorum uocabulo *τρικυμία* uoluit intellegi (Plat. reip. V p. 472 A): apud Vergil. Aen. I 103 procella fluctus 'ad sidera tollit'. Lucilii hemistichium mutarunt Cinna (PRF p. 323, 4 Baehrens.) et Lucanus V 418 pro 'mali . . . carchesia summa' qui posuerint 'summi carchesia mali'.

1310. Charisius GL I p. 71, 7 K 'Plus in hac obseruatione geminandi i in masculinis animaduertimus, ut hic Aemilius huius Aemilii, hic Iulius huius Iulii. in uocatiuo tamen i litteram subtrahimus. nam si o Aemilii et Iulii (*o Aemilie et Iulie* Dousa e 'uetere codice') dixeris, Graece declinaueris, ut Lucilius "*tierei leontado ct et pumone cthermo pulas*".' Vetus Dousae codex, qui praeberet *o Aemilie ct Iulie* (ad incert. 76), ueram in hoc loco scripturam seruauerat: de Lucilii uersu qualis in codice uetere fuerit, nihil ille adnotat. Leonidam et Thermopulas facile agnouerunt editores, reliqua omnia incerta. Vocatiuus agnoscendus est in litteris *pumone e* ante *Thermopulas*: *Numonie* temptaui. Nam ante *Leonidae* nomen deest tantummodo trochaeus qui aegre aptum uocatiuum compleat. Amicum, qui castra erat petiturus, iocose uidetur esse allocutus poeta sicuti Caelium alloquitur lib. XXX u. 1079, Horatius carm. I 29 Iccium. 'Te ire, Leonida uti, Numonie, Thermopulas —' temptaui: de elisione monosyllabi conf incert. u. 1266 lib. VII u. 266 indic. gramm. s. u. elisio (L. Muelleri de re metr. ed II p. 351); *Numonie* uocatiuum potuit fingere in nomine gentis semigraecae (IGIS 617. 618 Kaibelii) ad similitudinem formarum quales sunt *Saturnie Telamonie* in exitu similium: de u uocalis mensura non constat, Graeci modo *Νουμώνιος* (l. s. s.), modo *Νομώνιος* (Kaibelii EG 471). Lucilium tamen, Graecum cum posuerit uocatiuum, consentaneum erat item ponere Graeca cum quantitate u litteram.

1311. Glossarium Vaticanum CGL IV p. 186, 43 'Transennas (*transennan* cod) dicit tegulas per quas lumen admittitur Lucilius (ita Goetzius: *luč* cod) a transeundo appell*atas* (*apett* cod)'. Conf Non. p. 180, 16. Reliquas glossas eiusdem generis uide in Thes. gloss. emend. s. u. transenna. — *luč* scribitur pro Lucretius Charis. p. 207, 3 K in cod N: locus tamen dubium est num sit Lucretii. [Ante u. 1312 tollas signum *.]

1312. Cicero de natura deorum I 23, 63 'Quid de sacrilegis, quid de impiis periurisque dicemus? "Tubulus si Lucius umquam, si Lupus aut Carbo aut Neptuni filius", ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus aut tam impurus fuisset?' Enumerat Lucilius tres homines impios qui deos non curauerint, addit facete quartum dei filium Cyclopa: qui Scaligerum secuti illud *aut* ante Neptuni filius sustulerunt, sustulerunt ii quidem una elegantissimi poetae facetias qui per saturam miscuerit humana diuinis, immortales mortalibus, mortuis uiuos. Nam Polyphemus Hom. *ι* 273 seqq. *νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας, ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν ἢ ἀλέασθαι· οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰμεν· οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην οὔτε σεῦ οὔθ' ἑτάρων.* Neptuni filius Liuii Odyssia sat notus erat pueris: cuius libri ea editio, in qua inter Ennii mortem et Lucilii senectutem Saturnii in heroos erant mutati, praebebat uersum illum (Priscian. GL II p. 419, 15 K) 'cum socios nostros mandissēt impius Cyclops'. De Neptuni filiis conf Gell. XV 21 Varro sat. Menipp. 226 B: peregrinos Neptuni filios appellari tradit Seruius ad Aen. III 241. Cum poeta uix potuerit dicere Polyphemum deos esse negasse, hos quos appellat impios Lucilius deorum iram potius non curasse dixisse putandus est: quam Cicero sententiam ita mutauit, ut uerba eius pedestria uersuum reliquias continere nequeant, praeterquam quod apodosim illam 'tam periurus *aut* (del Bouterwekius) tam impurus fuisset' probabiliter statuerunt numeris currere dactylicis. Fragmentum libro I tribuit I. Dousa. Tres homines sceleratos cognominibus gentiliciis omissis appellat Lucilius secundum temporis ordinem et maleficiorum. Primum posuit L. Tubulum, quem quis fuerit Cicerone auctore comperimus: neque tamen ullo loco eum gentis appellat nomine quod nomen *Hostilius* eruitur nummo (Babelo Monnaies de la république I p. 548 Mommsenus de re numm. p. 513, 76). Praetorem eum fuisse anno 612/142 tradit ad Att. XII 5, 3 (P. Wehrmanni Fasti praetorii p. 9). Qui cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaeuola tr. pl. ferret ad plebem . . . decreta est . . . consuli quaestio Cn. Caepioni (Cic. de fin. II 54 IV 77 V 62 de nat. deor. III 74). De eodem Tubulo quem primo poeta loco posuerit Cicero clamat initio Scaurianae (Ascon. p. 20, 24 KS) 'Si . . . pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus . . .'. Huic malo iudici consociatur Lupus iudex improbus quo de uide quae diximus ad lib. I u. 3 seqq. XXVIII u. 785. Tertius est Carbo. Qui cum nulla re distingueretur cum tres fuerint fratres Carbones (Cic. epist. IX 21, 3) in quibus erat 'Marcus P. Flacco accusante condemnatus, fur magnus, ex Sicilia',

clarissimum esse oratorem hoc loco C. Papirium nominatum a Lucilio recte statuerunt ueluti Franckenus Coniect. crit. in Lucil. librorum decad. II et III p. 75 qui comparat Plut. Praec. reip. ger. 4 p. 801 B. Quem appellasse uidetur poeta inter homines immanes ideo, quia fama erat Scipionem Aemilianum ab eo necatum fuisse (Cic. ad Q. fr. II 3, 3 epist. IX 21, 3 de or. II 170).

1314. Maximus Victorinus de ratione metrorum GL VI p. 216, 13 K 'Ennius quoque ait "uita illa dignus locoque" (= *Lucil. lib. IV u.* 150) quasi "dignu locoque" dixerit. Similiter Lucilius ait "tum lateralis dolor, certissimus nuntius mortis" pro "tum laterali dolor, certissimu nuntiu mortis".' In altero fragmento cum errarit grammaticus de nomine auctoris, eundem in altero ita errasse ut auctores inter se confuderit censet I. Beckerus Zeitschrift f. d. Alterthumsw. VII 1849 p. 329: unde Ennium auctorem esse huius uersus arbitrantur: conf Vahlenus (Ennii reliqu. annal. 622) Muellerus (Ennii reliqu. annal. 509). At multo probabilius est uno tantummodo loco errasse grammaticum id est priore loco uersumque Lucilii esse. Nam argumentum certe saturae magis conuenit quam annalibus populi Romani. Libro V attribuas ubi Orci portas modo sese adiisse indicet poeta u. 182. Coniunxit hunc u. cum u. 1292 et u. 1277 F. Dousa in commentario qui apte contulit Cic. de orat. III 6 'Namque tum latus ei dicenti condoluisse sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo est lateris dolore consumptus': idem attulit Iuuen. XIII 229 'praeterea lateris uigili cum febre dolorem si coepere pati'. Simili morbo quam pleuritin dicunt periisse traditur septimo die Marius Plut. Mar. 45. AP XI 382 *κεῖτο μὲν Ἀλκιμένης κεκακωμένος ἐκ πυρετοῖο καὶ περὶ λαυκανίην βράγχα λαρυγγιόων νυσσόμενόν τε τὸ πλεῦρον ἅτε ξιφέεσσιν ἀμυχθὲν καὶ θαμὰ δυσκελάδοις ἄσθμασι πνευστιόων κτλ.*

1315. Nonius ex grammatico p. 224, 3 'Spari, quod est genus teli, masculino genere . . . neutro Lucilius, "tum spara, tum *rumicis*".' Paulus ex Festo p. 271, 2 'Rumex, genus teli simile spari Gallici'. Festus p. 270, 17 '*R*umex ——— m. (*meminit*) Lucili ——— tragula —'. Festus p. 330, 18 et Paulus p. 331 'S⟩para, paruissimi ⟨generis iacula, ab eo quod s⟩pargantur dicta. Lucilius "t⟩um spara, tum *mu⟨rices* portantur, tragula p⟩orro".' Paulus p. 367, 16 'Tragula genus teli, dicta quod scuto infixa trahatur'. Omnia quae hic enumerantur iaculorum genera tela non sunt militaria, sed agrestium et uenatorum uenabula rustica quibus utebantur in uenando: adfert Nonius l. s. Vergil. Aen. XI 682 'agrestisque manus armat sparus', idem Nonius p. 555, 20 adfert Varronis Meleagr. (293 B) 'ceruum qui uolabili currens sparo secutus tragulaue traiecit', alios locos suppeditant

lexica. Particulae *tum porro* deinceps positae indicant apportari spara, rumices, tragulam a tribus deinceps hominibus unde uix alia ratione intellegi poterit uersus nisi de muneribus quae ab hominibus agrestibus offeruntur patrono uenandi studioso, qualis erat Scipio Aemilianus (Polyb. XXXII 15, 3 seqq.): 'munera quae patriis ad me portatis ab oris' Verg. Aen. XI 281. Libro IV tribuas uersum collato u. 166. *tragula* singularis ut *ficedula* medius inter pluralis lib. XXX u. 978. Venabula dono dantur Martial. XIV 30.

1316. Porphyrio ad Horatii serm. I 6, 12 'Contra Laeuinum Valeri genus. Id est Valerius Laeuinus . . . periphrasin autem necessario fecit, sicut Lucilius, cum dicit "Valeri sententia dia", quia scilicet nomen hoc quattuor breuium syllabarum est, et ob id non potest in hexametrum uersum recipi'. Horat. serm. I 2, 31 '"macte uirtute esto" inquit sententia dia Catonis'. Quis fuerit ille Valerius, non constat: nominatiuum *Valerius* herous non capiebat sicuti ne Numerii Caelii quidem nominis incert. u. 1295. *sententia dia* ex Ennio uidetur esse sumptum ab Horatio et ab Lucilio per iocum adhibitum in re humili et uulgari.

1317. Agitur de oratione Philippica II, cuius § 103 tractatur huius epistulae § 2; § 106 huius epistolae § 3 extrema, quibus comparatis apparet reuera in illa oratione postea Ciceronem nonnihil correxisse et Attico auctore et secundis curis suo consilio. Quem § 1 locum spectat orationis Philipp. II § 3, is hodie legitur ita, ut nulla insit obscenitatis suspicio: 'Sed hoc idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini commendares, cum omnes ⟨*te*⟩ recordarentur libertini generum et liberos tuos nepotes Q. Fadi libertini hominis fuisse' conf Philipp. XIII 23 'is autem humilitatem despicere audet cuiusquam, qui ex FADI F. (*ea dic* codd, *Fadia* editt) sustulerit liberos?' — ut sciant *παῖδες παίδων*, i. e. populus Romanus uel Aeneadae: Hom. Υ 308 (Strabo XIII p. 608 schol. Dionys. Thrac. p. 180, 28 Hilg.) *νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσι ἀνάξει καὶ παίδων παῖδες τοί κεν μετόπισθε γένωνται*, ubi sicuti Cicero schol. Dionysii alii legerunt *παῖδες παίδων*. Quodsi traditus nobis esset locus iste, ea quam epistula illa spectat forma, locum epistulae facile intellegeremus: at Cicero mutauit id quod tunc habuerat consilium omnesque quas in epistula proponit summouit ex illo loco postea turpes facetias. Voluit nimirum scribere Antonium ex Galli Fadii filia liberos habuisse sine *palo* (Hor. serm. I 8, 5) siue *uallo*: quod uocabulum militare posuerat Lucilius castrensis sermonis amantissimus pro ueretro erecto sicuti *fossam* in re turpi uulgo Romae nominare solebant, item *hastam, cuspidem* id genus alia. Fabulam quandam obscenam narrauerat poeta quae exierat in militis alicuius facete dictum de ualli uirtutibus. — Magno numero coniecturarum magis uexatus quam enarratus iste est locus

de quibus adeas Gurlittium Philol. LVII 1898 p. 403 seqq. Mus. Rhen. LVII 1902 p. 347 seqq. Qui quod proposuit *φαλλῷ* probatum a C. F. W. Muellero, id commendes ea re, quod apud Arnobium adu. gent. V 39 recte legitur in codice 'fallorum illa fascinorumque subrectio (p. 208, 28 R), at 28 (p. 199, 8) 'in Liberi honorem patris uallos subrigit Graecia' item 29 (p. 200, 13) 'ualli quos per rura ... mos subrigit ... antiquus'. At et apud Latinos et apud Graecos phalli nomen tantummodo in rebus sacris usurpatur, neque in comoedia neque in satura ponitur pro mentula. Immo uetus prouerbium *ὁ φαλλὸς* inquit *τῷ θεῷ* (Diogen. VII 22). *βαλλίζειν* et *βαλλισμόν* uocabulum e Subura prouenisse auctor est Athen. VIII p. 362 A de quo conf interpp. ad Herond. VI 69 ubi *τὰ βαλλία* appellantur membra uirilia. Sicca tantummodo in epistulis Ciceronis memoratur neque constat quid consuetudinis aut affinitatis habuerit cum Fadio libertino neque magis de Septimiae persona quidquam est traditum. Verba 'hasta ea aegre me tenui' sana sunt; hasta est oratoria: Cic. de or. I 242 'a quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis uiribusque torquebit' Brut. 271 'ut hastae uelitibus amentatae, sic apta quaedam ... argumenta traduntur' Top. 65 'patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant' (sagittae Iuuen. VII 156). — aegre me tenui, ut Plaut. Asin. 583 'nimis aegre risum contini' Cic. ad Q. fratr. III 2, 2 'ego tamen ⟨*me*⟩ teneo ab accusando, uix mehercule, sed tamen teneo'. Hastam igitur illam id est turpe conuicium de Fadia quo et Sicca et Septimia aut laedebantur aut laedi poterant remouit Cicero quamquam inuitus id fecit. Septimia illa uidetur C. Fadii libertini fuisse filia aut manumissa a Septimio quodam aut adoptata eiusque coniunx Sicca: a quo uxorem quondam haud inuito abduxerat M. Antonius (Mommsenus Ephem. Epigr. I 1872 p. 272): scribit Cicero ad Att. l. s. ex *Gali* Fadi filia uetustiore orthographia dum utitur sicuti cons. 588/166 C. Sulpicius Galus scribitur in fastis Capitolinis (Mommseni RF I p. 119) eademque forma cognominis passim legitur in nummis et lapidibus (Wilmannsii exempl. 264).

1318. Festus p. 298, 7 'Sollo Osce dicitur id quod nos totum uocamus. Lucilius "*suasa* quoque omnino *dirimit* non sollo dupundi", id est non tota'. uasa *Augustinus.* Ad Scipionis illa in castris ante Numantiam quae proposuit edicta (conf ad lib. XI u. 398 XIV u. 473) primus uersum rettulit Corpetus (ad incert. XXXIX): ego (stud. Lucil. p. 52. 53) arbitratus sum confirmari hanc sententiam collato [Plut.] apopth. Scip. min. 16 p. 201 C *τῶν δ' ἀργυρέων ἔκπωμα οὐ μεῖζον δύο λιτρῶν συνεχώρησε τοῖς βουλομένοις ἔχειν.* Neque tamen '*non sollo dupundi*' ita accipi potest, ut sit '*non totius dupundi*': accusatiuus *sollo* enim

huic structurae oppugnat. Recte [Caes.] bell. Afr. 70, 1 'et non totos C passus in horis IV esset progressus': itaque genetiuus erat ponendus, si quid ponendum erat. *uasa* recte scribitur: nihil huc *suasum* ap. Plaut. Truc. 271 siue ibi *insuasum* legatur oportet. Vocabulum Oscum in *o* quod exeat correptum ponere non ueritus est sicuti *scorpio* pro *scorpios* lib. XXX u. 1022 *psolo* VIII u. 304. Potuit id uocabulum nominatiuus esse singularis ut *τωϜτο* ciuitas uel *molto* multa (Planta Osc. Vmbr. gramm. I p. 80, 2 II p. 83), rectius accusatiuum neutri generis esse statuemus (Planta II p. 118 Buechelerus Mus. Rhen. XXXIII 1878 p. 47). Itaque si ad *uasa* pertinet nil potuit significari nisi uasa integra uel solida: Fest. p. 293, 15 s. u. solitaurilia 'sollum Osce totum et soldum significat'. De uasis *soldum* dicitur integrum: conf interpretes ad Pers. V 25 'quid *solidum* crepet'. Illud *dirimit* corruptum esse multa sunt quae suadeant; iam Dousa coniecit scribendum *redimit* nulla addita interpretatione: quem recte arbitror iudicasse de uocabulo corrupto. Homo ille pauperem cenam qui erat instructurus (uide ad lib. XIII u. 445) cetera sordide administrabat et uasa quoque dupundiaria redemit eaque non integra: distinguendum post *non sollo.* Quod Oscum posuit uocabulum poeta id consulto fecit ut hominem opicum, figulorum Campanorum qui utatur sermone, describeret: qualem insectatus est etiam Vettium Quintiliano auctore I 5, 56 qui Praenestinorum usus sit sermone. *Dupundi* genetiuus et *dupundiarius* notus ex Petronio (58. 74): iam Diphilus dixerat in Siculo (CAF II p. 564, 71 K) *οἶον ἀγοράζειν πάντα μηδὲ ἓν δ' ἔχειν εἰ μὴ κικίννους ἀξίους λίτραιν δυοῖν* ubi conferas oportet Petron. 58 'longe tibi sit comula ista besalis'.

1319. Seruius auctus ad Aeneidos XII 5 'Saucius ille. *κατ' ἐξοχὴν* ille leo, id est princeps ferarum. uel certe ueteri more ad magnitudinem pertinet, ut "ac uelut ille canum morsu". interdum nobilitatem significat, ut "multum ille et terris iactatus". aut similem designat: Lucilius "uelut *olli* auceps ille facit *cum* inprouiso insidiisque".' *olli* pro *ollic* positum esse uoluit Harderus archiu. lexic. Lat. II 1885 p. 317 quod aduerbium quomodo hic probari possit non intellego. *olim* recte Dousa, quod in comparationibus in uersus exitu poni solere apud Lucilium apparet collatis lib. III u. 100 VII u. 284: *ollim* Muellerus. Nihil probabilius quam uersum integram continere sententiam neque tamen *cum* quo pertineat apparet neque aptus sensus inest uerbis traditis. *insidiis* aduerbialiter dictum ut *per insidias*, *ui* et *per uim:* Vergil. eclog. III 17 'caprum excipere insidiis' Plaut. Men. 570 'ex insidiis aucupa' Asin. 881 'aucupemus ex insidiis clanculum quam rem gerant'. Pro *cum clam* arbitror scribendum: clam facere iuris consulti ueluti Dig. XLIII 24, 1, 1 'quod ui aut clam factum est' et in toto capite passim. *ὀρνιθοθήρας*

in comparationé diuersi generis ap. Plut. praec. ger. reip. 3 p. 800 A.

1321. Nonius ex grammatico p. 43, 15 'Vernas ueteres appellabant qui uere sacro fuerant nati, et habebatur nomen hoc pro uitabili maledicto. . . . Lucilius "*ucrna accer cupit hecon*".' *ucrnam ac cercopithecon* Mercerus. *Verna* pro conuicio positum esse adnotat Nonius ap. Plaut. Amphitr. 179. 1033 'cum cruciatu tuo istaec hodie, uerna, uerba funditas': uidetur Lucilii uersus positus ap. Nonium inter duo Plauti uersus in commentario Amphitruonis fuisse adscriptus ad u. 179. Lucilius igitur describit hominem procacem et turpem qualis est simia. — cercopithecos est simiae genus in Aegypto (uide interpretes ad Iuuen. XV 4) et Aethiopia (Plin. nat. hist. VIII 72); etiam in India bestias tales gigni narrat Strab. XV p. 699 init. Vocabulum fictum est ut χοιροπίθηκος: apud Lucilium primum uidetur inueniri quem studiosissimum fuisse portentorum quae Africa terra procreat adnotauimus ad lib. III u. 118 rinoceros incert. u. 1126 elephantocamellos.

1322. Condidit Lucilius teste Plinio nat. hist. praef. 7 primus stili nasum et Accii Pacuuii Ennii risit uersus. Tamen soloecismos ne ipse quidem uitauit (uide ad lib. XXX u. 994) nec figulorum uerba spreuit Oscorum (incert. u. 1318. 1249). Itaque Vettium non ut grammaticus et criticus sed ut familiaris carpsit comiter et iocose ut utentem Praenestinorum uocabulis Plautum secutus qui uerba Praenestina *tammodo* et *conea* (Trin. 609 Truc. 691) riserat facete. Veteres tamen Romani in sacris cantilenis parum curabant elocutionem urbanam siue Romanam: ueluti in carmine Aruali multa insunt, quae indicent Sabinae non Romanae siue urbanae originis esse hoc carmen ueluti et uocabulum et forma rustica *semuncs* in uersu 'semunis alternei aduocapit conctos' i. e. 'diuos alterni aduocabit quisque', ubi *alpum* pro *album* Sabinos dixisse considerandum erit si *aduocapit* explicare studeas. Familiaris Lucilii erat Vettius Philocomus teste Sueton. de gramm. 2 '. . . Crates . . . nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc diuulgata uel defunctorum amicorum uel si quorum aliorum probassent diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent, ut C. Octauius Lampadio Naeuii Punicum bellum . . . Q. Vargunteius annales Enni . . . ut Laelius Archelaus Vettiusque Philocomus Lucili saturas familiaris sui quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant': ubi quod van Heusdeus stud. crit. in Lucil. p. 46 mutauit *familiaribus suis*, id probabile minime uidetur; immo commendatur uerbis antecedentibus lectio tradita *defunctorum amicorum* quae neque ad Lampadionem neque ad Vargunteium

possint spectare. Saturam quandam ad Vettium scripserat poeta: Vettius nomen in Marsis erat usitatum (Cic. Phil. XII 27 Brut. 169) et Vestinis (Zuetaieffii Inscript. Ital. inf. dial. 11).

1323. Donatus ad Terentii Eunuchum V 2, 60 'Dabit hic pugnam aliquam: pugnam pro stupro . . . ut Lucilius "uicimus . . . pugnam".' Idem ad Adelphos V 3, 57 'Pugnaueris. Magnam rem feceris. sic Lucilius "*uicimus ocius* (*o ciues V*) et . . . pugnam".' Idem ad eandem fabulam V 4, 5 'Vitam duram quam uixi. ἀρχαισμός, ut Lucilius "magnam . . . pugnam".' Agi de pugna amatoria testatur Donatus loco primo: Martial. X 38, 6 'o quae proelia, quas utrimque pugnas felix lectulus et lucerna uidit'. Ennii uersu quodam per irrisionem usum esse poetam suspiceris ideo quod Lucanus VI 164 priore usus est hemistichio in re seria 'uicimus, o socii; ueniet, qui uindicet arces, dum morimur'.

1324. Festus p. 356, 3 suppletus ex Paulo p. 357, 1 '⟨*Thomices Graeco*⟩ nomine appellantur ⟨*ex cannabi inpolita*⟩ et sparto leuiter tortae restes, ⟨*ex quibus funes*⟩ fiunt'. *tum addit Festus* 'Lucilius "uidimus ——— abina".' Suppleuit ita Vrsinus: uidimus *uinctum thomice canna*bina. Graeca sunt et θῶμιγξ et καννάβινος quod adhibet in uersu Automedo AP XI 325. Agitur aut de captiuis aut de fugitiuis: Hor. od. III 5, 21 'uidi ego ciuium retorta tergo bracchia libero'.

1326. Lactantius instit. VI 5, 2 'Quaecunque autem in definitionem uirtutis solent dicere, paucis uersibus colligit et enarrat Lucilius; quos malo equidem ponere, ne dum multorum sententias refello, sim longior quam necesse est: "uirtus . . . nostra".' Confer ibidem c. 6, 7 ubi u. 1331; 6, 10 ubi u. 1332; 6, 18 ubi u. 1337 adferuntur. Est hoc fragmentum uersuum tredecim omnium amplissimum quot seruata sunt, secundum numeros et elocutionem garrulitatis plenum et inertiae, uidelicet stans pede in uno uersus istos dictarat poeta puero qui solebat scribere quod ero in buccam uenerit. Inepta et fastidii plena anaphora illa uocabuli *uirtus* sexiens repetiti, ineptius etiam antitheton et homoeoteleuton et homoeoptoton in uu. 1329 seq. 1334 seq. Verba ipsa bene sunt tradita, singulorum codicum uitia singula enotare operae pretium non erat: ueluti u. 1330 in cod antiquissimo Bononiensi teste Brandtio quod legitur 'turpe inhominitum' m. 1 scriptum, id eodem modo corruptum est quo ad Her. III 22, 35 eadem duo uerba corrupta fuere in archetypo codd expletorum (E) qui habuit *turpe inhōies tum*. u. 1336 cod S (Parisinus de quo conf Brandtius prolegom. p. XLVII) solus seruauit ueram lectionem 'hos magni facere', ubi 'hos magis facere' R, reliqui 'hos magnificare', u. 1337 'patriai' ueteres editiones Lactantii et Burmannus. Commentarium quem Lactantius singulis non sine contemptu poetae addidit uersibus operae pretium est perlegere: sumpsit ille

locum Lucilii ex florilegii cuiusdam capite quod erat *de uirtute:* ex eodem capite sumpsit Horatii locum de uirtute (epist. I 1, 41) ʻuirtus est uitium fugere et sapientia prima’ quem adfert l. s. VI 5, 12. Locum e libro XVII sumptum esse suspicatur Corpetus edit. p. 222: de uirtute certe egerat poeta u. 550 qui ʻuni aequus uirtuti atque eius amicis’ audit Hor. serm. II 1, 70. — 1326. Quis fuerit Albinus iste, quem appellat poeta more castigantis, non liquet: suspicetur aliquis appellari Sp. Postumium cos. 644/110 uel potius eius fratrem Aulum quem anno 645/109 ʻapud Calamam urbem thesauris regiis conditis inhiantem bello oppressit’ Iugurtha (Oros. V 15, 6 Sallust. Iugurth. 37—39): Sall. Iugurth. 39, 1 ʻubi ea Romae comperta sunt . . . Aulo omnes infesti, ac maxume qui bello saepe praeclari fuerant’. Videtur enim poeta Albinum castigare ut hominem auarum, qui uersu extremo scripsit commoda patriae prima esse putanda, tertia postremaque nostra, u. 1332 ʻdiuitiis pretium persoluere posse’, hanc esse uirtutem ueram, qui uersus eiusdem argumenti est atque uersus antecedens et ʻfere idem significat quod primi duo’ ut recte ait Lactantius l. s. VI 6, 10. Patrem eius Sp. Postumium uidetur appellare Lucilius lib. XXIX u. 849 ubi uide quae adnotauimus. — *pretium persoluere,* sicuti lib. XXX u. 1040 ʻhoc pretium atque hunc reddebamus honorem’, honorem alicui persoluere Vergil. Aen. VIII 61. — 1327. *quis in* uide lib. V u. 182. de *uiuimus* uide ad u. 1336. Dixit itaque uirtutem esse opes pecuniam rem posse tanti facere quanti ea fieri debeant. — 1328. *scire id quod quaeque habeat res*] noli temptare: uidetur sermonis esse cottidiani locutio, ut Petron. 46 med ʻhabet haec res panem’ Cic. in Catil. IV 4, 7 extr. ʻhabere uidetur ista res iniquitatem’ (C. F. W. Muellerus ad de offic. I 11, 35 med.) Sallust. Catil. 51, 20 ʻde poena possum equidem dicere id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse’: *homini* cum *habeat* iungendum, ʻquid quaeque queat res’ Lucr. V 545. — 1331. *re* datiuum posuit uterque editor, conf lib. VI u. 237. — 1334. *hostem esse atque inimicum,* hendiadyoin quod saepenumero adhibet poeta (uide ind. gramm. s. u.): Soph. Philoct. 1302 *τί μ’ ἄνδρα πολέμιον ἐχθρόν τ’ ἀφεῖλου μὴ κτανεῖν τόξοις ἐμοῖς*; de sententia ipsa conf Euripid. fragm. 692 N edit II *τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος, τοῖς δ’ αὖ κακοῖς πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.* — 1335. De repetitione alterius uersus partis Ouidius conferendus qui artificio usus tales fecerit uersus metam. I 325 ʻet superesse uirum de tot modo milibus unum et superesse uidet de tot modo milibus unam’ 361 ʻnamque ego — crede mihi — si te quoque pontus haberet, te sequerer, coniunx, et me quoque pontus haberet’. — 1336. *his uiuere amicum,* his esse amicum, ut *uiuimus* u. 1327 est *sumus* uel *uersamur* (conf interpretes ad Plaut. Trin. 390

Menaechm. 202). In duobus extremis uersibus 1337. 1338 Panaetii quandam doctrinam deprehendimus: conf Cic. de off. I 58 ʻSed si contentio quaedam et comparatio fiat, . . . principes sint *patria, et parentes,* quorum beneficiis maximis obligati sumus, proximi liberi, totaque domus . . . deinceps bene conuenientes propinqui’ e. q. s. Parentes post deos posuerunt ueteres Attici: Euripid. fragm. 853 N edit. II *τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ τὰς χρεών σ’ ἀσκεῖν, τέκνον· θεούς τε τιμᾶν, τούς τε φύσαντας γονεῖς, νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος* ubi Nauckius adfert [Phocylid.] 8 *πρῶτα θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας.* — [Isocr.] Demon. 4, 13 *πρῶτον μὲν οὖν εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς . . . τοιοῦτος γίγνου περὶ τοὺς γονεῖς οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σεαυτοῦ παῖδας.* Auson. epiced. in patrem p. 21, 1 Peiperi ʻPost deum semper patrem colui secundamque reuerentiam genitori meo debui’. Phaedr. app. VI p. 127 Hau. ʻaudite gentes, Delii monitus dei: pietatem colite, uota superis reddite, patriam, parentes, natos, castas coniuges defendite armis’ e. q. s. ʻQuae sit cognoscere uirtus’ Romani hominis esse pronuntiat Vergilius eclog. IV 27: deorum honorem omnino omisit poeta philosophus.

1339. *uim,* ut Lucret. IV 1208 ʻet commiscendo quom semini forte uirilis femina uim uicit subita ui corripuitque’ Tacit. annal. VI 28 de aue phoenice ʻsuis in terris struere nidum eique uim genitalem adfundere ex qua fetum oriri’. Graeci *λευκὸν μένος* AP V 54, 7. Ex fornice Luciliano (uide incert. u. 1177) fragmentum uidetur esse sumptum ad quod dubito an pertineat participium *efferuentia* quocum compares Horat. serm. I 2, 71 ʻmea (i. e. muttonis) cum conferbuit ira’.

1340. Varro de lingua Latina V 63 ʻPoetae de caelo quod semen igneum cecidisse dicunt in mare ac natam e spumis Venerem coniunctione ignis et humoris, quam habent uim, significant esse ueris (*Veneris* Laetus). a qua ui natis dicta uita, et illud a Lucilio, ʻʻuis est . . . cogit”.’ Nihil huc pertinet u. 1339: neque enim potuit poeta dicere semen genitale hominis esse uitam aut sperma nos omnia facere cogere: tum Varro uersum attulit ideo tantum, quo *uitam a ui* dictam esse probaret. Comparauit apud Dousam Scaliger Menandri Monost. (66 Mein.) *βίος κέκληται δ’ ὃς βίᾳ πορίζεται,* traditur ap. Aeschyl. Choeph. 72 K *ἀρχὰς βίου βίᾳ φερομένων αἰνέσαι.* ʻuis nos facere omnia cogit’ eodem modo intellegendum atque Soph. Electr. 256 *ἀλλ’ ἡ βία γὰρ ταῦτ’ ἀναγκάζει με δρᾶν*: Seneca de tranquill. animi 10, 4 ʻomnis uita seruitium est’.

1341. Charisius GL I p. 83, 13 K ʻItem caprina et aprugna cur dissimiliter deriuetur quaeri solet. quibus respondebimus utrumque per i proferri debere, sed in altero usu u litteram celebrari; quamuis Lucilius uiscus aprinum non aprugnum dixerit’. Ita Dousa locum posuit incert. 150: idem in commentario adnotat

'Ita ex ueteri codice Charisii restituimus: nam in uulgatis *aprugnum* legitur, contra mentem grammatici'. Contra Neapolitanus habet 'item caprina et *apruna* . . . sed in *alio usum* u litteram *celebrasse*, quamuis Lucilius *discus aprugnum* dixerit'. In uerbis grammatici nonnulla mutasse uidetur Dousa ueluti in sententia 'sed in altero usu u litteram celebrari': in Lucilii fragmento codex eius ueram seruauit scripturam in *uiscus,* quo usus erat uocabulo Lucilius lib. XIV u. 475. Neque quidquam probabilius quam uerba quae secuntur in Neapolitano lacuna esse deformata quod statuamus necesse est nisi impudenter illum editorem credemus esse mentitum: quo facta sit lacuna, facile intellegitur.

1342. Gellius III 14, 8 'Dimidium uero est, non quod ipsum dimidiatum est, sed quae ex dimidiato pars altera est. . . . itaque Lucilius eadem secutus "uno oculo" inquit "pedibusque . . . porcus" et alio loco (incert. u. 1282 seq.) "quidni . . . dimidiatam".' Hominem luscum potuit ita describere poeta: propter comparationem tamen probabilius statuit Corpetus Cyclopem his significari uerbis: unde uersum libro XV (conf u. 482) attribuas. Porcum dimidiatum saepe poeta uidit haerentem ante lanienas.

1344. Scholiasta Persii ad I 27 (usque adeone Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?) 'Haec periodos (*ita cod Britannicus:* periodus *uulgo*) apud Lucilium posita est "ut (VI *Baehrensius*) me scire uolo *dicimus* mimi conscius *sum* ne damnum faciam. Scire hoc se nescit nisi alios id scire scierit".' Haec ita distincta Iahnius edidit: cuius adnotationem si recte intellego, *dicimus* omittunt editiones Vineti (1563), Parisina (1613), codex P qui est Parisinus 8272 saec. XI (Iahnius praef. p. CCVIII): item omittit *dicimus* Casaubonus (edit. Paris. 1605 p. 29) in reliquis cum Iahnio consentiens. Additur *dicimus* in edit. princ. Venet. 1499, quae haec exhibeat magis corrupta 'ut me scire uolo dicimus mimi conscius sum ut faciat scire hoc si nesciat me'. Gratum fecit Baehrensius quod Mus. Rhen. XXXI 1876 p. 95 adnot. codicis mus. Brit. Reg. 15 B XIX saec. IX—X lectionem exhibuit descriptam: 'haec periodos apud Lucilium posita est. ut me scire uolo dicimus. Mimi conscius sum. ne damnum faciam scire hoc se nescit. nisi alios id scire scierit'. Hunc codicem solum esse sequendum arbitror, quoad meliores in editione quam desideramus prolatae erunt copiae. Codicem Monacensem 14482 saec. XII (de quo conf Lieblius Beitr. z. d. Persiusscholien Straubing 1883 p. 5) quem L. Muellerus in praef. ad Lucilium p. XXXIX in caelum fert, iure contempsit Buechelerus in editione Persii ad h. l. qui exhibet teste Muellero 'ut mecum scire uolo dicimus mimi conscius sum ne dampnum faciam scire hoc se nesciat me': eadem fere exhibet Lugdunensis nisi quod *meum* habet pro *mecum.* Scholion distinxit Buechelerus eodem modo

quo Casaubonus et Iahnius cum scribat: 'ut me scire uolo dici, mihi consciu si sum, ne damnum faciam' omissis reliquis quae scholiastae esse illi arbitrantur. Ego in distinctione codicem Britannicum malui sequi qui recte Graecam formam praebeat *periodos:* nam uerba *scire hoc se nescit* mihi subtilius et obscurius esse dicta uidentur quam quae scholiastae esse possint glossa recteque deducunt numeros alterius uersus dactylicos. E Cornuti commento Iahnius edidit hoc scholion quod corrigamus oportet auxilio codicum Monacensis p. 23 Lieblii Bernensium p. 9 ed E. Kurzii Burgdorf 1875 (qui illud quod initio posui scholion cum Lucilii uersibus item omittunt ut Vindobonensis 131 saec. X): 'in tantum est scientia tua ad nihilum redacta ut aliquid *te scire nescias,* nisi alterius iudicium de scientia tua consulas': quae explicatio facta esse uidetur ad uetustius illud scholion et ad fragmentum Lucilii. — Pro corrupto *dicimus* substitui *dum* cuius compendium male soluerit librarius archetypi, pro *sum* suppleui *summum:* reliqua sana uidentur esse. — *ut me scire uolo:* conf Plaut. Cas. 287 'quid uelis modo id uelim me scire' (Draegeri syntax. hist. ling. Lat. ed II uol. II p. 401 a). — *conscius* quam sumptuosus sit familiae peccanti exposuerunt Martial. VI 50 Iuuen. III 113. 49 seqq.: mimi conscia inducitur apud Horatium serm. II 7, 59 (conf I 2, 130 Iuuen. VI 44). — *scire hoc se nescit* eodem modo dictum quo dicitur in comoedia Plauti Mil. 571 'ne tu hercle, si te di ament, linguam comprimes posthac: etiam illud quod scies nesciueris nec uideris quod uideris' Bacchid. 790 'nil iam me oportet scire, oblitus sum omnia. Scio me esse seruom, nescio etiam id quod scio' Terentii Heaut. 748 'tu nescis id quod scis, Dromo si sapies. # Mutum dices' Eunuch. 722 'tu pol si sapis, quod scis, nescis', i. e. tacebis Plaut. Most. 1156 'quia fecit quae te scire scit': conf lib. I u. 33 seqq. Itaque hoc modo interpretor: non quemuis hominem in re turpi oportet esse loquacem neque meae domus turpia facta si quae sunt foras efferre: sicut me scire uolo, si ueluti uxor adulterium fecit, dum mimi conscius, summum ne damnum faciam, scire hoc se nescit id est tacet. De mimis Lucilii aetate quales fuerint traditur testimon. 17 prolegg. p. XXVII seq.

1347. Festus p. 209, 3 et Paul. p. 208, 1 'Petimina in † his (*humeris* Paulus) iumentorum ulcera et uulgo appellant et Lucilius meminit, quom ait "ut petimen naso aut lumbos ceruicibus tangat". eo nomine autem et inter duos armos suis quod est, aut *pectus* (*nectos* cod) appellari solitum testatur Naeuius (CRF edit. III 121 R) in descriptione suillae quom ait "petimine *piscino* (*porcino* Dalecampius) qui meruerat".' Editores inde a Dousa consociarunt hunc u. cum u. 1298 'sicuti mechanici cum alto exiluere peteuro' et homines similia artificia qui exercuerint

uidentur esse arbitrati hoc uersu significari. Verrius tamen quis dubitet quin ex integro Lucilii loco intellexerit partem iumenti significari, ex Naeuii loco partem porci? Turpi forma ecus potius uidetur describi qui naso pectoris imam partem, ceruice lumbos tangat sicuti lib. XVII u. 541 femina turpis dicitur tangere inguina mammis: Martial. II 11, 4 'quod paene terram nasus indecens tangit'. Nam quae in hominibus umeri ea in bestiis sunt armi (Ouid. metam. X 700). Laudatur equi caput breue, ardua ceruix (Horat. serm. I 2, 89 Verg. georg. III 79): huic equo tristis demittitur nasus usque ad petimen. Tum optimus est qui auctore Columella VI 29, 2 erit 'ceruice molli, lataque nec longa' at hic tangit lumbos ceruicibus ut ridicula sit breuitate et contractione corporis. Nemesian. cyneg. 243 'illis ampla satis leui sunt aequora dorso, immodicumque latus, paruaeque ingentibus alui'.

1348. Porphyrio ad Horatii serm. I 7, 23 'Cohortem comites dicit Bruti, qui in consilio eius erant. sic et Lucilius ait "ut . . . aruspex".' Versus fuisse uidetur aut libri XI cui Baehrensius attribuit aut XIV: coniungas cum u. 473. De praetoris cohorte uide ad lib. XI u. 398 XIV u. 469: Cic. Verr. III 28 '"De cohorte mea reicies", inquit. Quid? ista cohors quorum hominum est? "Volusi haruspicis et Corneli medici et horum canum quos tribunal meum uides lambere": nam de conuentu nullum umquam iudicem nec recuperatorem dedit . . .' (54). De haruspice conf O. Muellerus de Etruscis (edit. II) uol. II p. 13. Nostii nomen afferunt lexica ex Cic. epist. XIII 46, de Viti onomasticon ex inscriptionibus urbis Romae CIL VI 23070—23072 Notizie d. scav. 1887 p. 149.

1349. Paulus Fest. epit. p. 308, 13 'Sub uitem hastas iacere dicitur ueles, cum eas sub ⟨*uinea*⟩ manu sursum mittit. Lucilius "ut ueles bonus, sub uitem qui *submisit* hastas".' Festus p. 310, 2 'Sub uitem ha ——— manu ——— t. Lucilius "ut ——— m qui *subsit* has ———".' Sequitur lemma 'sub uitem proeliari' cum uersu Lucilii aut iambico aut trochaico (incert. u. 960), unde suspiceris Verrium eodem iam ordine libros Lucilii legisse dispositos quo Nonius. De *sub uitem* forma sermonis castrensis egimus ad incert. u. 960: quam formam in hoc uersu duobus locis Festus testatur. Paulus iam et *manu* et *subsit* corruptum inuenit in suo cod: *subicit* editt ueteres, *subrigit* Lachmannus. Hastas uelitares commemorat Liuius XXVI 4, 4 XXXVIII 21, 13. Veles bonus sub uinea sursum mittit hastas quibus perfodiantur hostes in muro oppidi positi, conliniare hastam Cic. de fin. III 5, 22.

1350. Seruius ad Aeneidos I 703 'Feminino Lucilius posuit ut "uxori legata penus".' Libro XVI adscripsit Dousa, quem secuti sunt Lachmannus Muellerus alii: uide ad u. 519 seq.

DUBIA.

1351. Charisius GL I p. 58, 23 K 'Camara dicitur (*dicuntur* N) ut Verrius Flaccus adfirmat, non *camarū* (e) per e. sed Lucretius "*camaraq; caminis exτritibus*" dicendo etiam *camarū* (e) dici posse ostendit'. Beda de orthographia GL VII p. 266, 12 K 'Camara dicitur ut Verrius Flaccus adfirmat, non camera per e. sed Lucretius "*cameris ex teretibus*" dicendo etiam cameram dici posse ostendit'. Paulus ex Festo p. 43, 17 'camara et camuri boues a curuatione ex Graeco dicuntur'. In Bedae excerptis meliorem in uersu illo seruatam non esse scripturam sed lacuna deprauatam apparet nisi quod in *teretibus* simplex r rectius posuit quam librarius Charisii. Vnde solo cod Neapolitano usus uerba poetae illius fuisse conicias '*cameraque camini ex tereti*'. Posuit haec uerba Lachmannus libro Lucretii VI post u. 839 (uide ad dub. fragm. u. 1364 seq.) comment. p. 399: quod mihi uidetur esse probabilius quam Lucilio tribuendum esse istud fragmentum (quod A. Cramerus statuit in Iuuenal. comment. uet. Hamb. 1823 p. 509) ideo, quia reuera illo loco Lucretii agitur de frigore et calore uu. 840 seqq., *teres* adiectiuum Lucretii proprium est, apud ueteres poetas ante Lucretii aetatem non uidetur extare. *e* litteram correctorem apparet codicis Neapolitani semel suo loco posuisse, bis perperam. Suppleas hoc modo 'cum calor ex fornace meat cameraque camini ex tereti'. Eodem pertinet quod seruauit fragmentum Sacerdos GL VI p. 448, 9 'ut Lucretius "mensibu frigus"' ubi item de frigore agitur.

1353. Paulus ex Festo p. 54, 2 'Centenariae cenae dicebantur in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terra enata inpendebatur, id est centum assibus, qui erant breues nummi ex aere'. Centenarius uocabulum Lucilianum est proprie (lib. XXVIII u. 776) sicuti argumentum loci Verriani ad Lucilii poesin spectare manifestum est: conf ad lib. V u. 193 incert. u. 1172. 1200. Quare Lucilio tribuimus. Centenarias cenas appellat etiam Tertullian. apologet. cap. VI, de uocabulo centenarius apud scriptores Christianos egit Oehlerus ad Tertull. de coron. cap. XIV (I p. 454).

1354. Iuuenalis I 150 'dicas hic forsitan: "unde ingenium par materiae? unde illa priorum scribendi quodcumque animo flagrante liberet simplicitas?" cuius non audeo dicere nomen? quid refert dictis ignoscat Mucius an non?' Tribuit uerba inde a *cuius* I. Dousa Lucilio quod qui probabit *ausim* scribat oportebit. Attamen nullum argumentum quo haec firmetur sententia uideo afferri posse aptum nec uerba ipsa antiquum produnt aliquo modo poetam.

1356. Nonius p. 540, 29 'Amfitapae uestes dicuntur utrimque habentes uillos. Lucilius (*uide* lib. I u. 13 VI u. 252) . . .

Varro Manio (253 B) "alterum bene acceptum dormire ‹super amphitapo (amfitabo *L* amfytabo *G*) bene molli›".' Hexametri partem agnouit Vahlenus, Lucilio tribuit probabiliter Buechelerus in indice edit. p. 252 s. u. *scriptores: bene* cum adiectiuo saepius apud Lucilium.

1357. Seneca apocolocynt. cap. IX extr. '. . . sitque e republica esse aliquem qui cum Romulo possit "feruentia rapa uorare", censeo uti diuus Claudius ex hac die deus sit . . .' De Romulo qui rapa in caelo esse solet Martial. XIII 16 quem locum contulit Buechelerus symb. philol. Bonn. I p. 58: idem uersum Lucilii afferri a Seneca conicit aptissime, cuius ineptissime impugnat sententiam L. Muellerus libri Q. Ennius (Petropoli 1884) p. 159 qui Ennio tribuit fragmentum. 'durum molle *uoras*' incert. u. 1157, *feruens* participium saepius.

1358. Probus cathol. GL IV p. 10, 30 K de substantiuis in o exeuntibus 'po syllaba terminata producuntur uappo uapponis: animal est uolans, quod uulgo *animas* uocant: lectum est apud *Lucretium* "hos uappones".' Rettulit uerba ad Lucret. III 386 'uestem nec plumas auium papposque uolantis' Lindemannus, quem impugnat recte Lachmannus comment. in Lucret. p. 165: 'Lindemannum huc referre miror quae habet Probus p. 1450 . . . mihi quam recte grammaticus *uappones* Lucretio adscripserit, non liquet: Franciscus Dousa inter Luciliana ex libris incertis posuit numero 161: *animás* autem quas O. Jahnius ψυχὰς siue φαλαίνας esse suspicatur (*archaeologische Beitraege p. 137*), aliter scribi uideo in glossariis Maii tomo sexto auctorum classicorum p. 506 et tomo VII p. 551 ubi est '*ama* siue *amma, auis nocturna*'. Nihil profecto uerba illa ad Lucretii u. s. s. De *amma* Isidor. orig. XII 7, 42 'strix nocturna auis . . . haec auis uulgo dicitur amma, ab amando paruulos, unde et lac praebere fertur nascentibus' (Loeweus gloss. nom. p 160). Satis probabiliter igitur Dousa Lucilio illa uerba tribuit qui lucifugos dixerit uappones sicuti *noctua* pro cognomine erat, grammatici σῆτες audiunt AP XI 321. 322. 347 similia. Tamen num *ammas* legendum sit ap. Probum l. s. dubito: nam traditam scripturam commendat quod grammaticus explicat *animal uolans,* non *auis* uel *auis nocturna.*

1359. Titulus adscriptus nauigio quod ibi κελητες nominatur in opere musiuo reperto Medeinae musei Tunesiani (Musée Alaoui 166 p. 32) 'HYPERETICOSQVE CELETES': transmisit apographon Paulus Gaucklerus qui in epistula comparat Xenoph. Hellen. I 6, 36 *ὁ ὑπηρετικὸς κέλης πάντα ἐξήγγειλε τὰ περὶ τὴν ναυμαχίαν.* Idem Lucilio tribui fragmentum iudice Vahleno ad me scripsit. Eidem musiuo debetur uersus lib. XV u. 483 cuius de origine constat. [Idem fragmentum modo edidit Buechelerus Mus. Rhen. LIX 1904 p. 322, *celetes* non *celetas* Gauckleri apographon.]

1360. Placidus CGL V p. 27, 13 (79, 5) '*Iube nalepharos* semper uirens et numquam senescens lumen ut si de sole dicamus'. *iuuenale phaos* Deuerlingius, Lucilio tribuit Loeweus prodrom. gloss. p. 332. Sumpta esse uidetur glossa e Vergilii commentario ad Aen. II 518.

1361. Explanatio in Donatum GL IV p. 527, 10 K 'Quare ut Miltiádes Asclepiádes ita Luciliádes et Memmiádes (ita Muellerus: *lucidiades et memmiades* L, *luliades et menniades* O) Scipiádes acuta quamuis breui paenultima proferuntur'. Posuit hoc nomen casu obliquo, datiuo uel ablatiuo opinor, poeta Lucilius ipse secundum Muellerum, cum nomen suum saepenumero posuerit in saturis suis, patronymica talia saepe adhibuerit qualia sunt Scipiadas Apulidae Tusculidarum: uide ad incert. u. 1109. 1259 IX u. 373.

1362. Paulus ex Festo p. 144, 12 'Murmillonica scuta dicebant cum quibus de muro pugnabant. Erant siquidem ad hoc ipsum apta'. Lucilio tribuit L. Muellerus IV 27: simile sane est fragmentum incert. u. 1150.

1363. Charisius GL I p. 54, 21 K 'Cum uero e uel i uel u terminetur ablatiuus singularis, um accipit et facit genetiuum pluralem, datiuus et ablatiuus bus syllaba terminantur; ueluti ab hoc rege regum regibus, ab hac naui nauium nauibus, et ab hoc portu portuum portibus. inuenimus tamen apud auctores etiam his contraria: nucerum enim Coelius dixit, † Lucilius (*Caecilius* codex Dousae) *nauerum* (ita N in quo etiam *nuccerum* uel *nicterum* legi posse auctor est Keilius, *naterum* codex Dousae), Gellius uero regerum et lapiderum, cum rum syllabam numquam accipiat ablatiuus e littera terminatus, nisi cum producitur, ut ab hac re rerum, die dierum, specie specierum, facie facierum'. Rettulit de Coloniensis codicis scriptura Dousa p. 19 ad incert. 157. De talibus formis genetiui pluralis Varro egit de l. Lat. VIII 74 qui *bouerum* et *Iouerum* dici tradit, ex inscriptionibus *menserum* adfertur ap. Neueum de formis l. Lat. I ed III Lips. 1902 p. 430. Codicem Dousae *naterum* qui praebuerit ueram scripturam praebuisse iure censet Muellerus (dub. V).

1364. Seruius ad Aeneidos VI 625 (non mihi si linguae centum sint oraque centum ferrea uox) 'Lucretii uersus sublatus de Homero, sed "*aerea* uox" dixit'. Idem ad georg. II 43 ubi eadem leguntur uerba Vergilii 'Lucretii uersus: sed ille "*aenea* uox" ait, non ferrea'. Macrob. Sat. VI 3, 6 'Homeri est (B 489) *οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι δέκα δὲ στόματ' εἶεν (φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη).* Hunc secutus Hostius poeta in libro secundo belli Histrici ait "non si mihi linguae centum atque ora sient totidem uocesque liquatae". Hinc Vergilius ait . . .' — Lucretii esse uersus libri VI positos antiquitus in lacuna post u. 839 censet Lachmannus comment. in Lucret. p. 399 ubi posita fuisse idem iudicat dub. fragm. u. 1351 seq.: at uix

credibile est tanto hiatu nouum carmen Lucretium illo loco fuisse exorsum. 'Nonnullos' Lucilio uersus tribuere adnotat Muellerus edit. p. 159. Quod pariter improbabile cum ridiculus fuerit Vergilius si integrum saturae uersum heroo inseruerit carmini, licet Persius V saturam similibus inceperit uersibus. Itaque Ennii potius uersus aliis uideri refert Briegerus ad Lucret. l. s. s. Tamen Ennius quid scripserit (annal. 561 V) traditur in breui exposit. ad georg. II 43 (Seruii III 2 p. 285 ed Hagen.) 'Homericus sensus Graeci poetae, sicut et Ennius ''non si lingua loqui saperet *ut*⟨*si*⟩ ora decem sint in me, *tum* ferro cor sit pectusque reuinctum'' ', ubi *atque* Mommsenus scripsit, *at* traditur, *in me tum* L. Muellerus Enn. annal. 585, *in metrum* N, *inter metrum* P. Idem scholiasta ad u. 44 'ferrea pro aenea'. Breuior est schol. Bernensis ad u. 43 'Homericus sensus sic; nam et Ennius ''ora decem'' ', ad 44 'ferrea aenea'. Vnde apparet falso et temere Seruium Lucretii nomen supposuisse, cum in commentario nil inuenerit nisi ex Homero uersum fuisse translatum, sed ita ut *aeneus* legatur apud Homerum. *Aereus* adiectiuum dubites an primum legatur rhetor. ad Her. IV 12, 18 ubi codd M *aereae*, E *aeneae*: itaque *aënea* metrum, *aerea* usus reicit (conf Seru. ad Aen. I 357).

1366. uide ad u. 1378.

1367. Seruius ad Aeneidos XII 419 (spargitque salubris ambrosiae sucos et odoriferam panaceam) 'panaceam genus herbae. sciendum tamen *Lucilium* (ita Bapt. Pius fol. CXXIII r. ad Lucret. [edit. Bonon.] IV 124: *lucretium* codd) *panaceam* (*panaceum* unus R) *ubique salem* dicere, unde possumus et hoc loco salem intellegere; nam omnem pellit dolorem. sed melius herbam, quia ait odoriferam'. Apud Lucretium l. s. legitur *panaces*, qui neque de sale illud uocabulum l. s. adhibuerit neque omnino praeter l. s. exhibeat. Vnde recte *Lucilius* restituit uir doctus. Neque tamen poterit credi Seruium tradere *ubique* Lucilium appellasse salem panaceam: uerba Lucilii potius erant illa 'panacea*n* ubique salem'. De sale Plinius nat. hist. XXXI 102 'neruorum dolores... leuat, colum torminaque et coxarum dolores . . . podagras cum farina ex melle et oleo tritus, ibi maxime usurpanda obseruatione, quae totis corporibus nihil esse utilius sale et sole dixit' (Isidor. orig. XVI 2, 6). Nihil huc Euripid. Iphig. Taur. 1193. Egit fortasse de hoc medicamine Lucilius cum de laterum doloribus narraret incert. u. 1314: salem in sacco ex aqua feruenti calefactum utilem esse doloribus laterum scribit Plinius iunior qui dicitur p. 35. 36 Rosei.

1368. Nonius. p 131, 22 'Lucuns Varro periplu lib. II περὶ φιλοσοφίας (417 B) ''Nulla ambro*s*ia ac nect*a*r, non alium et sardae, sed «panis pemma lucuns cibus, qui puri*s*simus multo est»''.' Idem Sciamachia περὶ τύφου (508 B) 'uinum *p*emma (remma *codd*) lucuns nihil adiuuat, ista mini*s*trat (ista*m* instrat *codd*)'. Lucilio tribuit Buechelerus in indice edit. p. 252 s. u. *scriptores:* quam sententiam commendat exitus uersus comparatus cum 'optimus multo' lib. IV u. 151 'primus . . . multo est' XV u. 493 (XX u. 577 XXX u. 973). — *purissimus* positum est ut ap. Seru. ad Aen. III 57 'Massilienses quotiens pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis ⟨sumptibus *add Buechelerus*⟩ et purioribus cibis' Fest. p. 230, 22 'etiam nunc offa porcina cum cauda in cenis puris offa penita uocatur'. Adicias h. u. lib. XIII u. 444.

1369. Fulgentius expositionis sermonum antiquorum cap. 23 p. 118, 11 Helm. 'Capularem dici uoluerunt senem iam morti contiguum. Sed et reos capulares dicebant qui capulo digni fuerunt unde et Lucilius ait ''pergit capulare cadauer'' et Flaccus Tibullus in Melene comedia ait ''tune amare audes edentule et capularis senex?''.' Lucilii nomen non magis fide dignum quam Flacci Tibulli: uerba ipsa produnt hominem falsarium.

1370. Grammaticus de dubiis nominibus GL V p. 588, 1 K 'Porrum generis neutri. sed *Varro* ''ponuntur tenues porri''.' Conf Charis. I p. 104, 7 K. Saturis haec uerba Menippeis tribuit Buechelerus (580) hexametri principium esse qui perspexerit neque dubitauerim quin reuera poeta aliquis haec uerba composuerit dactylico hexametro. At omnes uersus quos grammaticus ille Varroni tribuit, eos aliorum esse constat poetarum. Veluti p. 587, 1 'perdix generis feminini ut Varro: ''garrula limoso pros*p*exit ⟨*ab*⟩ elice perdix'' ' Ouidii est metam. VIII 237; 14 'Pix generis feminini ut Varro ''Idaeasque pices'' ' est Vergilii georg. III 450; p. 588, 4 'pistrinum generis neutri, sed Varro ''media est pistrina'' ' est Lucilii lib. XVI u. 521; p. 590, 9 'Saccus generis masculini ut Varro ''uinum cui nihil sacculus abstulit'' ' est Lucilii incert. u. 1155 a; p. 591, 26 'Tofus generis masculini, ut Varro ''et tofus scaber'' ' est Vergilii georg. II 214; p. 593, 17 'Vrsum antiqui non declinabant in masculino . . . sed Varro dixit ''⟨*ursaque*⟩ conspectos[que] in mont*ibus* horruit ursos'' ' est Ouidii metam. II 494. Vnde patet probabile esse in p littera grammaticum eodem modo errasse in *porrum* quo in *pistrinum* et in *saccus* et Lucilio uerba illa esse tribuenda. Quae libri V esse coniungenda cum u. 194 'flebile cepe simul, lacrimosaeque ordine tallae, ponuntur tenues porri' ueri est simillimum. Martial. V 78, 6 'Ponetur digitis tenendus ustis nigra coliculus uirens patella' e. q. s.

1371. Paulus ex Festo p. 224, 16 'Prym*n*esius (*Prymesius* secundum codd edidit Thewrewkius) palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tosillam dicunt'. Lucilio tribuit L. Muellerus III 45.

1372. Cic. epist. II 8, 2 'tantum habeto ciuem egregium esse Pompeium et ad omnia, quae prouidenda sunt in republica, et animo et consilio paratum. Quare da te homini: complectetur, mihi crede'. Hexametrum agnouit Orellius et Lucilio tribuit. Et uerba singula uidentur reuera stili esse Luciliani. Veluti in exordio hexametri *quare* posuit ter lib. I u. 34 XIX u. 560 XXIX u. 794; *homini* datiuum in semiquinaria quater lib. XII u. 432 XVII u. 548 incert. uu. 1328. 1329, praeterea saepius adhibuit pro pronomine *ei* hunc datiuum sine epitheto in aliis uersuum sedibus; *crede mihi* legitur lib. XXVIII u. 797, *complexa* lib. IV u. 180, *paulisper me dem* lib. XXIX u. 862.

1373. Glossarium codicis Vaticani CGL IV p. XVIII med. 'Scultimidoni qui scultimam suam quod est podicis orificium gratis largiatur. dicta scultima quasi scortorum intima'. Goetzius Mus. Rhen. XL 1885 p. 327 uerborum numeros sensit dactylicos unde Baehrensius (887) Lucilio tribuit. Genetiuum singularem fuisse patet enarratione grammatici.

1374. Festus p. 340, 24 inter *septimontium siparium seplasia* glossas: '⟨*sepultum m*⟩orte *moro*que cum ait ⟨*Lucilius, meminit d*⟩e L. Terentio Tusci ui⟨*ci magistro quem constat*⟩ uiuum de saxo Tarpeio ⟨desiluisse *cum eo u*⟩enisset comisatum quod ⟨*uini ui facere ess*⟩et coactus'. *meroque* Scaliger scripsit, locum eo fere quo posui modo constituit O. Muellerus qui Lucilii nomen intercidisse statuit probabiliter. Imitatus est Lucilius Ennii uersum annali VIII (292 V) positum de quo Macrob. Sat. VI 1, 20 'nunc hostes uino domiti somnoque sepulti'. Suppleas ueluti 'sodales mani hominem inuenere sepultum morte meroque'.

1375. Cicero Tuscul. I 5, 10 'Dic, quaeso: num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, trauectio Acherontis, "mento summam aquam attingens enectus siti" Tantalus, tum illud quod "Sisyphus (sisyphius *codd m.* 1) uersat saxum sudans nitendo neque proficit hilum", fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus?' Exhibet uerba inde a 'tum illud — hilum' Nonius p. 121, 5 s. u. *hilum* et p. 353, 8 s. u. *niti*, quem mireris utroque loco *Sisyphius* praebere idem quod codd Ciceronis l. s. habent corruptum. Lucilio tribuit I. Beckerus Philol. II 1847 p. 37 memor et Luciliani hemistichii lib. XXX u. 1021 'non proficis hilum', et Tantali qui lib. III u. 140 memoratur. Maluit Muellerus anapaestos constituere et tragoediae hos uersus uindicare in Nonii edit. ll. ss. et in Lucilii edit. p. 169, cum Lucilianos esse uersus contendat Ribbeckius CRF edit. II p. CXXXI, ideo quod *hilum* in tragoedia non inueniatur. Et dactylicos esse uersus cum Lucilii uersus ille libri XXX 1021 tum Homeri imitatio suadet ut statuamus qui de Sisypho λ 599 *αὐτὰρ ὅ γ' ἂψ ὤσασκε τιταινόμενος, κατὰ δ' ἵδρως ἔρρεεν ἐκ μελέων.*

Ennii tamen probabilius est annalium libri I fuisse uersus propter numeros uersus alterius 'saxum sudans nitendo' quae uerba ne transponamus monet Nonii auctoritas. Quales Lucilius derisit numeros, tales Ennius adhibuit (uide ad incert. u. 1190): nempe uoluit ille aemulari Homerum in aerumnosis herois laboribus metro effingendis (Dionys. Halic. de comp. uerb. 20 p. 90 VR). Itaque imitatus est Lucilius lib. XXX l. s. Ennium, cuius et rem metricam et elocutionem agnoscas in *hilum* (annal. I 14 V), *nitendo* (annal. XV 404 V) aliis ueluti *uersat*.

1377. Cicero de diuin. II 64, 133 'ut si quis medicus aegroto imperet ut sumat "terrigenam, herbigradam, domiportam sanguine cassam" potius quam hominum more (conf Petron. 90) "cocleam" diceret. nam Pacuuianus Amphio "Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis aspera, capite breui, ceruice anguina, aspectu truci, euiscerata inanima, cum animali sono" cum dixisset obscurius, tum Attici (*astici* Orellius) respondent "non intellegimus, nisi si aperte dixeris". At ille uno uerbo: "testudo"' (TRF ed III p. 86. 87 R). Versum illum Lucilio tribuit G. I. Vossius de uitiis serm. I cap. 28 (edit. Francof. 1666 p. 120) Corpetus edit. p. 274 'haud absurde, cum uideantur eo irrideri Pacuuiana illa' ut ait L. Muellerus edit. p. 160. At uersus ille nihil neque ad Pacuuium neque ad Lucilium. Quem ex Graeco uidetur uertisse Cicero ipse cum simile sit aenigma ap. Athen. II p. 63 B *προβάλλεται δὲ κἀν τοῖς συμποσίοις γρίφου τάξιν ἔχον περὶ τῶν κοχλιῶν οὕτως· ὑλογενής, ἀνάκανθος, ἀναίματος, ὑγροκέλευθος.* Cum hoc uersu alius poeta confudit Hesiodi uersum operum 571 *ἀλλ' ὁπότ' ἂν φερέοικος ἀπὸ χθονὸς ἂμ φυτὰ βαίνῃ* unde Ciceronis auctorem haec scripsisse conicias *ὑλογενής, φερέοικος, ἀναίματος, ἂμ φυτὰ βαίνων.*

1378. Iuuenalis XIV 205 'illa tuo sententia semper in ore uersetur dis atque ipso Ioue digna poeta: "unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere". hoc monstrant uetulae pueris repentibus assae, hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae'. Lucilii esse uersum 207 suspicatur Buechelerus, eiusdem poetae esse conicit uersus sequentis 208 paraphrasin quam praebet scholiasta: 'assa nutrix dicitur quae lac non praestat infantibus sed solum diligentiam et munditiam adhibet "⟨hoc⟩ nutricula sicca uetusta infantibus monstrat".' De illo uersu dubito an potius tali ex senario deductus sit 'unde habeas quaerit nemo, sed habere addecet': de hoc ea de causa dubito quod Lucilius bis *pueri infantes* lib. XV u. 486 XIX u. 566 non *infantes*, ubi uide quae adnotauimus.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.